ΚΑΤΟΠΤΡΟΝ,
siue
SPECVLVM
ARTIS MEDICÆ HIPPOCRATICVM:

SPECTANDOS, DIGNOSCENDOS CVrandosq; exhibens vniuersos, tum vniuersales tum particulares, totius corporis humani morbos, in quo multa visuntur,

Quæ à præclarissimis quibusque Medicis intacta prorsus relicta erant arcana.

Auctore

ANDREA CÆSALPINO,
MEDICO ROMANO.

Antea quidem Romæ excusum, nunc vero castigatius editum.

FRANCOFORTI,
Typis Matthiæ Beckeri, Impensis Lazari Zetzneri Bibliop.

Anno M. D C. V.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

MAGNIFICO ET CELEBERRIMO VIRO Dn. BALTHASARO *Brunnero, Philos. & Med. D. Illustrissimorum Principum Anhaltinorum Consiliario & Archiatro, &c.*

PRactica Andreæ Cęsalpini, Vir magnifice, à multis præclaris. Medicis vehementer expetita, paucis verò visa hucusque fuit: cùm quod exemplaria maximam partem in Italiâ distracta fuerint: tùm quod illa in officinis non ita frequentia prostare, sed intra ædes suas reseruare, auctoris nepotes voluerint. Quocirca rem plurimis longè gratissimam eum facturum

esse existimaui, qui recusam illam in Germaniâ curaret. Quorum gratiam ego demereri volēs exemplaris illius, quod clarissimus vir, Dn. D. Laurentius Hoffmannus, priuignus tuus, nuper hinc in Gallias discedens, apud me reliquit, copiam ornatissimo viro, Dn. Lazaro Zeznero, Bibliopolæ Argentinensi, feci, qui id non solùm lubentissimus accepit, sed etiam, se sedulam daturum operam, quò à mendis, quibus propemodum infinitis Romana impressio scatebat, repurgatus auctor in lucem prodiret, recepit. Incitamento mihi fuit excellentissimus Philosophus & Medicus, Dn. Ioannes Ludouicus Hauēreitterus, publicus in Academiâ Argentoratensi Physices Professor, hospes ac fautor meus singularis, qui vt prælo hic liber iterùm subiiceretur, omninò & volebat & suadebat. Etsi autem auctor seipsum sit satis commendaturus, vt hoc nomine nihil, vel tantillum, præfari opus fuerit: tamen, cùm hactenùs nulla animum gra-

gratum ſignificandi ſeſe obtulerit occaſio, facere nec potui nec debui, quin editionem hanc ſub Magnifico nominis tui ſplendore fieri curarem. Auctor eſt ſcriptis & operibus eximius: eius igitur practica cui quæſo potiùs ſit dicanda, quàm tibi, qui multis Electoribus, Principibus ac Comitibus, (quibus placuiſſe

——non vltima laus eſt)

ob raram in medicando ſolertiam, acceptiſſimus fuiſti: qui ceu pater filium me amaſti, & propterea maximis beneficiis, iam inde à multis vſque annis, affeciſti. Ingenuè enim fateor, te tot beneficia in me collocaſſe, quot ſperare abs te nunquã fuiſſem auſus. Quid, quod etiam nuper ſtipendii, quod iure merito acceptum tibi fero, continuationem in annum adhuc vnum, eumque quartum, à Reuerendiſſimis & Nobiliſſimis Archi-epiſcopat⁹ Magdeburgenſibus Proceribus mihi impetraſti. Vale, Mœcenas ampliſſime, & hoc gratæ mentis ſignum æqui bo-

nique consule, meque amare perge. Argentorati dabam, Anno M.D.C.V. pridie Ascensionis Domini nostri Iesu Christi.

T. Magnificentiæ

animum (vt habet prouerbium) debens

Adamus Bruxius D.

Annibal indomitas superauit ferreus alpes,
Fecit & accessos, inuia Saxa, locos.
Post cæsas, quibus ars Medica antè exhorruit, alpes,
Cæsalpine, an non Annibal alter eris?

Idem Bruxius.

Elen-

ELENCHVS ARTIS MEDICÆ cũ Librorum, tum singulorum Capitum in iis contentorum, in certum ordinem digestus.

Lib. I.

Cap. 1. de qualibet cura aggredienda, & qua notari debeant. pag. 1.

2. *De calido innato.* 2.

3. *De non impedienda natura rectè operante.* 4.

4. *De variis recentiorum remediis & exoletione veterum.* 6.

5. *De methodo curationis.* 8.

6. *De remediorum materia in compendium redacta.* 10.

7. *De temperatis remediis in vtraque contrarietate.* 14.

8. *De calidis & siccis tenuium partium vim rarefaciendi habentibus inter Anodyna.* 17.

9. *De materia animalium ex quibus cibi assumuntur.* 21.

10. *De materia metallica.* 24.

11. *De medicamentis simplicibus purgantibus & lenientibus, atque de compositis cum suis dosibus.* 26

12. *De Syrupis alterantibus.* 30.

13. *De confectionibus opiata, quibus vtimur ad symptomata.* 31

14. *De conseruis & conditis dosin determinatam non habentibus.* 33.

15. *De medicamentis partium extremarum.* 35.

16. *De linimentis, qua antiquis cerata dicebantur.*

Cap. 1. de febribus. p. 41.
2. Quid sit febris. 42.
3. De subiecto febris. 46.
4. De generibus febrium. 49.
5. De causis febrium. 52.
6. De ephemera. 54.
7. De curatione vniuersali. 58.
8. De curatione Ephemerae. 61.
9. De curatione ad causas permanentes. 63.
10 De febri Hectica. 67.
11. De curatione eiusdem ad causas permanentes. 72.
12. De febri putrida. 75.
13. De Generibus putridarum. 80.
14. De differentiis putridarum. 83.
15. De Typis febrium. 87.
61. De temporibus febrium putridarum. 91.
17. De signis ex vrina. 93.
18. De curatione putridarum. 67.
19. De Tertiana. 101.
20. De curatione tertianae exquisitae. 105.
21. De tertiana notha. 108.
22. De quotidiana. 111.
23. De curatione quotidianae. 114.
24. De Quartana. 117.
25. De Curatione quartanae. 120.
26. De complicationibus intermittentium. 124.
27. De continuis. 127.
28. De causis continuarum & signis. 130.
29 De Curatione continuarum. 132.
30. De curatione continuarum per medicamenta. 136.
30 De curatione pestilentis. 138.
31. De Hectica cum putrida commixta. 140.

CAPITVM.

Lib. III.

Cap. 1. de Venenis. p. 143.
2. Quid sit venenum ex tota substantia. 145.
3. De Generibus venenorum. 151.
4. De venenorum differentiis ex tota substantia. 153.
5. Differentia ex modo inficiendi. 155.
6. Qui morbi ex veneno oriantur. 156.
7. De signis veneni assumpti. 158.
8. De Praeseruatione contra venenum. 159.
9. Curatio venenorum. 161.
10. De venenorum remediis in communi tum euacuantibus tum alterantibus. 163.
11. De Cantharidibus Buprestì & Pytocampe. 168.
12 De Salamandra. 170
13. De Rana rubeta. 170.
14. De Lepore marino. 171.
15. De felle Vipera & Leopardi. 172.
16 De sanguine Taurino & menstruo mulieris. 172.
17. De lacte coagulato. 173
18. De fungis. 174.
19. De Aconito. 175.
20. De Napello & Toxico. 176.
21. De cicuta, Taxo, Coriandro, Psyllio, Solano & Dorycnio. 178.
22. De Hyosciamo, Mandragora & Opio. 179.
23. De Sardoa Herba & Ixia. 181.
24. De Ephemero, Elleboro albo, Thaspia, Elaterio, & Agarico nigro. 183.
25. De Gypso, Cerussa & Lythargyro ex materia metallica. 184.
26. De argento viuo. 186.
27. De Cinnabari, argento viuo sublimato & precipitato. 187.
28. De Auripigmento, Sandaraca, Arsenio, & Risagallo. 188.

Cap.	Pag.
29. De calce & aquæ saporis.	189.
30. De Chalciti, cuperosa, & Calcantho.	189.
31. De ærugine & ferri rubigine.	190.
32. De Adamante Taleo & Amianto.	190.
33. De venenis ictu illatis curatio communis.	191.
34. De morsu canis rabiosi.	193.
35. Curatio morsus canis rabiosi.	194.
36. De ictu serpentum, lacertarum marinarum, & insectarum, curatio communis.	197.
37. de ictu Vesparii, Apum, Stellionis, Salamandræ, Lacertæ Chalcidicæ & Musaraneo.	198.
38. De Phalangio.	199.
39. De Scolopendra & Scorpione.	202.
40. De Marinis, Scorpione, Dracone, Murena & Pastinaca.	204.
41. De serpentibus mitioribus, Cæcilia, Parea, Pelia & Elape.	206.
42. De serpentibus pernitiosis Vipera & Dipsade.	207.
43. De Hæmorrho, Dryino & Hydro.	209.
44. De Scorzone seu Ammodite, Ceraste & Auontia.	211.
45. De Sepe, Aspide Basiliſco & telis venenatis.	213.
46. De Venenis Spiritu illatis & Fascinationibus.	216.
47. De venenis in corporibus nostris genitis.	218.
48. De Peste.	220.
49. De causis pestis.	221.
50. De Pestis differentiis.	224.
51. Signa Pestis.	225.
52. Præseruatio contra pestem.	227.
53. De Curatione pestis.	230.

Lib. IIII.

1. De morbo Gallico & iis, qui in cute, glandulis & articulis. 234.
2. Morbi Gallici descriptio. 235.

3. De

Cap.		Pag.
3.	De cauſis morbi Gallici.	237.
4.	Cauſa ſingulorum Affectuum.	240.
5.	Signa morbi Gallici.	241.
6.	Curatio morbi Gallici.	243.
7.	De remediis internis Luem Gallicam diſſipantibus	245.
8.	Remedia extrinſecus adhibita morbo Gallico.	248.
9.	Remedia ad diuerſas partes.	250.
10.	Remedia ad defluuium.	252.
11.	De Remediis ad puſtulas totius corporis, ad dolores, gummoſitates, faucium eroſionem.	253.
12	De victus ratione.	254.
13.	De Elephantiaſi.	256.
14.	Curatio Elephantiaſis.	259.
15.	De lepra.	262.
16.	Curatio Leprę.	267.
17.	De morbo pediculari.	270.
18.	De ſtrumis.	272.
19	De morbo articulari.	275.
20.	Curatio morbi articularis.	278.

Lib. V.

1	De morbis Capitis.	
2.	Capitis conſtitutio naturalis.	285.
3.	Enumeratio morborum capitis & de dolore.	289.
4.	Doloris differentia & ſigna.	292.
5.	Doloris curatio mitigans.	295.
6.	Doloris curatio ſanans ad affectus recentes.	296.
7.	Ad dolorem capitis ex repletione.	298.
8.	De Cephalaa & Hemicrania.	302.
9.	De phrenitide.	304.
10.	Signa phrenitidis.	306.
11.	Curatio phrenitidis.	309.
12	De Lethargo.	313.
13.	De Lethargi curatione.	317.

Cap.	Pag.
14. De Lethargo spurio.	320.
15 Lethargi spurii Curatio.	321.
16. De Mania.	323.
17. Signa Maniæ.	326.
18. Curatio Maniæ.	328.
19. De Melancholia.	335.
20. Signa Melancholiæ.	334.
21. Curatio Melancholiæ.	336.
22. De Oblivione.	338.
23. Curatio memoriæ.	341.
24. De vertigine.	342.
25. De convulsione.	345.
26. Signa convulsionis.	348.
27. Curatio convulsionis.	349.
28. De Epilepsia.	352.
29. Signa Epilepsiæ.	355.
30. Curatio Epilepsiæ.	357.
31. De Catoche seu Catalepsi.	361.
32. De incubo.	363.
33. De Caro.	365.
34. De Apoplexia.	366.
35. Curatio Apoplexiæ.	370.
36. De Paralysi.	372.
37. De signis Paralysis.	374.
38. Curatio Paralysis.	376.
39. De Torpore & Tremore.	379.
40. De Hydrocephalo & Catarrho.	384.
41. Curatio Catarrhi.	385.
42. Oculorum Constitutio.	388.
43. De oculorum morbis, & de Ophthalmia.	390.
44. De curatione Ophtalmiæ.	391.
45. De Suffusione.	395.
46. De pupillæ dilatatione.	398.
47. De fluxu lachrymarum.	401.
48. De	

Cap.	pag.
48. De aurium constitutione & de dolore.	404.
49. De tinnitu aurium.	407.
50. De surditate.	409.
51. De narium affectibus.	410.
52. De affectibus oris & dentium.	414.
53. De linguæ affectibus.	417.

Lib. VI.

Cap 1. De faucium morbis.	p.419.
2. De Angina.	420.
3 De curatione Anginæ.	424.
4. Ad affectus Anginosos.	427.
5 De pleuritide.	430.
6. De signis pleuritidis.	437.
7 De curatione Pleuritidis.	435.
8. Ad humores infixos in pleuritide.	439.
9 De Pulmonis constitutione.	442.
10 De Peripneumonia.	444.
11. De curatione Pripneumoniæ.	447.
12. De Empiemate.	449.
13 De Asthmate.	452.
14. De curatione Asthmatis.	455.
15. De sputo Sanguinolento.	458.
16. Curatio sputi Sanguinolenti.	461.
17 De Phthisi.	464.
18. Curatio Phthisis.	467.
19. De Constitutione cordis.	471.
20. De Affectibus cordis & Palpitatione.	473.
21 Curatio Palpitationis.	476.
22. De syncope.	479.
23. Curatio syncopis.	482.

Liber. VII.

Cap 1. Partium Naturalium apparatus.	487.
2. De Ventriculi & Intestinorum affectib. & dolore.	490.

Cap.		Pag.
3.	Curatio doloris ventriculi.	493
4.	De passione hypochondriaca.	493
5.	De curatione inflammationis ventriculi, siccitatis & vlceris.	497
6	De Colica & Iliaca passione.	499
7.	De curatione Colicæ & Iliacæ.	501
8.	De vitiis appetentiæ.	504
9.	De curatione inappetentiæ, Famis canina & sitis.	507
10.	De cruditate.	511
11.	De curatione cruditatis.	
12.	De Lumbricis.	516
13.	De cholera	520
14	De curatione cholera.	522
15	De Dysenteria.	526
16.	Curatio Dysenteriæ.	528
17	De hepatis constitutione & affectibus.	531
18.	De Hepatis inflammatione.	532
19.	De curatione inflammationis hepatis.	534
20.	De tumore hepatis sine febre	539
21.	De hepatica passione.	541
22.	De morbo regio.	544
23.	De Hydrope.	547
24.	De causis & signis Hydropis.	549
25.	De curatione Hydropis.	552
26	De Lienis affectibus.	556
27.	De curatione Lienis tumidi.	558
28	De renum constitutione, affectibus, & de calculo.	560
29	De curatione Calculi.	563
30.	De renum inflammatione, vlceribus & mictu sanguinis.	567
31	De capillitio & stillicidio.	570
32.	De suppressione vrinæ & Diabete.	573

CAPITVM.

LIB. VIII.

De Genitalium morbis. Pag.

Cap. 1 Præfatio. 576.

2. Uteri constitutio & Affectus. 579.

3. De retentione menstruorum. 581.

4. De curatione retentionis menstruorum. 583.

5 De sterilitate. 585.

6. De curatione sterilitatis. 589.

7. Localia remedia ad uteri occlusionem & distortionem. 591.

8. Remedia ad hiantem uterum & superfluam purgationem & ulcera. 593.

9. Remedia ad conceptum præstandum. 595.

10. De signis conceptus & regimine. 597.

11. De conceptu falso. 601.

12. De curatione ad uteri Hydropem. 603.

13. Remedia ad molam carnosam. 605.

14. Abortus causæ & signa. 607.

15. Præseruatio ab abortu. 609.

16. De partu naturali. 612.

17. De partu facili & difficili. 613.

18. De curatione parturientis. 615.

19. Remedia ad secundam & purgationem ex partu. 618.

20. De inflammatione uteri. 621.

21. De fluxu uteri. 624.

22. De fluxu albo. 626.

23. De procidentia uteri. 629.

24. De uteri strangulatione & Hysterici. 631.

25. De curatione Hystericarum. 635.

26. De mammarum constitutione & vitiis. 640.

27. De lacte vitiato. 641.

28. De genitura & virilium genitalium constitutione. 643.

29. De

Cap.	Pag.
29. De infœcunditate.	645.
30. De Gonorrhœa.	648.
31. De curatione Gonorrhœæ.	651.
32. De Priapismo.	653.
33. De testiculorum constitutione.	655.
34. De inflammatione testiculorum & hernia.	656.
35. De Hæmorrhoidibus.	659.
36. De fistulis sedis.	661.

Artis

ARTIS MEDICAE LIBER PRIMVS.

CAP. I.

QVI curationem aggreditur, sciat corpus humanum, circa quod versatur, nobilissimum esse, ideoque cum maxima circumspectione tractandum. Nam veluti paruus mundus continet quodammodo omnia, quæ in vniuerso continentur, & substantiam calidi innati purissimam, in qua Diuina virtus relucet longe magis, quam in cæteris mortalibus. Constat enim corpus cum maxima sapientia constructum ex Continentibus, Contentis, & impetum facientibus, *vt Hipp. tradit 8. in 6. Epid.* id est solidis, quæ vasa sunt, Sanguine in vasis contento, & spiritu, qui corpori motum præstat. Ex simili materia constat vniuersum. Nam terra & cœlum, in quo astra solida sunt: super solida Aquæ & spiritus. Cor præterea in eo tanquam sol suum calorem vitalem veluti lumen in totum corpus diffundit. Cerebrum tanquam luna receptum calorem contemperat. Oculi & cætera sensoria tanquam stellæ faciem exornant. Fons sanguinis in corde distributus in quatuor venas, scilicet Cauam, Aortam, Arteriam venalem, & Venam arterialem, totum

Comparatio huius corporis cum mundo.

corpus irrigat instar quatuor fluminum ex Paradiso prodeuntium. Venter inferior ignobilior instar mundi inferioris Septo separatus à superiori, sordes & excrementa recipit. Si vero calidum innatum consideremus, nobilissimam in eo portionem cœlestem intuebimur. Cum enim autor sit omnium operum naturalium, vt Hippocrates dixit, qua virtute per ipsum formetur in vtero fœtus, fatetur quidem Galenus *lib. de formatione fœtus ca. 6.* horum omnium opificem sapientissimum & potentissimum esse, sed quis hic esset diu cogitasse, & à multis Philosophis perquisiuisse, nunquam tamen inuenire potuisse? At quis alius is est, quam Deus? Admirabilem hanc calidi innati potentiam videtur significasse, quod scribitur in lib. de Principiis, qui tribuitur Hippocrati, sed videtur esse Democriti, quia in eo quædam sententiæ continentur, quas Aristoteles Democrito asscribit. In eo libro inquit. Et videtur sane mihi id, quod calidum vocamus, immortale esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia tum præterita tum futura. Huius plurima pars, cum turbata essent omnia, in supremam circumferentiam secessit, quam veteres appellauerunt æthera. De æthere Arist. *primo Meteo. cap. 3.* inquit, significare apud antiquos supremum cœlum, sic appellatum, quia semper currat: quod Anaxagoras videtur putasse ex igne constare: at non bene tantam molem igneam esse putandum est. Et *2. Cœl. tex. 2.* inquit. Hunc locum antiqui Diis tribuerunt, quamuis quæ super extima sunt latione in loco esse non sint apta. *primo Cœl. tex. 100.* Neq; enim locus, neq; vacuum, neq; tempus extra est. Ideo quæ illic sunt sine vlla mutatione optimã vitam ducunt, & per se sufficientissimam toto æuo.

CAP. II.

DE calido autem innato inquit Arist. *2. Gen. an. c. 3.* in semine omnium inesse, quod facit vt fœcunda sint

sint semina, quod calor vocatur, non ignis, sed spiritus proportione respondens elemento stellarum, corpus scilicet, quod omnis animæ virtus seu potentia participare videtur, magis diuinum quam quæ elementa appellantur, prout nobilitate aut ignobilitate animæ differunt; adeo vt in semine hominis etiam diuina pars, nempe mens separabilis à corpore comprehendatur. Virtutē hanc nō in elementis putauit esse Aristoteles, sed in corpore diuiniori, quale est cœleste. A calido enim & frigido, humido & sicco constant corpora, & dura fiunt aut mollia, & cæteras qualitates, quæ ad elementorū mixtionem sequuntur, possident. At quod spectat ad rationem, cuius gratia, & melioris conditionis cœlitus principium ducitur 2. *Gen. an. primo.* vt videmus in artibus. A calido enim & frigido durum aut molle fit, æs aut argentum, serra autem aut phiala nequaquam, sed à motu artificis. Sic in natura 4. *Meteo. cap. vlt.* ab hoc principio illud pendet, quod scribit Hipp. 5. *in 6. Epid.* Naturæ morborum medicatrices, amplificat natura sibi ipsi itinera non cogitatione, & quæ sequuntur. Nam per naturam significat facultates naturales, quæ sine cognitione agunt; impetus enim naturæ sine cognitione est, sed dirigitur ab eo, *qui* partes singulas alicuius gratia construxit. Latet hic prius in semine, postea in fœtu, ac perseuerat in animali iam edito, totum corpus gubernans. Natura enim, quamuis inerudita, & indocta, tamen quæ opus sunt, efficit. Virtus enim, quæ singulas partes effecit, etiā vsum subministrat, vt certis musculis vtantur ad incessum, ad volatum, ad natationem, ad loquutionem, & reliquas operationes perficiendas. Idem calor non elementaris, sed cœlestis concoctionem præstat, assimilat nutrimentū, & corpus auget vsq; ad perfectam magnitudinem, non quemadmodum ignis facit; separat excremēta, & expellit, ac morbos curat, nisi quid prohibeat. Hoc imminuto, vires labefactari necesse est. Pereunte autem ex toto, omnes operationes inseparabiles à corpore perire

necesse est, quæ mors appellatur. Vtrum autem corpus hoc, qui calor innatus vocatur, seu spiritus defluat ex corpore cœlesti, vt videretur rationi consentaneũ, si corpus id, quod omnis animæ virtus participat, diuinius est quam elementa. An sola virtus cœlestis communicetur materiæ horum inferiorum, non est hic locus perquirendi. Satis enim est accipere hoc principium in Medicina maxime necessarium; Calidum innatum, quod totum corpus regit, continere in se virtutem cœlestem, quæ in homine longe nobilior & perfectior est, quam in cæteris mortalibus. Cum enim spiritus sit, sua tenuitate peruadere velocissime potest in omnem partem corporis & mouere, vt tradit Arist. *lib. de Communi animalium motu.* sua autem puritate omnia sensibilia dignoscere; simplex enim esse oportet, quod omnium sensibilium capax est, *2. Gen. an. primo*, at in homine purissimum ob mentis participationem.

CAP. III.

QVI igitur corporis humani curationem aggreditur, illud præ cæteris animaduertat, ne suis remediis naturam recte operantem stimulet, aut impediat. Nam aut veluti equum currentem præcipitabit, aut importune sine vtilitate ægrotum amplius affliget, & in periculum ducet. Segniter autem agenti, aut nullo modo, aut perperam sciat quamprimum adhibenda esse remedia. Cum autem præcipuum Medici institutum sit, calidum innatum in suo robore conseruare, quo morbi propellantur, quatenus in eo aliquid diuini inest, eatenus à diuinis tantum foueri potest. Quatenus autem id in corpore subsistit ex quatuor elementis composito certa quadam temperatura, & constitutione organica, requirit remedia naturalia, quibus temperamentum, & constitutio naturalis conseruetur. De remediis diuinis etiam apud antiquos mentio fit, qui colebant Deos falsos. Nam Hippocrates in libro de Fœminea natura inquit:

Opor-

Oportet eum, qui recte morbos mulierum tractare velit, primum quidem à Diis exordiri, deinde mulierum naturas discernere, itemque ætates, & tempora, & locos, in quibus degunt. In lib. autem de Virginum morbis, & de sacro morbo recensetremedia diuina, quibus vtebantur, scilicet expiationes, incantamenta, & varias superstitiones. Consecrabant etiam Dianæ muliebres vestes pretiosissimas. Potissimum autem ad huiusmodi remedia confugiebant, quando morbi causam diuinam esse putabant, vt de sacro morbo erat opinio; aut quando alia ratione morbum depellere non poterant, suadentibus hæc eorum varibus. Sed autor dolum in his subesse animaduertens suadet potius sacrificare, & ad templa progressos Diis supplicare. Nam si contingat quempiam ab alio inquinatum esse (non enim putandum à Deo inquinari sordidissimum à purissimo) à Deo purgabitur & purificabitur. Nam Deus maxima & sceleratissima peccata purgat, & purificat, & liberatio nostra existit. Hæc Hippocrates de remediis diuinis, consona iis, quæ in nostra religione instituta sunt, quæ est circa verum Deum, non circa Deos falsos, & mentitos Poetarum, Philosophorum aut Medicorum, vt æger prius sacramentis muniatur, quam Medicus naturalis curationem aggrediatur. De remediis autem naturalibus, quamuis conscripta sint volumina multa, partim experientia, partim ratione inuentis: longitudo tamen artis finem adhuc non inuenisse videtur. Erat quidem rudis in initio Medicina, sed admodum syncera à Deo tradita, vt Poetæ fabulantur ab Apolline, & Aesculapio. Vires enim herbarum atque omnium medicamentorum alimentorumque Deus condidit. Eorum vero vsum oportunum Hippocrates docuit. Sed postea duo supervenere, quæ artem labefactarunt: vnum ex Magicis superstitionibus, quæ vires naturales commutarunt in incantamenta, quibus opera Dæmonum intermiscentur legitimam medicinam adulterantia, vt Medicos etiam insignes de-

cperint, multa ex Magicis in medicinam transferentes. Alterum est Medicorum altercatio, quæ varias sectas peperit, in quibus refellendis postea multi insudarunt. Sed Galenus inter hos præcipuus constituta optima secta Hippocraticam medicinam non solum restituit, sed & auxit multum.

CAP. IV.

GAlenum sequuti sunt posteriores fere omnes Græci, Arabes & Latini, at non sine aliqua controuersia, partim nouis remediis inuentis, partim Methodi alteratione. Quod spectat ad remedia, in processu temporis adeo excreuit remediorum numerus, vt vetera iam exoleuerint, vel quia mutatis nominibus minus nota sint, vel quia, vt mos est, omnia noua placent. Ob has causas multa noua remedia Arabes introduxerunt: multa postea ex nouo orbe India scilicet occidentali transportata sunt. Ars quoque distillandi & sublimandi multos exquisitos liquores, & pulueres præpotentes, antiquis incognitos, detexit, quorum omnium vsus oportunus ex Hippocratis & Galeni Methodo haberi potest. Sed circa Methodum omnes quidem prædicant Hippocraticam, & quæ à Galeno tradita est, pauci tamen obseruant, multitudine rerum victi, quas scire tenentur, antequam curationem aggrediantur. Nam primum corporis humani & singularum partium constitutionem naturalem scire oportet, vnde operationes inculpatæ fiunt, in quibus sanitas sita est. Nam hinc incipit Medici ratiocinatio, & in eandem desinit operatio. Hæc pars à Physicis petitur partim sensu in Anatome, partim ratione per resolutionem progrediendo à fine cuius gratia ad materiam, formam & causam efficientem. Alterum circa morbos versatur, eorumq; causas & symptomata, quæ eadem Methodo habentur: contrariorum enim eadem est scientia, scilicet sanitatis & morbi. Tertium omnino circa singularia versatur, quæ curanda sunt. Oportet enim

nim Medicum per signa morbum cognoscere, & causas latentes non in vniuersum, sed in hoc homine, qui curandus est. Hæc habentur ex iis, quæ sensui sunt manifesta, aut ex relatu ægrotantis, potissimum ex symptomatibus tanquam ab effectis; læsiones enim actionum & affectionem & partem affectam plerumq; ostendunt: licet tamen aliquando etiam ex causis manifestis colligere, vt ab anni tempore, constitutione, ætate, victu anteacto, & aliis huiusmodi. His adiungenda sunt Prognostica, conferendo vires ægrotantis cum magnitudine morbi & partis læsæ præstantia. Quarto alimentorum & medicamentorum vires cognoscere oportet, quæ potissimum ab experientia habentur obseruatione diuturna, apud antiquos facta. His adiuncta est ratio à saporib. atq; odoribus ducta, quibus temperamentum arguitur, in quo vires consistunt. Hæ omnia Medicum habere oportet longo studio comparata, vt ex tempore opitulari ægrotantibus possit. In quibus ob multiplicem scientiã difficultates multæ contingunt. Ideo multi laborem recusantes breuiorem medicinam fabricare conati sunt, ex remediorum multitudine eligentes, quæ ad multos vsus vtilia sunt, Polychresta à Græcis appellata, qualis est Theriaca, & Mitridatum non solum ad omnia venena, sed & ad omnes pene morbos prædicata. Sic enim non egent Methodo, cum putentur à tota substantia agere, quæ Methodo caret. Eadem ratione per distillandi artẽ potentissimi liquores extrahuntur, quos Elixires vocant, & Quintam essentiam, ad eosq; confugiunt, tanquã ad sacram anchoram, & qui inuident, occultant inter arcana, quasi, vt nomen Quintæ essentiæ indicat, incorruptibilem substantiã possideat ipsius cœli. Quod si verũ esset, vnico hoc remedio nõ solum omnes morbos depellere liceret, sed & immortalis homo redderetur, calido innato nunquã deficiente. Alii sunt, qui in sola euacuatione spem habent. Quidam in venæ sectione, quam etiã sæpius repetũt ingraueſcẽte morbo, sed plerunq; cũ magno viriũ dispendio. Quidam

4.

Aliorũ methodus.

Temperamenta, vbi.

Putant alioꝛ Medici.

in medicamento purgante valido, quale est nuper inuentum Antimonium præparatum. Alli viribus magis consulentes abhorrent, & venæ sectionem & purgantia, nisi admodum parce, sed nutriunt omnes ægrotantes nunquam abstinentes à carnibus, ouis & iusculis, sed à ptisana, qui solus pene erat apud antiquos ægrotantiũ cibus. Apud hos superueniente aliquo graui symptomate, quod sæpe contingit tum ob prauam nutriendi rationem, tum ob prætermissa ab initio remedia euacuantia, necesse est confugere ad extrema remedia, vt inustionẽ, quam vtplurimum adhibent ad suturam coronalem; & vesicatoria ad brachia & crura, vt cum his tormentis æger decedat, postquã nimis abblandiri initio visum est.

CAP. V.

SI quis autem est, quem non pigeat pleniorem laborem impendere [illegible] discendis omnibus Medicinæ partibus, in alteram difficultatem incidunt circa Methodum à multis inculcatam, via diuisa ad particularia descendentem, qui processus admodum fallax est & morosus, vt notauit Arist. *primo Part. an. cap. vltimo.* non enim pro multitudine differentiarum numerus specierum cõsurgit. Præterea diligens huiusmodi inquisitio in multitudinem vagans sæpe remoratur oportunam curationem, quæ præsentanea remedia exposcit. Ideo satius est & breuius ad curationem perficiendam, quæ circa singularia versatur, non ab vniuersalibus incipere, sed ab ipsismet singularibus, quæ curanda sunt, notatis prius per signa sensui manifesta morbis & causis latentibus. Statim enim per indicationem contrariorum remedia innotescunt & remediorum conditiones pro partium affectarum & affectuum conditionibus: sic enim nihil superfluum nec diminutum continget, Conditiones appello Quantum, Quale, Tempus, Modum, & alia huiusmodi. Cum vero plures fuerint morbi vel causæ, vel symptomata vrgentia, quorum singula exposcant remedia

dia inuicem aduersantia, si liceat simul compositis remediis vnicuique oportunis succurrere, faciendum est. Si id fieri nequeat, ei prius incumbendum est aut magis, quod magis vrget, aut quod rationem causæ habet; deinde alteri, & alternatim repetendum, donec sufficiat. In omnibus autem his vires consulere oportet, vtrum remedia, quæ indicantur, cum suis conditionibus sufferre possint, inspiciendo ætatem, anni tempus, locum, constitutionem, consuetudinem, & naturam. Sicubi autem contingat hæsitatio, vel in cognitione morbi per signa, vel in mensura virium, in quibus ars solet esse conjecturalis, petenda est plurium Medicorum consultatio, vt quod oportunissimum est eligatur, non altercationibus tempus absumatur. Hæc est via compendiaria, qua ex tempore vnicuique succurrere possumus, non ex vniuersalibus in multitudinem tendendo, sed ex singularibus in vniuersalia resoluendo, in quibus ars sita est. Sed in tradenda arte oppositum facimus. Communia enim primum veniunt explicanda, deinde ad singulas species peruenitur. At ne errores prædicti ex Methodo diuisiua oriantur, monet Aristoteles, vt non genera summa assumantur, sed proxima, quorum species non multum differunt. Horum enim sufficit vna communis tractatio. Quæ autem multum distant, satius est sigillatim de singulis agere, quod & nos in tradenda morborum curatione obseruabimus. Simili modo Galenus quædam vniuersali ratione agit, quod vocat Methodo agere, *vt in libris Methodi medendi* morbum in solutione continui, Intemperiem, Inflammationem, & reliqua morborum genera explicat. Quædam sigillatim, vt *in libris de Compositione* medicamentorum secundum locos, singularum partium morbos perquirit; multum enim differunt curationes pro singularum partium natura. Quamuis autem sigillatim agere non sit Methodo agere, non tamen sine Methodo est. Nam singula ad eandem rationem communem, quæ Methodus est, reducuntur. In

hac tractatione nostrum institutum est, artem medicam ad antiquam præcipue Hippocratis & Galeni normam reducere; non despicientes interim, & quæ à posteritatibus quibusdam notata sunt, qui celebres inter Græcos, Latinos & Arabes extitere, quorum autoritate freti a nemine calumniari possumus. Vbi enim de salute humana agitur, non standum vnius cuiusque iudicio, sed eorum qui autoritatem longo tempore sibi comparauerunt, vt iurisconsulti faciunt, qui in suis iudiciis non nisi communem probatissimorum virorum sententiam sequuntur.

CAP. VI.

PLacet autem primum remediorum materiam in compendium redigere, vt vnusquisque in singulis morbis curandis seligere possit, quæ magis oportuna videbuntur; initio sumpto à simplicibus, deinde & composita ea perquiremus, quæ hodie in vsu magis sunt. Trademus autem ea secundū ordinem temperamenti, gradum connotando nō exquisite, ne morositas inutilis cōtingat. Sed quæ intra secundum gradū continentur, per hoc verbum *imbecilliora* aut *mitiora*. Quæ autem ad tertium accedūt, *efficaciora* aut *vehementiora*. Quæ ad quartum proxime accedunt, *vehementissima* aut *in summo*, aut *per alias operationes corrumpentes* notabuntur. Simul & sapores vel sinceros vel commixtos atque odores notabimus, ex quibus vires significari possunt. Addemus & substantiæ tenuitatem atq; crassitiem, quæ vires multum variant. Hæc omnia seorsum in materia plantarum persequemur, & in materia animalium atq; metallicorum.

Simplicia frigida & humida, quibus præcipue vtimur in febribus, & ad humores calidos contemperandos, magna ex parte sunt insipida. Quædam aliquam dulcedinem participant, ideo inter cibos assumuntur. Quædam cum modica amaritudine. Alia aciditati sunt admixta, alia cum modica acredine, aut nitrositate, alia cum astrictione.

Aqua

Aqua simplex recipit omnium medicamentorum facultates infusione aut decoctione. Eligenda est purissima & tenuissima, qualis est pluuia, aut fontium. Impurior ex magnis fluminibus, puteis, lacu & stagnantes omnes egent arte ad deponenda aliena. Crassiores sunt, quæ coagulatæ fuerunt, vt ex glacie aut niue; nam expressum est ab ingenti frigore, quod inerat tenuissimum.

Aquea humiditate constant omnia olera, & fructus præcipue æstiui; ideo sunt prauj succi putredini obnoxii. Minus humida sunt semina, radices, & herbæ siccatæ. Succi facultatem herbæ magis possident, postea decoctiones, adhuc minus aquæ stillatitiæ; nam ab igne immutatur temperamentum, & aliquando nouæ vires acquiruntur. Quæ in hoc genere constant crassiori substantia expetuntur ad tenues humores incrassandos atque contemperandos.

Portulaca
Endiuia
Cicerbita
Cicorium cum aliqua amaritudine.
Scariola, id est, lactuca syluestris.
Quatuor semina communia frigida minora, id est,
Portulacæ
Papaueris albi
Scariolæ
Endiuiæ

Efficaciora, quæ aliquid soporiferi habent,

Violæ
Lactucæ
Solanum hortense

Cum astrictione, ideo repellunt, & fluxus sistunt,

Plantago
Polygonum
Bursa pastoris.

Efficacius valent ad Erisipelata.

Lenti-

Lenticula paluſtris
Semper viuum
Vmbilicus veneris

Soporifera

Papaueris ſemen, Capita, Opium.

Obſtupefacientia exterius tantum applicanda.

Cicutæ folia
Hyoſcyami folia
Mandragoræ folia.

Tenuium partium habentia adiunctam aciditatem, repellunt.

Acetoſa
Trifolium acetoſum.

Cum dulcedine tenuium partium, vnde leuiter abſtergunt.

Hordeum.

Quatuor ſemina communia frigida maiora, id eſt,
Cucurbitæ
Citruli
Peponis, qui Cucumer appellatur,
Melopeponis

Cum aliqua acredine ad extenuandos humores aduſtos.

Lupulus
Hepatica

Cum aliqua nitroſitate.

Parietaria.

Frig. & ſicca. Frigida & ſicca tenuium partium Acida incidunt & repellunt, prohibent putredinem.

Acetum
Succus citri acidus
Succus limonum
Succus Aurantiorum acidorum
Succus mali punici acidus
Agreſta.
} *cum aliqua aſtrictione.*

Succus

Succus mororum
Rubi ante maturitatē } *efficacius repellunt.*
Succus corticis viridis Nucum.

Subdulcia ſiccant ſine morſu prauos humores tutius quā Chinæ aut ſalſæ parillæ decoctum.

Graminis radix
Harundinis radix
Milium.

Odorata ad Hepatis & ventriculi robur

Roſa
Sandali
Labruſcæ flos.

Craſſarum partium ſubdulcia in cibis aluum ſiccant

Oriza
Far
Lens

Auſtera efficaciter ſiccant, minus refrigerant, aſtringunt.

Rubus
Myrthus
Myrthilli
Lentiſcus
Rhus
Lyſimachia.

Acerba vehementer ſiccant, & aſtringunt.

Cauda equina
Mala cotonea
Meſpila
Sorba
Corna
Balauſtium
Malicorium
Galla
Glandium acetabula
Vlmi folia

Aca-

Acacia
Hypociſtis

Frigida magis quam ſicca
Nymphæa radix & ſemen ad venerem compeſcendam

Soporifera & obſtupefacientia
Hyoſcyami ſemen
Cortex radicis Mandragoræ.

CAP. VII.

Temperata.

TEmperata in vtraque contrarietate.
Triticum, Panis ex eo, Farina, emplaſtica ad concoctionem.
Amylum
Tragacantha } *expetuntur in arteriacis.*
Gummi arabicum

Temperata in calido & frigido: humectantia
Bugloſſa } *ad atram bilem temperandam.*
Borrago
Tuſſilago viridis } *ad Toracem expurgandum.*
Glycirriza
Oleum dulce ad dolores mitigandos.

Temperata in cal. & frigido ſiccantia.
Pimpinella
Quinque folium } *aduerſus putredinem,*
Tormentilla
Agrimonia Hepati familiaris
Capillus veneris
Cetrach } *renibus.*
Lithoſpermon

Cal. et humida.

Calida & humida quædam humiditate pingui conſtant, quædam aquoſa.

Pingui humiditate olei genera, & Reſinæ, & animalium pinguedines & medullæ, omnia emolliunt & laxant. *Oleum ex oliuis maturis, quo antiquius, eo calidius. Ex oliuis*

oliuis acerbis Omphacinum vocatum habet aliquã frigidatem astringentem.

Oleum amygdalarũ dulcium
Ol. ex amyg. amaris
Ol. seminis lini
} *ad dolores internos laxant aluum*

Resina liquida
Terebynthina, id est laricina
ex Terebyntho Cypri
Abietina
} *Renum & vesica vlceribus.*

Amygdala
Iuglandes
Auellana
Nuclei pineï
Pistacea
} *abstergunt mediocriter.*

Aquea humiditate constant crassarum partium glutinosa, ideo inter Emplastica vim habent concoquendi tuberculos.

Malua
Althea
Semen lini
Fanugracum
Melilotum
Lilium
Acanthus
Consolida maior

Tenuium partium nitrositatem participantia, aluum mouent.

Brassica
Beta
Blitum
Mercurialis
Vrtica
Attriplex
Lapathum
Spinachia.

Dulcia

Dulcia quæ tenuium partium aliquam vim abstergendi habent; ideo aluum mouent.

Mel
Saccharum
Manna
Cassia
Tamarindi
Ficus recentes
Vuæ maturæ
Vuæ passæ
Siliquæ
Ficus aridæ pingues
Dactili.

In genere dulcium participantia aliquam astrictionem ventriculo & Hepati grata, coctionem adiuuant.

Vinum dulce: Austerum astringentius est: Album frigidius: Flauum calidius: Rubrum medio modo.

Participantia aliquam acredinem gignunt lac & semen.

Ocimum
Feniculum domesticum viride
Menta viridis
Eruca
Cicer album
Semen rapi
Pastinaca
Lingua auis
Satyrium

Participantia maiorem acredinem efficacius calefaciũt, & minus humectant, adeo, vt aliqua ex parte siccent: emolliunt liquefaciendo

Gummi ferularum
Galbanum
Hammoniacum
Bdellium
Sagapenum
Opopanax

Styrax

Styrax liquidus
Caseus vetustus.

CAP. VIII.

CAlida & sicca moderate tenuium partium vim rarefaciendi habent, inter Anodyna. Cal. 1 sicca.

Chamemelum
Anethum
Artemisia } *vtero familiaria.*
Matricaria }
Capparis radix & fructus }
Tamarix } *Lienosis.*
Marrubium nigrum }
Asparagus }
Eius radices }
Rusci radix }
Apium }
Petroselinum } *Vrinam promouent & menses.*
Faniculum syluestre }
Raphanus }
Chamæpytis }
Fumus terræ }
Leucoion }
Betonica }
Saluia }
Rosmarinum } *cerebro familiaria.*
Stœchas }
Nigella }
Citri cortex & semen } *cordi conueniunt.*
Melissa }
Semen viticis } *ad Gonorrhæam siccandam.*
Semen Rutæ }

Crassarum partium sicca magis quam calida concoquũt, & carnem in vlceribus gignunt.

Thus
Gummi iuniperi
Sarcocolla
Myrrha
Maſtiche

Farinæ digerentes in Cataplaſmate

Ciceris } *mediocres.*
Fabarum }
Lentium } *imbecilliores.*
Hordei }
Orobi }
Lolii } *efficaciores.*
Lupinorum }

Reſinæ digerentes

Pix naualis
Pix græca
Reſina Pini
Ladanum

Sudorifica ad totum habitum ſiccandum.

Lignum Guaiacum
Salſa parilla
Cinna
Lignum viſci quercini
Saſſafras.

Calida & ſicca efficaciora multum amara aut acria, vnde vires valentiores ad digerendum aut abſtergendum.

Aloes } *amara cum aſtrictione pro ventriculo ſiccant magis quam calefaciant.*
Abſynthium }
Carduus ſanctus } *Hepar expurgant.*
Eupatorium Meſues }
Verbenaca }
Marrubium }
Scordium } *Thoracem valide expurgãt.*
Chamædris }
Scabioſa }

Enula

Enula
Iris
Ari radix

Hyssopus
Origanum
Sampsuchum
Serpyllum
Thymum
Satureia
Calamentum
Pulegium
Dictamum cretense
Sabina
} *Omnia acria efficaciter mi-ses promouent.*

Asari radix
Nardus celtica
Meu
Valeriana
Rubia radix
} *vrinam valenter impellunt.*

Chelidonium maius ad oculos expurgandos.

Gentiana
Securidaca semen
} *amarissima.*

Dictami albi radix
Aristolochia rotunda
Zedoaria
Centaurea minor
Abrotanum
Polium montanum
Ruta
Harmel
Lauri bacca
Semen brassica
} *Venenis aduersantur, & lumbricos enecant.*

Panacis radix
Imperatoria radix
Angelica radix
Costi radix
} *ad dolores internos.*

Semina vulgo Carminatiua appellata, ad flatus.

Seſelis
Siſonis
Aniſi
Coriandri
Carui
Anethi
Dauci
Cumini
Ameos
Apii
Petroſelini.

Caput purgantia per nares & palatum
Succus anagallidis
Succus Betæ
Piper
Zinziber
Piretrum
Staphiſagria

Purgantia vterum in peſſis
Cyclamin. ſuccus
Brioniæ radix
Elaterium
Elleborus albus

Rubificantia & extrahentia ex alto, ad veſicatoria
Aſſa fatida
Euphorbium
Propolis
Fermentum
Thapſia
Scylla
Capæ
Porrum
Allium
Sinapi
Semen Naſturtii
Lepidium
Hiberis

Aro-

Aromata ad vires partium principalium conſeruandas moderato vſu: nam alioqui diſſoluunt & interficiũt. Pugnant aduerſus venenoſas euaporationes, & aerem peſtilentem arcent ſuffitu.

Caſia
Cinnamomum
Macis
Cyperus
Spica
Crocum
} *aſtrictionem participant.*

Gariofilus
Cardamomum
Cubebe
Nux muſcata
Balſamum
Xilobalſamum
Carpobalſamum
Squinanthum
Calmanus aromaticus
Galanga
Ambra
Moſcus
Lignum aloes
Styrax
Belzoi
Anime
} *in ſuffumigiis.*

CAP. IX.

EX materia animalium cibi potius aſſumuntur, *Calida & humida*
Ouorum lutea

Carnes ſanguineorum Animalium. Sicciores ex Auibus, ex Syluestribus, ex ſenioribus.
Humidiores ex Quadrupedibus, ex domeſticis, ex iunioribus.

Moderatæ ex auibus domeſticis, ex quadrupedibus mediætatis: ex ſyluestribus iunioribus.

Pinguedines & medulla calidiores vim digerendi & emolliendi habent, efficaciores ex ſiccioribus animalibus.

Ex Gallina, Anſere, Anate, Leonina, Vrſina, Hircina, Medulla, Ceruina, Vitulina,

Humidior & frigidior Suilla,

Oeſipus, id eſt lanarum ſordes purgata ad vlcera pudendorum & ſedis mitiganda.

Frigida & humida.

Albumen oui in aqua conquaſſatum in potu & oculorum medicamentis.

Piſces mollis carnis in cibis boni ſucci, vt Saxatiles, Aſelli.

Ex fluminibus ſaxoſis aut harenoſis,

Prauinutrimenti ex lutoſis

Anguilla
Lucii
Tinche
Laſche

Et ex maritimis Cefali, nam luto veſcuntur, niſi degant procul à portu aut ſtagno.

Omnes piſces in aquis calidis & ſtagnantibus peſtilentes redduntur. Corrigitur prauitas ſi in locis ſaxoſis aut harenoſis degant, vt in lacu Peruſino & Volſino & fluminibus frigidis.

Exhibentia nutrimentum viſcoſum iis commodum, quibus cibi facile corrumpuntur, aut diſſoluuntur,

Cerebella
Teſticuli
Glandulæ
Ventres
Summi pedes
Capita
Polypus
Sepia
Lolligines
Locuſtæ
Cammari

Coch-

Cochleæ
Testudines nemorales
Cancri fluuiatiles.

Tenue nutrimentum exhibentia Tabidis commodum.

Serum lactis cuiuscunque per decoctionem extractum.

Lac asininum, *Equinum* } *tenuissima & frigidissima.*

Bubalinum, *Vaccinum* } *crassissima.*

Ouinum, *Caprinum* } *media.*

Muliebre familiarissimum.

Frigida & sicca: in cibis — *Frig. et Sicca.*
Sanguis
Caseus recens non salitus.

In medicamentis
Vermes terreni glutinant neruorum vulnera.

Calida & sicca in cibis — *Cal. & Sicca.*
Salsamenta piscium tenuium pro victu extenuante.
Salsamenta ex Thunno, aut carnibus: Melancholica.

In medicamentis.
Viperarum carnes aduersus venena,
Scincus in venerem impellit.
Coagulum leporis potenter vrinam impellit.
Castorium in cerebrum & neruos penetrat.
Fel cuiuscunque animalis ad detergenda quæ in oculis sunt.
Pulmo vulpis ad morbos pulmonis.
Stercora vim extrahentem habent, præcipue
Columbinum, *Caninum*, *Hirundinis* } *ad morbos faucium.*
Scorpiones exterius inuncti vrinam eliciunt.
Cantharides idem præstant, sed vesicas excitant, & vrinæ ardorem.

Vnguis & cornua suffitu aerem pestilentem arcent.
Cornu cerui vstum propinatur aduersus venena.
Vrina impuberis pota hydropicos sanat in pueris.

CAP. X.

EX materia Metallica nulla reperiuntur humida, ob naturam terrestrem, licet inter ea reperiantur liquida, vt argentum viuum, & metalla liquefacta; sed omnia vim siccandi habent magis & minus: cum frigiditate minus exsiccant, cum caliditate magis.

Frig. & Sicca. Moderate refrigerantia & siccantia, quæcunque incorruptibilia sunt venenis aduersantur, quia omnia vincunt, à nullo vincuntur, & cum non multum recedant à temperatura humana, corpus tuentur. Si multum recederent, etiam ipsa venena essent.

Aurum
Argentum.
Gemmæ, vt Margaritæ, Smaragdus, Sapphirus, Rubinus, Granatus, Iacinthus, Sarda. Non Adamas, quia eius puluis corrodit.

Lapis Bezaar
Terra Lemnia
Bolus Armenus
Terra Melitensis } *in febribus pestilent.*
Alicornum

Corallium
Lapis Hæmatites. } *in fluxu sanguinis*

Magis refrigerant & siccant

Plumbum, & quæ ex plumbo oriuntur, ideo intrinsecus venena sint, extrinsecus repellunt.
Cerussa
Sandyx vulgo Minium
Lithargirus in mutatione acquirit caliditatem erodentem

Astringunt & expurgant intrinsecus ad obstructiones viscerum.

Ferrum

Ferrum
Scoria ferri
Rubigo ferri

Calida & ſicca ſolubilia in aqua — Cal. et ſicca.

Sal albus mitior
Sal marinus calidior
Sal foſſilis ſiccior
Salgemma validior
} *abſtergunt & mordent.*

Aqua marina
Muria ex piſcibus
} *exedunt: ad Nonas inteſtinorum.*

Aqua Tettucii
Aqua Balneoli
} *mitiora ad diſenteriam.*

Nitum
Borax
Sal nitrum
Sal Armeniacus
Sal vitri
} *vehementer mordent & exterunt*

Tartarum id eſt ſex vini cruſtoſa vt nitrum mitius aluum deiicit.

Tartarum vſtum vehementer exterit

Alumen
Calcanthum
Cuperoſa
} *vehementer aſtringunt & mordent, internis noxia.*
Lapis Phrygius

Solubilia in oleo

Sulphur
Auripigmentum
Sandaraca
} *calida in ſummo, ideo deleteria, ſed moderato vſu ad morbos pulmonis faciunt, in potu & ſuffitu.*

Electrum vulgo
Carabe
Pitumen
} *mitiora ad ſiſtendas fluxiones.*
Canfora

Oleum ſulphuris
Oleum vitrioli
} *potentiſſima ad exterendum.*

Pulueres insolubiles.

Aes ustum
Squama æris
Flos æris
Diphriges
} *leuiter exterunt carnem ex vlceribus & consolidant.*

Viride æris
Præcipitatum
} *valentius exterunt.*

Cadmia
Pompholix.
} *vulgo Tutia præparata cicatrices inducunt; oculis commoda.*

Cæruleum
Lapis lazuli
Lapis Armenus
} *inter purgantia.*

Argentum viuum, dum in sua natura est, refrigerat & repellit efficacius quam plumbum: sed calfactum colliquat humiditatem corporis, quæ defluit ex capite.

Sublimatum inter venena corrodentia.

Calx viua, vrit: ad Gangrænas.

Calx lota siccat sine morsu ad cicatrices & ambusta.

Gypsum occludit Lapidescens, inter venena.

CAP. XI.

MEdicamenta purgantia, & lenientia simplicia, & composita, quibus præcipue vtimur, cum suis Dosibus.

Lenientia, quibus pauca vis inest, aut nulla eligendi humorem proprium, sed quemcunque obuium ducunt.

Oleum amygdalarum dulcium Dosis *vnci. 4. vsq; ad 6.*

Ol. seminis lini Dosis vnc. iij. vsque ad iiij.
faciunt ad dolores internos.

Therebynthina vulgaris
Therebynthina ex Therebyntho Cypri.
} *dosis dr. ij. vsque ad iiij. Prosunt pectori, renibus & vesicæ vlceratis.*

Malua
Mercurialis
Ebulus
} *Dosis manip. 1. decocta cum multo oleo.*

Mulsa meracior & crudior pro potu continuo in febribus pituitosis.

Serum

Serum lactis Dosis Lib.ij.vsq; ad iij. } *in febre ardẽte, & ad*
Lac asinæ Dosis lib.j.vsq; ad lib.j. $\frac{1}{2}$. } *humores aduſtos.*

Aqua Thermales ſalſa vel nitroſa Dosis lib. 6. vſque ad 8.

Aqua Tettuccii } *abluunt inteſtina, & ventricu-*
Aqua Balneuli. } *lum.*

Aqua Regii renes expurgat.

Aquæ ferreæ, vt Ficoncellæ, Villenſis, ad hepar expurgandum, & refrigerandum.

Aquæ Aluminoſæ, vt Brandulæ, Borræ, doſis vnc.6. ad mictum ſanguinis, & alui fluxus.

Aquæ ſulphureæ aut bituminoſæ, doſis lib.6. vt aqua Porretta ad ſiccandum præcipue vterum.

Caſſiæ pulpa recens extracta Doſis vnc.j.vſq; ad vnc.j. $\frac{1}{2}$.

Syrupus roſatus ex nouem infuſionibus. } *Doſis vnc. iij. vſq; ad*
Melroſatum ex nouem infuſ. } *vnc.V.*
Sy. violatus ex nouem infuſ. }

Tamarindi infuſi & expreſſi Doſis vnc. ij. vſque ad V. In febribus bilioſis.

Manna Doſis vnc.j.vſque ad ij.

Diacatholicon Doſis dr.6. vſque ad X.

Electuarium lenitiuum, id eſt Diaſena lenit. Doſis vnc.j. vſque ad vnc.j. $\frac{1}{2}$.

Trifera perſica Doſ. vnc.j. in feb.peſtil.

Soluentia flauam bilem mitiora,

Rabarbariũ Doſis in ſubſtantia dr.j. vſq; ad ij. in infuſione cum forti expreſſione dr.ij. vſq; ad iiij. cum leui expreſſione vſque ad X. in vino cum ſpica vel Cinnamomo.

Pill. de Rhab. Doſ dr.ij.

Mirobalani citrini Doſis in ſubſt. dr.j. vſque ad ij. in infuſione dr.ij. vſque ad iiij. in ſero cum paſſulis.

Vehementiora.

Scammonium præparatum quod Diagridiũ vocatur Doſis. gr.V. vſque ad 12.

Electua-

Electuarium rosatũ
Mesues
Elect. de succo rosa- } *Dosis dr. ij. usque ad iiij.*
rum
Elect. de Psyllio.

Pill. de Fumoterra Dos. dr. j. usque ad dr. j. ℥ß.

Soluentia atram bilem mitiora.

Mirobolani Indi. Dos. in substan. dr. ij. usque ad iiij. in infusione dr. iiij. usque ad viij.

Epithymum Dos. in subst. dr. iij. usque ad vij. in decoctione dr. V. usque ad XX.

Sena orient. Dos. in subst. præparata dr. j. usque ad ij. in infusione unc. ℥ß. *usque ad unc. j. in iure gallinarum.*

Polypodium quercinũ Dos. in decoctione dr. ij. usq; ad dr. vj.

Sy. de Polypodio Dos. unc. ij. usque ad iiij.

Vehementiora.

Confectio Hamech Dos. dr. ij. usque ad iiij.

Pill. Indæ Dos. dr. ij. usque ad iij.

Pill. de lapide laZuli } *Dosis dr. ij.*
Pill. de lap. Armeno

Elleborum nigrum Dosis in subst. scr. j. usque ad dr. ℥ß. *cum Hiera & salgemma in infusione dr. j. usque ad ij. in vino*

Præcipitatum } *Dosis gr. iiij. usque ad viij. cum*
Antimonium præparatum *saccaro rosaceo.*

Soluentia pituitam mitiora.

Mirobalani chebuli } *Dosis in subst. dr. ij. usque*
Emlici } *ad iiij. in infus. dr. iiij. usque*
Bellirici } *unc. j. respiciunt Caput.*

Semen Cnici, vulgo Cartamum Dos. dr. iiij. usque 6. decoctum in iure gallinarum cum Cinnamomo.

Vehementiora.

Agaricum præparatum. *Dos. dr. j. usque ad ij. in infusione dr. ij. usque ad V. in oximelite.*

Dia-

Diaphenicon minus Dos.dr.iiij. vsque ad vnc.j.
Diaphenicon maius Dosis dr.ij. vsque ad iiij.
Turbith Dosis in substan. scr. j. vsque ad ij.
in decoctione dr.ij. vsque ad iiij.
Colocinthis Dosis praparata sc.j. vsque ad dr. $\frac{1}{2}$.
Pill. fatida maiores Dos.dr j. vsque ad ij.
Pill.de Hermodactilis maiores Dos.dr.j. vsque ad ij. trahunt ab articulis.
Pill.lucis Dos.dr.ij. vsque ad iij, conferunt oculis.
Hierapicra comp.Nicolai. } *Dosis in Clysteribus*
Hieralogodion } *vnc 1.*
In suppositoriis Dosis specierum dr. j. cum melle & sal gemma.

Soluentia pituitam & bilem flauam.

Mitiora.

Aloes lota Dosis sc.ij. vsque ad dr.ij.
Hiera simpl. Gal. Dosis specierum dr. ij. vsque ad iij. conferunt ventriculo.
Pill. de tribus Dos. dr.j. vsque ad ij.
Pill. de Hiera cum Agarico Dos.dr.ij. vsque ad iij.
Pill. mastichina Dos. dr.j. vsque ad dr. ij.

Vehementiora.

Pill. Aggregatiua Dos.dr.j. vsque ad dr.j. $\frac{1}{2}$.
Pill. sine quibus Dos.dr.j. vsque ad dr. j. $\frac{1}{2}$.
Pill. Aurea Dos.dr.j. vsque ad ij.
Pill.Choccia Dosis scr. ij. vsque ad dr.j. respiciunt caput.
Pill. de coloquintida Gal. Dos.scr.ij. vsque ad dr.j.
Benedicta Dosis dr.iiij. ad Colicos & renales.
Centaurea minor decocta in clysteri Dos. vnc.j. ad ij.
Soluentia Aquas Hydropicorum mitiora.
Brassica marina vulgo Soldanella Dosis manip.j. decocta in iure pingui.
Ebuli folia vel radix Dos.manip.j. in decoctione.
Mechoacan in subst. Dos.dr.j. vsque ad ij. in vino.
Succus radicis Ireos Dos.dr.ij. vsque ad iiij. in ouo orbili.

Vehe-

Vehementiora.

Euphorbium præparatum Dosis gr. iiij. vsque ad 12.
Elaterium Dos. gr. X. vsque ad scr. j.
Pill. de Euphorbio Dos. dr. ½. vsque ad dr. j.

Vnguentum de Artanita maius inuncto vmbilico trahit inferius, inuncto stomacho trahit superius.

Decoctiones quibus soluēda sunt medicamēta purgantia.
Decoctio sena magistralis ad Melancholicos.
Decoctio florum & fructuum cordialium ad bilioſos.
Decoctio pectoralis ad morbos Thoracis.
Decoctio Carminatiua ad pituitam & flatus.

CAP. XII.

SYrupi alterantes, quibus præcipue vtimur ad præparationes humorum, quorum Dosis vnc. j. vsque ad ij. diluuntur cum duplo decoctionis, aut aquæ stillatitiæ similis naturæ, aut alterius secundum oportunitatem.

Refrigerantes ad febrium ardores, & bilem flauam.

Sy. de Endia s.
Sy. de Cicorea s.
Sy. Violatus
Sy. de Portulaca.
} *incraſſantes.*

Oxiſaccara
Acetoſus s.
Sy. de acido Citri
Sy. de Limonibus.
} *attenuantes.*

Sy. de Cichorea Nicch. aperit obſtructiones.

Sy. roſatus ſiccus
Sy. Myrthinus.
} *aſtringentes.*

Sy. de Papauere Somnum conciliat.

Temperati in calido & frigido.

Sy. de Capillo veneris
Sy. Iuiubinus
Sy. de Farfara
} *ad tuſſim mitigandam.*

Sy. de

Sy. de Pomis ſ.
Sy. Sabor.
Sy. Biſantinus
Biſantinus acetoſus.
Sy. de Iupulis.
Sy. de Corticibus Citri.
} ad humores melancholicos.

Sy. de Fumo terræ ſ.
Sy de Fumo terræ comp.
Sy. de Epithimo
} ad humores ſalſos.

Calefacientes ad pituitam.

Sy. de liquiritia
Sy. de Hyſſopo.
Sy. de Praſſio.
} Thoraci vtiles.

Mel roſatum
Sy. de Abſinthio
Sy. de Menta
} Ventriculo.

Sy. de Betonica ſ.
Sy. de Stœchade
Sy. de Calamento
} Capiti.

Sy. de duabus radicibus renibus & vtero.

Acetoſus de duabus radicibus.
Oxymel ſ.
Oxymel comp. de quinque rad.
Oxymel ſcylliticum.
} incidentes.

CAP. XIII.

CONfectiones Opiatæ, quibus vtimur ad ſymptomata vrgentia ſeu dolores, ſeu diſtillationes graues, ſeu fluxus. Dantur veſperi poſt cœnam duabus horis aut paulo ante acceſſiones.

Theriaca Andromachi. Doſis magnitudine ciceris aut fabæ grandioris, id eſt ſcr. j. vſque ad dr. j.

Mitridatum Andromachi. Doſis magnitudine auellanæ, id eſt dr. j. vſque ad ij.

Faciunt ad venena & morbos peſtilentes.

Triſo-

Trifera magna Dos. scr. j. vsque ad dr. j.
Pill. pro Matrice Dosis, scr. ℈ß. vsque ad scr. j.
} *ad vteri suffocationem.*

Trochisci de stella Dos. scr. j. vsque ad dr. ℈ß. pro ventriculo.

Troc. de Carabe
Troc. Alchechengi.
} *Dos. dr. j. ad sanguinis fluxus.*

Ad renum & vesicæ vlcera.

Troc. Diaspermaton Gal
Pill. de Cinoglossa
} *Dos scrup. ℈ß. ad scr. j.*

Ad Distillationes, & fluxus alui.

Philonium Romanum Nicho. Dos. scr. j. vsque ad dr. j. ad ingentes cruciatus Coli.

Requies Dos. dr. j. in longis vigiliis.

Confectiones aromaticæ ad virtutis lapsum conueniunt post purgationes ante cibum.

Diarrhodon Abbatis Dosis dr. ij. vsque ad iiij.

Specierum eius scrup. ℈ß. vsque ad scr. j. Hepati familiare.

Aromaticum rosatum Dosis dr. j. vsque ad ij.

Specierum scr. ℈ß. ad scr. j. Cordi & ventriculo.

Diamuscum dulce Dos. dr. j. ad dr. ij.

Specierum scr. ℈ß. vsque ad scr. j. Cerebro & Cordi.

Diambra Dos. dr. ij. vsque ad iiij.

Spec. scr. ℈ß. ad scr j. Vtero.

Diamargariton calidum Dos. dr. ij. vsque ad iiij. Specierum scr. ℈ß. vsque ad scr. j. Ex longo morbo consumptis.

Electuarium de Gemmis Dos. scr. ij. ad iiij.
Letificans Dos. dr. j. vsque ad ij.
Confectio Alchermes Dos. scr. ij. vsque ad iiij. Specierũ gr. iiij vsque ad viij.
} *ad tristitiam, Cordis palpitationem.*

Confectio de Iacinto Dos. dr. j. vsque ad ij.

Spe-

Specierum gran. iiij. vsque ad viij. ad febres pestilentes.

Gallia muscata Dos. gr. ij. vsque ad iiij.
cerebro & cordi, & in suffumigiis.

Confectiones aliæ ad varios affectus, sumuntur ante cibum aut mane ante syrupum.

Diatrionpipereon. S. Gal. Dosis dr. j. vsque ad ij. Specierum gr. vj. vsque ad 12. ad crulitates.

Diacuminum Dosis dr. j. vsque ad ij. Specierum gr. vj. ad 12. ad flatus præcipue ex vtero.

Electuarium de Baccis lauri, Dosis dr. j. vsque ad ij. in dolore Colico, affectibus neruorum.

Electuarium Iustinum Dos. dr. j. vsque ad ij. ad renes expurgandos.

Confectio Anacardina Dosis dr. j. vsque ad ij.

Cerebro confert ad augendam memoriam.

Trochisci de Rhabarbaro
Troc. de Absynthio
Troc. de Eupatorio
} *Dosis sc. j. vsque ad dr. j. ad obstructiones Hepatis.*

Troc. de Cappare
Troc. de Lacca
} *Dosis dr. j. vsque ad dr. j. $\frac{\text{ſ}}{\text{ß}}$. lieni.*

Troc. de Myrrha Dos. dr. j. ad dr. j. $\frac{\text{ſ}}{\text{ß}}$. prouocant menses & fœtum, & secundas.

Troc. de Spodio Dosis dr. j. ad 3. j. $\frac{\text{ſ}}{\text{ß}}$. sistunt alui fluxum in febribus.

CAP. XIV.

CONseruæ seu condita Dosim non habent determinatam. Veniunt in vsum aut per se sola, aut pro materia ad excipiendas species diuersarum confectionum.

Frigida.

Zuccarum rosatum
Zuccarum violatum
} *ad calidas distillationes.*

Diamarenata
Conserua aciditatis Citri } *sitim arcent in febribus.*
Misua simplex
Conserua Citoniorum } *astringentia.*

Temperata.

Zaccharum Borraginatum
Zaccharum Buglossatum
Conserua radicum Buglossa } *Cordialia.*
Conserua Corticis Citri
Conserua pulpa citri

Calida.

Conserua florum rosmarini qua Dianthos dicitur.
Conserua Stœchadis } *capiti familiaria.*
Conserua Betonica
Zinziber conditum } *ventriculo.*
Misua aromatica

Stomaticæ confectiones ad oris & faucium affectus colluendo, gargarizando, illinendo.

Frigida ad repellendum.

Diamoron s. Gal.
Dianucum.

Calidæ ad concoquendum & digerendum.

Diamoron compositum Gal.
Diabesasa.

Arteriacæ confectiones, quæ Eclegmata vocantur, vulgo Loch, & Sauoncæ, lambuntur ad tussim.

Frigidæ.

Diacodion s. Gal.
Loch de Psyllio } *ad distillationes acres.*
Diatragacanthum frigidum

Temperatæ.

Loch de Mucillaginibus Althea, Seminis Lini.
Loch de Farfara

Pill.

Pill. Becchichæ alba
Pill. Becchichæ Mes.
Pastæ Curtii: } *tenentur sub lingua vt liquescant, ad asperitatem arteriæ.*
Penidia
Saccharum Candum si.
Sacch. candum violatũ

Calidæ ad excreationes crassas.

Loch sanum & expertum
Diapenidion
Loch de Scyllâ
Loch de Pino
Loch de pulmone vulpis

CAP. XV.

MEdicamenta ad partes externas.

Frigida.

Balnea aquæ dulcis ad Tabidos, & febres biliosas.
Balnea Thermalia Ferrea vi
Balneum de aquis in Pisano
Balneum Villense in Lucensi } *ad roborandæ viscera.*
Balneum de Auinione in Senensi

Calida.

Balnea sulphurea & aluminosa.
Bal. S. Iuliani in Pisano } *ad scabiem.*
Bal. Rapolani in Senensi
Duccia Corsena in Lucensi
Duccia S. Philippi in Senensi } *ad caput irrigandum in distillationibus ad articulos & nerues.*
Duccia S. Mariæ in Flaminia

Olea quæ apud antiquos vnguenta appellantur.

Frigida.

Oleum violatum
Oleum rosatum completum } *repellunt.*
Oleum rosatum omphacinũ

Oleum Melinum
Ol. Myrthinum } *astringunt.*
Ol. Lentiscinum

Modice calida.

Ol. amygdalarũ dulcium
Amararum
Ol. lumbricatum } *ner-* } *Rarefacientia Anodina.*
Ol. Hyperici } *uis.*
Oleum Chamomelinum
Oleum Anethinum
Ol. seminis lini } *emolliunt.*
Ol. Liliaceum
Oleum de Absynthio } *digerunt cum adstrictione ad ventriculum.*
Oleum Mastichinum
Oleum Nardinum
Oleum de Cappare Lieni
Oleum Cheirinum.

Calidiora.

Ol. Irinum
Ol. Sampsuchinum } *digerunt capiti familiaria.*
Ol. Cyprinum
Ol. Rutaceum } *ad flatus.*
Ol. Laurinum
Ol. Costinum
Ol. Vulpinum } *vehementer digerunt, conferũt spinæ & neruis.*
Ol. de Euphorbio
Pinguedines & Medullæ emolliunt & digerunt.
Oleum de scorpionibus Mes. ad vrinæ difficultatem.
Oleum de scorpionibus comp. Matthioli aduersus venena.
Ol. ex lignis Iuniperi } *ad Thoracem relaxandum.*
Ol. ex Baccis Iuniperi
Petroleum valenter digerit, & lumbricos necat.

Balsa-

Balsamum Orientale
Balsamum Occidentale } *cerebro familiaria.*
Oleum nucis muscatæ

Aqua ardens vehiculum est cæterorum, vt penetrent in profundum.

CAP. XVI.

LInimenta & vnguenta, quæ apud antiquos Cerata appellantur.

Frigida.

Infrigidans Gal.
Vnguentum ros. Mes. } *Pectori, dorso & renibus*
Vng. Sandalinum Mes. } *in febribus æstuosis.*

Vng. Guainerii frigidum Cordi.
Vng. Populeon soporiferum in temporibus obstupefaciens ad Hemorrhoidas.
Vng. Comitissæ ad fluxus muliebres.
Vng. Defensiuum ad cohibendam defluxionem.
Vng. album
Vng. album canforatum } *vlceribus inflammatis.*
Vng. de Plumbo
Vng. Triapharmacum ad pustulas cohibendas.
Vng. de Minio
Vng. de Tutia } *cicatricem inducunt.*
Vng. de Calce

Calida.

Vng. pro stomacho
Vng. Guainerii calidum pro corde.
Vng. pectorale ad Thoracem relaxandum.
Dialthæa emollit.
Basilicon maius
Basilicon minus } *ad vlcera carne explenda.*
Vng. de Matrisylua

Vng. mundificatiuum ſ.
Mundificatiuum comp. } *ad ſordes in vlceribus abſtergendas.*
Vng. viride
Vng. Apoſtolorum
Ægyptiacum exedit putrida.

Emplaſtra quæ apud antiquos Cataplaſmata vocantur.

Frigida.

Emplaſtrum Diaphenicon frigidum Meſ.
Empl. de cruſta panis Montagnana aſtringunt, ſiſtunt vomitum, ſi ori ventriculi applicentur: ſiſtunt alui fluxum, ſi applicentur ad vmbilicum.

Calida.

Emplaſtrum Diaphenicon calidum Meſ. roborat ventriculum.
Emplaſtrum de Meliloto emollit viſcera.
Empl. de tribus farinis } *ad tumores digerendos.*
Empl. de quinque farinis
Sinapiſmus
Emplaſtrum de Thapſia } *extrahunt ex alto.*
Empl. de ſtercore columb.

Cerota quæ apud antiquos Emplaſtra vocantur.

Cerotum de Minio cocto cicatricem ad vlcera rebellia inducit.
Diachilon ſ. } *emolliunt & ſuppurant.*
Diachilon comp. cum Gummi
Cerotum de Betonica comp. } *glutinant vulnera capitis.*
Cerotum capitale Carpi
Diapalma } *ſinus glutinant.*
Barbarum Gal.
Oxycroceum glutinat fracta & luxata.
Cerotum de Pelle arietina glutinat rupta.

Arida quorum vſus inſperſo puluere, aut excepto in Melle, Sapa, Cataplaſmatis, liquoribus.

Species Epithematis cordialis frigida vel temperata.

Species

Species Epithematis hepatis frigida vel temperata inſpergiuntur aquis odoratis, vino, aceto, ad vires recuperandas.

Puluis capitalis temperatus, vel calidus, inſpergitur ad ſuturas capitis.

Puluis conſtrictiuus Gal.
Puluis conſtrictiuus Io. de Vigo. } *ad ſanguinem ſiſtendum.*

Excipiuntur albumine oui & pilis leporinis.

Trochiſci de Minio
Trochiſci Polyidæ
Troc. Andronis
Præcipitatum } *erodunt vlcera putrida: excipiuntur cum ſapa Melle, aut per ſe.*

Colliria arida pro oculis vulgo Sief appellantur, excipiuntur lacte, aut albumine oui, aut aqua roſata.

Sief album cum opio vel ſine opio ad inflammationes oculorum & pudendi.

Sief de Thure concoquit.

Sief de fellibus valde digerit ad ſuffuſiones.

Quicunque in prædictis fuerit optime verſatus magnam partem Medicinæ, & maxime neceſſariam adeptus eſt. His enim ſolis morbi propelluntur. Qui hæc optime percalluerit, aggredi poteſt curationem, etiamſi in reliquis Medicinæ partibus quodammodo rudis fuerit. Sic enim videmus multos ex plebe remedia ægrotantibus proponere, cum vires quorundam medicamentorum didicerint, & ſæpe vtiliter, imo magis, quam qui profundiorem ſcientiam tenet, ſed abſque experientra. In his enim illud verificatur, quod ſcribit Ariſt. *1. Metaph. cap. 1.* vbi inquit: Videmus expertos magis id, quod intendunt, cõſequi, quã illos qui rationem abſque experientia tenent. Cognitio enim remediorum ab experientia præcipue habita eſt. Nihil autem refert, ſiue is, qui vtitur, ſæpe expertus fuerit, ſiue acceperit ab iis, qui experti ſunt.

Cæterum remediorũ notitia apud imperitos est veluti ensis in manu stulti: nam temerarius eorũ vsus multos interimit, casu autẽ sanat. Sed ille optimus Medicus est, qui experientiã cum ratione coniunxit. Experientia in remediorum notitia consistit: ratio in vsu eorundem opportuno, quem docuit Hippocrates & Galenus, quemque nos in singulis morbis deinceps pro viribus persequemur.

Finis libri primi.

AN-

ANDREAE CÆSALPINI ARTIS MEDICÆ

LIBER II.

De Febribus Cap. I.

IGNIS potentissima res est in natura: nihil enim intra cœlum resistere illi potest. Nam aut comburit & dissipat: aut, si quæ cõtumaciora sunt corpora, emollit & liquefacit, quod si nequeat, saltem dilatando disrumpit, & in puluerem redigit: tandem etiam seipsum consumit, quod nullis contingere videmus. Corruptio enim à contrariis fit, à similibus autem conseruatio. Pendet autem hoc, quia eius natura non firma est, sed in cõtinua generatione consistit. Eget enim alimento, quo consumpto perit, altero non ingrediente. Sic senectus & ariditas in omnibus viuentibus aduenit. Est enim calor innatus ignis quidam, in corporibus viuentium inclusus, proximum animæ instrumentum, quem si contingat ab alieno igne corripi, vehementer periclitatur ne deficiat, absumpto proprio alimento. Quod Hipp. significasse videtur, cum inquit: *Hominis anima semper producitur vsque ad mortem; sin autem igne excanduerit, simul cum morbo & anima corpus depascitur.* Per animam enim significat calidum innatum, quod cœlitus ortum ducens, animæ est particeps, vt voluit Aristoteles. Hæc est febris, de qua primum agendum est. Hic est morbus, quo plurimi pereunt: omnes enim acuti per febres perimunt. Hic præ cæteris frequentissimus est. Hic præcipue requirit Medicinæ auxilia. Sed in cognoscenda eius

2. in 6. Epi.

2. Gen. an. 3

natura maxima est apud Medicos difficultas; vnde & in curatione ambiguitas. Nos pro viribus clarissimam hanc partem reddere conabimur. Reponitur Febris inter morbos vniuersales non vt Epidemius, neque vt genus, sed quia totius corporis est simul, non vt tumores & vlcera particulatim: videtur tamen esse inter particulares, quia est propria cordis: Sed à parte principe communicatur toti. Cur non Syncope, apoplexia, epilepsia, icteritia, leuco phlegmasia, quos Celsus recenset inter vniuersales? An in his morbus est solius principii, cæterarum partium per consensum, & symptomata. Sola febris per se in toto est ex corde, licet quædam symptoma sit partium inflammatarum. Vtrum sola febris inter vniuersales? videtur etiam tabes totius refrigeratio in rigore, humectatio in hydrope: & alii multi. Quidam ex cerebro, vt sopores, vigiliæ, insaniæ, conuulsiones, neruorum resolutiones, imbecillitates, tremores. Quidam ex hepate, cachexiæ, hydropes, icteritia, scabies, lepra, elephantiasis. Quidam ex genitalibus, vt sterilitas, vterinæ affectiones, morbus Gallicus, quemadmodum ex corde febris & tabes. An multa ex his sub febre continentur tanquam contrariæ affectiones, quarum eadem est scientia. Alia symptomata sunt. Agemus autem prius vniuersali ratione, quid febris, genera, differentias & causas. Postea sigillatim in singulis vniuersale intuebimur, quod pertinet ad dignotionem & curationem ex Hippocrate, Galeno, antiquioribus probatissimis Græcis, Latinis antiquioribus, non negligendo posteriores.

CAP. II.

Quid febris.

FEbris græce Piretos dicitur ab igne, aliquando simpliciter ignem vocat Hippocrates, in Epidemiis signifi-

gnificans febrem magnam, vt notat Galenus. Definitur autem vario modo, nunc per formam tantum, nunc per materiam tantum, nunc per vtrumque. Per formam tantum, cum dicitur. *Est intemperies aucto immodice calore, vt hominem offendat, & actionem lædat.* Per materiam tantum. *Est passio generis venosi.* Per vtrunque. *Febris essentia in cordis nimio calore consistit.* Iterum *est in temporiis calida per totum corpus diffusa.* Et cum dicitur, *Est calor auctus in vniuerso corpore, adeo vt lædat actiones.* Item, *est caliditas præter naturam maxime quidem in totum animal effusa, vel saltem in pluribus partibus vel nobilissimis accensa.* Breuius & exactius: *Est conuersio natiua caliditatis in igneam.* Considerandа in his primo pars formalis, deinde subiectum. Pars formalis; quamuis vario modo explicetur, idem tamen significat, seu dicatur calor auctus, seu igneus, seu caliditas præter naturam, seu extranea, vt apud Auicennam, seu intemperies calida. Quædam ex his genus remotum significant, vt calor. Quædam propinquius vt intemperies calida. At hæc quoque extra genus morbi continetur, cum reperiatur in latitudine sanitatis. Contrahitur autem ad morbum, si addatur læsio actionum. Igneus nunquam in latitudine sanitatis, sed cum sit extra genus morbi & sanitatis, contrahitur ad morbum per subiectum. Genus remotius dat tantum Quia: Propinquius in genere formalis dat propter quid, vt læsio actionis quemadmodum in ira appetitus vindictæ. At non videtur febris essentia in solo calore consistere, sed etiam in siccitate, quia febris, qua febris est, postulat humectantia & refrigerantia. Victus enim humidus omnibus febricitantibus confert. Inter simplices tamen intemperies febrem ponit Galenus, scilicet calidam in pluribus locis, vt *1. diffe. 3. 2. Meth. 7. 8. Meth. 1.* Præterea si febris qua febris esset etiam sicca, falsum esset, quod dicitur, quasdā febres esse aridas, vt quæ ex lassitudine:

quasdam

1. Acu. 18.

8. Meth. 1.

1. Cri. 7.

3. Pres. 5.

9. Meth. 14.

2. Meth. 7.

1. in 6. Epi.

29. 1. Acu.

18. & 1. Aph. 16. 1. in 6.

9. Meth. 14.

1. Aph. 16.

2. Cri. 13. in lib. contra Lycum. quædam humidas, in quibus prima die sudores copiosi, & in Quotidiana. An licet igneus calor semper exsiccet, non tamen semper in febre tanta siccitas contracta est, vt

1. ad Gla. 7. per siccitatem lædat actiones, vt per caliditatem semper facit. Victus autem humidus non solum ad contractam siccitatem facit, sed etiam ad conseruandam propriam humiditatem, vt in pueris & iis, qui tali victu vti consueuerunt, & quia facilius est impleri potu quam cibis.

2. Aph. 11. Videtur etiam febris in frigiditate consistere, vt in rigoribus tertianæ, & quand quem continuis, in quibus calor vix reuocari potest. An non repugnat calorem febrilem aliquando stare cum refrigeratione extremorum, &

2. in 1. Epi. 28. fieri intemperiem inæqualem?

Calor auctus intelligendus est non secundum quantitatē. (Nam idem gradus seruaretur auctis viribus, vnde melior concoctio fieret in febricitātibus, vt in iis, qui crescunt, & hyeme, & vere) sed secundum qualitatem

1. Aph. 14. 15. auctogradu, vnde fit caloris innati diminutio & destructio, quemadmodum in putredine: impeditenim functiones naturales. Sed hic magnæ controuersiæ & difficultates oriuntur. Prima, quomodo calor febrilis de-

4. Meteo. 1. 3. capul. 6. struat innatum? Secunda, vtrum sub febrili remaneat calor innatus aliqua ex parte? Tertia, vtrum ambo in eodem subiecto esse possint? Circa primam. Auctio secundum gradum non videtur destruere minorem, quia continet vt in numeris maior minorem. Sub febrili igitur remanebit calor innatus integer.

Amplius, si calor calori non est contrarius, sed similis, non enim differunt specie, vt Galenus testatur *in libro contra Lycum*; conseruatur igitur calor innatus sub

5. Phy 19. febrili, non destruitur. Solutio petitur ex Physicis. Nam media contraria sunt inter se ratione extremorum, vt in coloribus. Sic maior gradus caliditatis contrarius est minori non tanquam calido, sed frigido, vt color ceruleus tanquam niger flauo tanquam albo. Hoc modo gradus differunt specie ob variam proportionem extremorum

com-

componentium. Cum igitur calor natiuus sit temperatus, vt Galenus testatur, opponitur febrili vt frigidū: se inuicem igitur destruunt, quia contraria. Alio modo maior ignis destruit minorem, absumpto eius alimento. Si enim calor innatus igne exacerbatus fuerit, simul cum morbo corpus depascitur. Cum autem inter se vel de differentia præstantia; calor enim innatus virtute animæ longe potentior est igne elementari, insitus extraneum expellit, modico principio frigiditatis vtens, præcipue si accedant Medicinæ auxilia. Circa secundam, *vtrum remaneat innatus, cum igneus sit?* Non videtur, quia in mutatione non remanent contraria. Videntur tamen remanere ex effectis. Nam & putredo & concoctio fit, atque agunt inuicem igneus & innatus, præcipue in statu inter vtrumque magna pugna, modo hoc, modo illo vincente. An in mutatione ex toto non remanent contraria? remanent quodammodo, cum secundum partem. Ideo melius dicitur Conuersio in igneum, quia quod mutatur, partim est in termino à quo, partim ad quem, ob id fit partim putredo, partim concoctio; quia quasi miscentur natiuus & igneus multis modis. Tertia dubitatio. Si aliqua ex parte remanet natiuus cum igneo, vtrum in eodem subiecto? Non videtur, quia contraria sunt, atque agunt inuicem: omne autem ageus tangit, non continuum est cum eo, quod patitur. Videntur tamen in eodem esse; quia omnis mutatio circa idem subiectum fit. An vtroque modo contingit, & in eodem esse, & in diuersis? In eode quidem, si alterum ex contrariis actu sit, alterum potestate, id est vnum energia, alterum virtute, vt in aqua feruente aliena caliditas actu inest, innata autem frigiditas virtute, quamdiu aqua est. Sed contra: Si calor natiuus cum igneo remanet tantum potestate, non aget, non concoquet, non pugnabit, an non est absolute in potentia? sed in actu primo, qui potest exire in actum secundum in quibusdam per se ipsum, in quibusdam

3. capul. 6.

5. in 6. Epis.

1. Cris. 5.

1. Aph. 16.

1. dif. fe. 6.

2. Phy. 30.

busdam modico auxilio saltem ablato impedimento, vt aqua quamuis feruētissima ignem extinguit, & plumbum liquefactum coagulat, defenditque à liquefactione, quod non facit aer, quamuis actu frigidus. Expellit quoque extraneam caliditatem accepto saltem principio ab eo, quod remouet ignem. Nam quod incipit refrigerari, potentius in suam naturam reuertens, reliquas partes refrigerat, qui motus naturalis est, per principiū intrinsecum. In diuersa autem substantia vigere calidum innatum & igneum patet in tribus generibus febrium. Nam dum accensio est in spiritibus humores & partes solidæ magis integræ sunt, & è conuerso. Pars igitur integrior vitia reliquarum corrigere potest. In prædictis oritur dubitatio. Si febris est conuersio natiuæ caliditatis in igneum, non absolute ignis, non erit morbus, quia morbus non habet esse in fieri, sed in facto esse. Quin etiamsi absolute ignis dicatur, non est res permanens, nam continue fit. An omne quod sit habet aliquid facti? Nam calor est res permanens.

2. Meth. 3.

2. Meth. 2.

CAP. III.

Subiectum febris.

Subiectum proprium vtrum vniuersum corpus? Non videtur necessarium; nam satis est in pluribus partibus & nobilissimis accensam esse. Patet in quibusdam ardentibus, in accessionum principiis, in epiala, lypiria. Vtrum cor? At etiam reliquæ partes si febre laborant; ideo dicitur locus vel cor, vel totum animal. Vtrum genus venosum? nam ex principio quodam in totum corpus sparguntur. Vnde signa maxime ex vrinis petuntur. At si per genus venosum tam venæ quam arteriæ intelliguntur, vt Galenus tradit, tam cor, quam hepar erit principium. Sed Erasistratus apud Celsum voluit febrem esse arteriarum affectionem, cum sanguinem ex venis susceperint. At id semper fit secundum naturam.

1. in 6. Epi. 29.

7. Meth. 8.

An

An nullum ex his proprium subiectum dicendum est? Sed substantia calidi innati, cuius fons in corde est, ideo ex corde tantum in totum corpus per venas & arterias communicabilis est. Patet id ex definitione tradita. Est conuersio calidi natiui in igneum, & ex eo quod scribit Hippoc. Si anima exanduerit, id est calidum innatum in igneum vertatur. Sequitur enim sententiam Democriti, *qui* animam putauit esse ipsum calidum, vt patet in *libro de principiis*, qui tribuitur Hippocrati. vbi inquit, videtur sane mihi id, quod calidum vocamus, immortale esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia tum præsentia, tum futura, & quæ sequuntur. Quam sententiam Aristoteles tribuit Democrito. Patet autem subiectum proprium febris, cui primo inest, & per illud cæteris, esse calidum innatum. Cordi enim inest, quia hic fons est calidi innati: venis & arteriis, quia hæ ex corde ducunt in totum corpus: toti corpori, quia hoc viuit calido innato. Sed circa hanc sententiam oritur dubitatio. Si calor innatus in tribus substantiis reperitur, ex quibus animal componitur, in spiritu, in sanguine, & seminali humiditate, ex qua partes solidæ fiunt, vt Galenus tradit. Quod & Aristoteles confirmat, cum inquit. In corpore humor, in humore spiritus, calor animalis in toto est. Non vnicum erit in animali calidi innati principium cor, sed quot principia, tot erunt febris initia. Ponuntur autem apud Galenum quatuor principia, quibus totum animal gubernatur, cor, cerebrum, hepar, testes. Nam de hepate sic argui potest. Cum hepar insitum calorem habeat, quo sanguinem gignit, non à corde, vt Galenus vult: insitum enim inquit in sanguine & hepate calorem quendam tepidum absque calore cordis, qualis in domibus æstiuo tempore: Si hic vertatur in igneum, febris erit ex definitione tradita. Non ergo cor erit febris initium in omnibus. Simili modo de testibus; cum testes sint principium seminalis humiditatis. Si ex testibus influit calor insitus

Gal. 1. Acut. 18. 5. in 6. Epi. 5.

1. de An. 20.

1. Aph. 15. 3. Gen. an. 10.

Art. med. 9

De form. fe. 3.

1. de sem. 15.

insitus in totũ corpus, quo priuantur exsecti altera insiti caloris origine priuati: hic conuersus in igneum erit febris initium, quod ridiculum est. De cerebro autem cum autor sit spiritus animali, in quo suus calor ineſt, si vertatur in igneum, febris ex cerebro in totum corpus diffundetur. At ex cæteris partibus febris non oritur, nisi prius cor afficiatur, vt Galenus consentit. At vero si admittatur, vnicum esse fontem caloris innati cor, autorem omnium naturalium operum, astruitur sententia Aristotelis de principatu cordis, esse scilicet principium non solum facultatum omnium, sed & sanguinis, & spiritus, & seminis; amplius venarum, arteriarum & neruorum; quod acriter impugnat Galenus in libris de plac. & de semine. Pro solutione non sufficit distinctio, quam afferunt quidam, alium esse calorem insitum, alium influentem, alium mistum ex vtroque. Insitum quidem esse in toto corpore; influentem in corde. At non solum à corde influit in cæteras partes; sed à quatuor principiis proprius calor influit, vt testatur Galenus. Dicendum est igitur in solo corde calorem innatum actu esse, in cæteris partibus potestate: ideo egere calore cordis, vt reducatur ad actum calor, qui insitus in ipsis est. Ideo febris non est, nisi calor innatus in suo principio vertatur in igneum. Hoc non repugnat quatuor principiis à Galeno positis. Solum videtur repugnare quod de hepate dixit, in sanguine & hepate insitum quendam calorem ineſſe absque calore cordis. Sed hoc dixit in fœtu contingere antequam cor perficeretur. Putauit enim prius generari hepar ex venis vmbilici, quo tempore gubernari animas tantum à calore hepatis. At calor hepatis & sanguinis in fœtu geniti actu est à calore cordis matris. Alioqui sibi contradiceret. Nam alibi inquit. Calor in sanguine habetur à corde. De testibus manifestum est: nam vasa seminaria ex arteriis producuntur. Cerebrum ex spiritu vitali animalem perficit.

8. Plac. 7.

de form. fœt. 3.

2. de temp. vlt. & de eu. per sang. 5.

CAP.

CAP. IV.

Genera febrium.

FEbrium genera ſumma tria, ephemera, putrida, hectica: ex triplici ſubſtantia calidi innati, quæ complent ſubſtantiam noſtri corporis, ſcilicet ſpiritus, ſanguis, & ſeminalis humiditas, quæ ab Hippocrate ſignificantur per hæc verba: Continentia, contenta & impetum facientia; id eſt ſolida, humores, & ſpiritus. Singulorum autem generum differentiæ ex ignea qualitate tanquam à forma ſumuntur, pro caloris acredine & motus velocitate. Aliæ mordaces manu, aliæ mites. Aliæ non mordaces quidem, ſed poſt inſurgentes: aliæ acutæ, ſed à manu victæ: aliæ ſtatim valde ardentes; aliæ in totum debiles. Inter has quædam magnæ, quædam malignæ. Ex iis, quæ calorem comitantur, aridæ, ſalſuginoſæ, id eſt, cum pruritu; Penphyngodes aſpectu terribiles, id eſt, puſtuloſæ, quales in variolis, morbillis, id eſt & peſtilentibus. Aliæ tactui humidæ, aliæ valde rubræ, valde pallidæ, liuidæ, & id genus alia. Ex modo quædam continuæ, quædam interdiu tenent, nocte intermittunt, vel nocte tenent, die intermittunt. Nonnullæ ſemitertianæ ſunt, tertianæ, quartanæ, quintanæ, ſeptanæ, nonanæ. At hæc in putridis tantum conſiderantur: inſequuntur enim humorum diuerſitatem, & locum. Sed circa hæc oriuntur dubitationes. Prima. Non videntur ſtatuenda tria genera febrium ex triplici materia, quia eſt intemperies totius, & lædit operationes totius. Reſpondet Galenus, dum quædam ſunt excalfacta, id eſt accenſa, reliqua calfiunt, non eſt neceſſe omnia accendi. Exemplo vaſis aquam calidam continentis, aut è conuerſo; & follis aerem calidum attrahentis. At hoc modo morbus erit in vna materia, in reliquis paſſio. An ſatis eſt ad morbi conſtitutionem eſſe in aliqua parte affectionem permanentem, à qua læditur actio totius. Nam totum agit mediantibus partibus. Al-

8. dif. fe. 2.

8. in 6. Epi.

1. in 6. Epid. 29.

3. in 1. Ep. 2.

1. dif. fe. 1.

tera dubitatio; non videtur in spiritibus dari genus febrium. Nam ephemera in sanguine calfacto consistit, & synoca sine putredine ad ephemeram reducitur. Duplex igitur genus febrium ex materia, in humoribus & solidis. An in omni febre ardere aliquam substantiam necesse est? In ephemera solum aerea substantia pinguis ardet, non ipse sanguis, licet excalfactus sit, at non putrefactus, vt flamma baculi oleo illiti. Arsio autem humorum non contingit sine putredine, ideo putrida in humoribus ephemera in spiritibus dispositio est permanens, in sanguine passio solum. Putrida veluti flamma ex fumo baculi, hectica vt ignis carbonis. Tertia dubitatio circa putridam. Humores non possunt esse subiectum ægritudinis, quia eorum non sunt actiones, quas primo lædat morbus. Non enim concoquunt, sed concoquuntur, attrahuntur, retinentur, expelluntur. Sed virium essentia in duobus tantum corporibus à Galeno ponitur, scilicet in spiritibus & solidis. Videtur & Hippocrates vitia in humoribus ponere inter causas, cum inquit: Propter humores ægrotat corpus, quasi partium solidarum tantum sit morbus. At hoc modo neque spiritus essent subiectum ægritudinis, & sola hectica inter febres esset morbus, quia in hac sola partes solidæ sunt excalfactæ: nam in ephemera & putrida solidæ excalfiunt tantum, non sunt excalfactæ, nec habent permanentem caliditatem. An in quacunque parte corporis contracta fuerit caliditas ignea permanens, morbus dicendus est, lædit enim operationes totius. Quod autem inquit Hippocrates, propter humores ægrotat corpus, significat morbum totius esse vitio humorum, ex quibus tanquam elementis componitur: operationes enim sunt totius compositi, vt visio totius oculi, licet particulæ quædam ad receptiones colorum faciant, vt humor cristallinus quædam ad cognitionem, vt spiritus visuus, quædam vsum tantum præbent, vt membranæ: quæcunq; autem particula vitiata fuerit, oculi

1. dif. fe. 5. & 2. dif. fe. 9.

9. Meth. 2.

11. Meth. 1. & 12. Meth. 5.

1. Nat. hu. 19.

culi operationem aliqua ex parte lædit, licet non quæcunque actionem præstet. Patet autem in humoribus quoque vires esse, quamuis actionem non præstent, vt spiritus & solida. Cum enim elementa sint solidarũ partium, oportet illa quoque ad vires præstandas & mediocri quantitate & temperamento esse, vt Galenus testatur: *12. Meth. 5.*
nam & sanguis subiectum est calidi innati, quo omnes operationes perficiuntur, eumque contingit euacuari vsque ad animi deliquium. Videtur autem Galenus admittere, febrem putridam non esse morbum, cum inquit: Putridæ causas habent, quæ ipsas excitant, non he- *8. Meth. 9.*
cticæ: nam hæ & Diariæ non amplius fiunt. Cum enim morbus consistat in facto esse, vt permaneat postquam abierit causa, inter febres solæ hæ duæ morbi erunt, hectica & ephemera, quia non amplius fiunt. Respondetur, putredinem quidem humorum affectionem esse permanentem, etiamsi abierit causa; at febrem ex putredine in continua generatione esse: excitatur enim febris ex euaporatione ad cor, qua desinente cessat febris. Ad morbum autem constituendum satis est aliquam affectionem permanentem esse. Concludere igitur possumus, ignea caliditatem permanentem seu in spiritibus, seu in humoribus, seu in solidis, morbum constituere, quæ febris dicitur: nam partes sunt nostri corporis, & calidum innatum atque animam participant. Quarta dubitatio. Omnis febris videtur putrida: nam in omni corrumpitur calidum innatum ab externa caliditate, vt patet ex definitione febris. Putredo autem est corruptio nativæ caliditatis in vnoquoque humido ab externa caliditate, vt ab Arist. definitur. An in ephemera & hectica vna *4. Meteo. 1.*
cum calido absumitur humidũ vt in combustione: in putredine autem remanet humidum, vt pus, vel simile puri? Quædam inter putridas accedunt ad vstionem, vt ardentes & tertianæ exquisitæ, in quibus humores quasi in cinerem vertuntur. Ephemerã tamen putridam quidã tradunt in Anglia grassari pestilentem, quæ vnica die aut

occidit, aut soluitur. An huiusmodi non inter ephemeras censenda est? licet vnica die soluatur, sed inter *Synochas* putridas, in sanguine enim sine putredine ephemera consistit, cum putredine autem synocha putrida: Hecticam vero putridam videtur admittere Galenus, ex Athæneo asserente, omnem febrem ex putredine oriri, vbi Galenus excipit tantum ephemeras. An inter hecticas quædam sunt ex putredine solidarum partium, vt in suppuratis, & vlceribus pulmonis & in pestilentia. Nam dum pus conficitur, febres fiunt ratione humorum putrescentium: in suppuratis autem febres ex pure partes solidas putrefaciente. At hecticæ per se febres sine putredine contingunt.

1.dif.fe.5.

CAP. V.

Causæ febrium.

CAusæ à Medicis considerantur. Materialis, in quibus adest materia, vt humores in putridis, aut subiecti præparatio ad patiendum. Efficiens quod inflammat. Non forma, quia in definitione comprehensa est: non finis, quia in accidentibus non est cuius gratia. Instrumentalis, & sine qua non conditiones sunt efficientis aut materiæ, vt vestes, ciborum præparatio, diuturnitas. Quæcunque externæ aut euidentes sunt, procatarcticæ appellantur. Quæ internæ aut abditæ, antecedentes si non proximæ: Coniunctæ si simul cum morbo sint & non sint. Externæ omnes sumuntur à sex rebus non naturalibus vocatis, tam ad morbos, quam ad sanitatem inducendam. Aer ambiens, ad quem Regio, anni tempus, constitutio reducuntur. Motus & quies, somnus & vigilia, quæ assumuntur: vt cibi & potus, quæ excernuntur & retinentur: Animi motus. Eadem ad quatuor capita reducuntur, quæ sumuntur, quæ geruntur, quæ educuntur & retinentur, quæ foris adhibentur. Propensio igitur ad febres aptissima naturacalida & sicca:

Art.med. 85.

5. tuen.san. 10.

ſicca: Poſt calida & humida: deinde calida tantum, deinde ſicca tantum. Inepta natura frigida & humida, vel frigida tantum, humida tantum. Auicenna humidam præponit tum ſolam, tum & calidam: quod verum eſt de putridis, vt etiam Galenus fatetur, non de ephemeris neque de hecticis; At ſiccitas in vniuerſum ſalubrior. Num quia rarius febricitent, vt Galenus vult, acutiores tamen febres, & ex ephemeris tranſeunt in acutas ocyſſime, & poſt in hecticas. At ſi maxime propenſi calidi & ſicci, ſæpius debuiſſent corripi. An hi non niſi ob errores, vt inediam à Diatritaris inſtitutam, & in quodam anni tempore & conſtitutione ſimili. At humidi ſponte & in omnibus temporibus, ideo ſæpius; ob id ad alia deterior eſt natura calida & humida.

8. Meth. 8.
8. Meth. 2.
3. Aph 15.
3. Aph. 7.
8. Meth. 2.
8. Meth. 8.

Efficiens eſt, tum quod ſubiectum diſponit, aut materiam ſubminiſtrat; tum quod diſpoſitum inflammat. Materiam ſubminiſtrant cibi & potus. Diſponunt ad putridas humectantia, ad ephemeras & hecticas ſiccantia, vt inedia: nam quidam ſi biduo eam patiantur, febricitant, euacuationes magnæ, cogitationes, curæ, vigiliæ. At quæ diſponunt tantum, non viderentur efficere caliditatem ſine agentibus: ponuntur tamen inter efficientes procatarcticas à Galeno. Num exſiccantia calorem efficiant? prætermiſſa tamen à Galeno hæc cauſa inter efficientes caliditatem. An valde præparata materia à quocunque calefaciente accenditur: ſufficiunt ſæpe motus conſueti quamuis modici, & quæcunque caliditas intus exiſtens, vt valde ſicca in ephemeram & hecticam incidant, valde humida in putridam. Ignem efficiunt duo, ignis & motus, cum quo comprehenditur & lumen Solis. Galenus ad quinque modos reducit. Primus eſt motus tum corporis tum animi, vt exercitatio, labor, calefaciunt articulos & muſculos, inde ad cor tranſit caliditas, venus ſtatim cor & lumbos. Fluxiones in diarrhæa, catarro, ob attritionem calefaciunt interna partes. Animi motus, vt ira motus eſt ſanguinis &

10. Meth. 4.
10. Meth. 2.
1. dif. fe. 3.
1. Meteo. 4.
De ca. morb. 2.

1. dif. fe. 3. feruor circa cor. Tristitia solo motu spiritum calfacit. Secundus modus est putrefactio; nam ignis quidam est in
8. Meth. 3. materia putrescente. Tertius est calidi adhærentia, vt ignis aut solis incipit calor in capite, medicamenta externa, vt thermæ, cataplasmata. Quartus permixtio calidæ substantiæ, vt cibi calidi cum aromatibus, potus vini generosi, medicamenta. Ciborum corruptela in
8. Meth. 5. fumosam qualitatem, quæ cruditas nidorosa vocatur; accensio in his prius in ventriculo & hepate Auic. inspiratio aeris calidi in hypocausto peste. Quintus mo-
1. dif. fe. 4. dus est retentio calidi effluxus vel ob multitudinem in
8. Meth. 6. ebrietate & ciborum multitudine, vel obstruente frigo-
8. Meth. 3. re externo, in his læditur primo caput, vel poris adstrictis densata cute astringentibus lotionibus frigidis, frictionibus siccis, duris, vltione Solis, vel poris obstructis, quod si modice contingat, fit ephemera, si multum, putrida à multis crassis & viscosis. Hippocrates lib. 3. de morbis causas febrium perstringit in hunc modum. Bilis & pituita calefacta totum corpus calefacit, quæ febris est. Calfiunt intrinsecus à cibis & potibus, extrinsecus à labore, vulneribus, & à calido nimium calefacti, & à frigido nimium frigefacti: calefiunt etiam à visu, auditu, sed minimum ab his. An significat animi motus? Conjungi plures causæ possunt, vt cum densitate cutis cruditas & alia.

CAP. VI.

Ephemera.

9. Meth. 1. 9. Hist. an. 19. EPhemera appellatur & diaria, quia non vltra diem horarum 24. protenditur. Sic ephemeron animal, quia viuit in postmeridiem, & ephemeron herba Dioscoridi, quia vna die interficit, Colchicum appellatum.
9. Meth. 1. 9. Meth. 2. Est vnica accessio vno die vtplurimum circumscripta; porrigitur aliquando in plures dies, quæ synochus vocatur. Est passio spiritus absque humorum putredine.

Hippo-

Hippocrates vocat febrem non ex bile. 7. Aph. 42. Et absque inflammatione membri, nisi ob distantiam non vapor putridus ascendat ad cor, sed solus calor, vt in bubone, de quibus Hippocrates inquit. Ex bubone omnes febres malæ præter ephemeras. Etiam sic describitur à Galeno. Est sola sanguinis excalefactio, in qua spiritus incenduntur in corde. Si putrescant spiritus, vtrum dicenda ephemera? vt tradunt in Anglia. An hoc est esse ephemeræ, vt sine putredine sit, ideo sine periculo, & breuissima, quia citissime spiritus absumuntur & reficiuntur? citissime incenduntur & refrigerantur ob tenuitatem. Non videtur vbique vnica accessio. Nam quæ ex modica obstructione fit, aliquando affert alteram accessionem die tertia: & tamen continetur inter diarias. Et Auicenna testatur, ephemeram ex cruditate quandoque aduenire cum periodis quatuor vel vsque ad septem, & esse ephemeram cum pulsu sano. An accidit permanente causa effectrice, nouam materiam halituosam colligi, vt in putredine sanguinis & bilis die tertia, vnde accessiones fiant: aut vnica protendatur in maiori obstructione cutis. Ideo essentia ephemeræ non in vnica accessione consistit, neque in vna die, sed in incensione spiritus in corde absque putredine. Differentiæ pro natura subiecti in diuersis temperamentis: Ex causis prout permanent, vel non permanent, ex particula incipiente, vel capite, vel hypochondrio, vel toto: ex affectu vel sola caliditate, vel adiuncta siccitate, aut humiditate. In permanente stipatione quædam repetit, quædam protenditur, synocha appellata, cuius tres species. Homotenos simili tenore perseuerans, epacmastica semper increscens, paracmastica semper decrescens ob maiorem vel minorem efflationem & accensionem. Quædam facile in putridam transit, vbi adest humorum prauitas & maior stipatio. Quædam in hecticam, in naturis valde calidis & siccis.

2. Crisi. 13.

4. Aph. 52.

1. diff. 5.

8. Meth. 4.

8. Meth. per totum.

9. Meth. 3.

Signa, ephemeræ dignotio difficilis, nemo ante Galenũ exacte

1. Gla. 2.

exacte cognouit. Ab essentia febris: Calor auctus ægrotanti molestus præcipue in præcordiis, capite. In ephemera tangenti suauis æqualiter & sensim increscens vsque ad statum cum facili tolerantia: vaporosus in primo
2. Crif. 13. contactu vel paulo post. Ab effectis; aucta respiratio: Pulsus frequentior maximum signum in omnibus febribus Hippocrates 7. Epid. Febricula aliquando obscura, vt non videatur adesse, sed iuxta tempora pulsus o-
1. dif. fe. 7. stendit. In ephemera cum calore æqualiter increscit in
2. Cri. 13. celeritatem effatu dignam & magnitudinem, sæpius ad paruitatem in sicco affectu, frequentia deficit à proportione secundum exteriorem quietem, id est, pulsus est frequentior secundum internam quietem, quia breuior est quam externa; Systole nullo modo aut quam minimum tendit ad celeritatem, vt solet in putridis. Alibi Ga-
2. Cri. 13. lenus inquit: Pulsus exquisite seruat æqualitatem natu-
2. capul. 15. ralem & mollitiem & ordinem. An etiam secundum naturam tardior est systole?

Vrinæ coctio statim in ephemera apparet: nam bene coloratæ cum suspensionibus aut nebulis aut subsidentiis bonis. Contrario modo in putridis, ideo in iis maximum signum ex vrinis. At à calore igneo debuisset lædi coctio etiam in ephemera. An deest in hac humor concoquendus: læditur tamen coctio ciborum in ventriculo, & sanguinis in venis, ideo in initio vrinæ tenuiores sunt & albidiores. A causis incepisse à causa procatarctica recenti & manifesta, quæ ante præcesserit, signum est inseparabile ephemeræ, at non proprium. Nam
1. dif. fe. 7. putridæ & hecticæ non solum à causis procatarcticis oriuntur, sed & ab internis & abditis. A modo solutionis: Desinere post horas 24. cum sudore, aut rore, aut vapore aliquo optimo post statum; Si sequatur integra solutio sine aliquo vestigio in pulsu sine symptomatis magnis, de quibus Hippocrates in Prognosticis.

Signa diuersorum temperamentorum petenda sunt ex arte medicinali Gal. Diuersarum causarum per se patent,

tent, si æger referat; melius tamen est Medicum prædicere ex signis. Si ex motu in exercitationibus, lassitudo, calor partium, quæ laborarunt; cutis siccior quam in aliis ephemeris. Erumpunt humiditates vel calidus vapor post statum; pulsus magni. Sed si supra modum defatigati fuerint & deusti vel refrigerati, perdurat siccitas etiam cum reliquit febris, pulsus parui. Ex venere: labor & caliditas lumborum, pulsus parui, languidi. Ex commotione humorum, partes affectæ ostendunt; vt alui fluxus. In distillatione tussis, grauedo, vrinæ subalbidæ. Ex animi motibus, cum adhuc persistunt, pulsus indicat & facies. In ira pulsus magnus, vehemens, celer, frequens. In tristitia paruus, languidus, tardus, rarus. In timore recenti celer, vibratus, inordinatus, inæqualis. Postea idem fit cum pulsu tristitiæ absceedente motu, ex aliis signis inuestiganda affectio. Vrinæ in omnibus magis ruffæ. Ex ira caloris multitudo magis quam acredo, celeriter effertur è profundo, pulsus magnus. Ex tristitia, curis, cogitationibus, vigiliis, inedia: siccitas, caloris acredo magis quam multitudo, tenuitas corporis, oculorum concauitas, pulsus parui, decoloratio insolita. Si ex *Bubone*, qui non ex causis latentibus, sed ex vlcere in proximis partibus concitata fluxione ortus sit, pulsus maximi, veloces, frequentes, calor plurimus, humiditas calida post statum, mitis, minime omnium acris, facies rubicunda tumens, vrinæ subalbidæ ob defluxion ē ad inferiora. Idem in vulneribus. Nam antequam sanguis vitiatus fuerit, ex inflammatione fit ephemera. Ex Solis vstione. Cutis ad caliditatem & siccitatem magis vergit quam pulsus ad febrilem dispositionem: Calor multus statim occurrit, sitis minor, Caput veluti deuri videtur: oblectantur frigidis, squalor, oculi rubicundi & sicci, si cum plenitudine venæ in tota facie extenduntur supra modum: grauedo & distillatio, in vere magis. Si ex cruditate nidorosa labor in hypochondrio morsus ventriculi, caloris acredo, pulsus paruus. Si ex ebrietate

1. Gal. 2.

2. Cri. 13.

4. capit. 2.

1. diff. 11.

facies tumida, rubens, oculi & venæ turgentes. Si ex frigore, caput primo læditur, grauedines & distillationes, vt in deustis cum plenitudine; sed cutis non adeo cali-
8. Meth. 2. da. Si ex cute densata vt ex balneo aluminoso, exercitatus cognoscet tactu; calor primo mitis, acrior postea sentitur: vrinæ minime ruffæ: moles corporis non collapsa: oculi prominētiores humidiores: pulsus magnus. Si ex obstructione cutis, pauca euacuatio in declinatione, perdurat diutius remissio sibi similis. Synochæ pul-
8. Meth. 4. sus magnus, vehemens, turgidus: transcendit horas diariæ cum vrinis bonis & pulsu æquali: contingit in cor-
9. Meth. 4. porib. plenis bono sanguine. Ex his patet in quibus sola caliditas est, in quibus est adiuncta siccitas, in quib. plenitudo; in quibus permanet causa, in quibus non permanet. Prognostica: terminatur omnis ad salutem, nisi transeat in aliud genus. Tranſit autem potissimum, quando protrahitur permanente causa, vt stipatio, ob-
11. Meth. 6 structio, in putridam die quarta vel quinta. In calidis & siccis naturis vel ob errores diatritariorum, in hecticas
8. Meth. 4. aut febres acutas. Signa transitus: aduenire signa hecticæ vel putridæ, vnde media quædam natura videtur fieri, non habere integram quietem subsequentem. Soluitur per sudorem vel madorem vel transpiratū halituosum, per vrinam synocha per sanguinem è naribus.
10. Meth. 2.

CAP. VII.

Curatio vniuersalis.

9. Meth. 15. CVRATIO vniuersalis via diuisiua traditur à Galeno incipiens ab vniuersali, tēdens in singularia. Sed quoniam curanda sunt singularia, non est tutum curationem inuenire via diuisiua ab vniuersalibus, ne contingat morosa repetitio, aut fugiant quædam singularia, quæ sunt curanda ob innumerabilem multitudinem; sed resolutoria, quæ incipit à singularibus curandis, inuento morbo per signa postea resoluit in sua principia

cipia & causas: & singulis affectib. præter naturam seu morbi sint, seu causæ, seu symptomata, inuenit propria remedia per indicationem contrariorum, vbi nota est contrarietas, vt in febre ephemera nunc est sola caliditas præter naturam, nunc est adiuncta siccitas; nunc remanet causa quæ effecit: nunc non remanet. Nam causæ procatarcticæ quæ abierunt, non indicant remedia: sed quicunq; affectus qui remanserunt, remouendi sunt. In hectica simul est caliditas & siccitas, ideo vtriq; prospiciendū. In putrida præter febrem adest putredo, & aliquando putredinis causæ: aliquādo & symptomata grauia. Omnibus igitur aptanda sunt remedia. Vbi autem plura requiruntur, considerandum quid prius, quid posterius faciendum sit, aut secundū ordinem naturæ incipiendo à causis, aut secundum vrgentiam; prius enim succurrendum est ei quod magis vrget. Dum autem ea quæ præter naturam sunt tolluntur per contraria, simul vires conseruandæ sunt per similia recto vsu sex rerum non naturalium, conferendo remedia cum virib. ne labefactentur, pro diuersis naturis, ætate, sexu, consuetudine, anni tempore, constitutione, regione. Vbi contingat hæsitatio, adhibenda est consultatio, an agendum remedium indicatum, qua materia seu instrumento, vtrum alimentis an medicamentis, aut chirurgia? Quantum, Quando, & Quomodo. In prædictis subsistur dubitatio. Scribit enim Galenus *in libro de optima secta,* nullam indicationem sumi à morbo, sed tantum à causa, frustra igitur laboramus in tanto numero indicationum. An loquitur ad methodicos, quod verum est, quādo causa est ex iis, qua posita & ablata ponitur & tollitur morbus, vt se habet morbus ad symptomata. Cum autem in omni febre, quatenus est simplex intemperies calida, indicetur sola refrigeratio, cur Hippocrat. dixit. Victus humidus omnib febricitantib. confert, nulla facta mentione frigefactionis? An recenset Hippoc. in eo aphorismo nō remedia febriū, sed quib. hoc genus victꝰ conue-

De opt. se. 25.

1. Aph. 16.

conueniat? non enim solis febricitantibus inquit conferre; sed & pueris & iis, qui tali victu vti consueuerũt, ad vires scilicet eorum conseruandas. Quantitas autem refrigerationis in omni febre mensuranda est ex mensura caloris extranei, similiter & in cæteris contrarietatibus. Extremis enim morbis extrema remedia optima sunt, mitioribus autem mitiora. Cognoscitur autem quantitas excessus ex naturali intemperie, quæ habetur ex signis traditis in libris de temperamentis. Sed quia valde difficile est, & forte impossibile exactam quãtitatem habere, addenda alia signa, ex ætate, vita antecta, regione, cœli statu, anni tempore. Cum igitur maior sit recessus caloris febrilis in temperamento frigido, tempore, ætate, & cæteris, quam in calidis, vt colligitur ex Hippocrate, cum inquit. In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, ætati, habitui, tempori magis congruit morbus, quam cibus non congruit. Videbitur igitur magis refrigerandum esse in naturis & temporibus frigidis, quam in calidis, quia in illis maior est morbus, quod aliquando à Galeno conceditur. Hæc ratio manifestissima est in vlceribus siccandis, nam in siccioribus corporibus sicciora medicamenta adhibenda sunt. Oppositum tamen præcipit Hippocrates. Oxymel dandum in æstate frigidum, hyeme calidum. Item aquæ frigidæ potio non conuenit seni, neque hyeme, neque cui aliqua pars frigida sit. At licet in similibus naturis & temporibus minor excessus sit à pristino statu, non tamen minor à temperato. Magis autem refrigerandum est in his, quam sit recessus à pristino statu ob similitudinem causæ cum morbo. Dixit enim Galenus, refrigerandum aut vsque ad pristinum statum, aut vlterius ad melius, id est ad temperatum. At in contrariis, id est, frigidioribus naturis & temporibus satis est ducere ad temperatum, non tutum est vlterius ducere ad pristinum statum, ne forte in eo confirmetur, vnde regressus fieri nequeat. Nõ commeat ratio in vlceribus siccandis, quia requi-

1. *Aph.* 6.

2. *temper* 3.

3. *Meth.* 3. & 7.

2. *Aph.* 34.

7. *Meth.* 13.

3. *Meth.* 9.

1. *Acu.* 43.

11. *Meth.* 9.

8. *Meth.* 9.

requiritur caro similis parti. Nec similiter intemperantiæ in calido & frigido seruandæ, vt in humido & sicco. Licet aliquando ducere in contrarium affectum, non vt in eo permaneat, sed vt virga curua in oppositam curuitatem ducitur, vt reuertatur in rectitudinem. Pugnandum autem contrariis aliquando efficacioribus, vbi cito oportet mederi ad euitandum id quod peius est. Infirmioribus vbi tuto: temperatis, vbi iucunde: æqualibus, vbi cito & tuto. Si incerta est quantitas ex pristino statu, morbi quantitas ex magnitudine symptomatum colligitur; nam in peracutis extremi sunt labores, in mitioribus molliores. Quando autem refrigerandum, quædam refrigerantia conueniunt, quædam non nisi in declinatione. Sed hæc particulatim in modis refrigerandi & materia commodius ostendentur.

6. Tu. sa. 3.

9. Meth. 4. & 10. Meth. 10. 1. Meth. 7.

CAP. VIII.

Curatio ephemeræ.

EPhemeræ curatio, in qua non permanet causa, in sola refrigeratione consistit: aliquando & humectatione. Modi autem refrigerandi alii intrinsecus præstant, alii extrinsecus. Intrinsecus cibi & potus refrigerantes, sed in declinatione tantum conueniunt, non egemus in hoc morbo medicamentis. Inspiratio aeris frigidi conuenit omni tempore, hic aliquando arte parandus est in æstate.

Extrinsecus lauacra, perfusiones, inunctiones ad totum corpus in declinatione tantum. Ad partes, quæ primo læsæ sunt à causis procatarcticis, in principio, quomodo aliqua indicatio sumitur à causis quæ abierunt: singulis enim contraria remedia opponit Galenus.

1. Gla. 3.

Nim pars primo excalfacta primo refrigeranda, vt caput in deustis à Sole, pedum ablutio in iis, qui iter peregerunt, ventriculus fouendus in cruditatibus. Lumbi

in

in venere. Per se refrigerantia, scilicet quæ sua qualitate refrigerant, conueniunt ad ea, quæ per se calefecerunt, vt oxyrrhodini perfusio ad solis vstionem quocũq; tempore. Per accidens refrigerantia, quæ substantiam calidam euacuant. Duplex enim est ignis extinctio. Vna per contrarium, altera per materiæ ablationem. Conueniunt hæc ad ea, quæ per accidens incaluerunt, vt in stipatione cutis laxantia & perspiratum facientia: sed hæc non nisi in declinatione conueniunt. Euacuantia tamen quædam in principio conferunt, vt manifestum erit in putridis. Actu frigida, vbi cito refrigerare oporteat in affectu vehementiori, nisi timeatur constipatio. Potestate frigida
10. Meth. 10 tutiora sunt. Modi humectandi, vnus sola qualitate per lauacrum aquæ dulcis, & olei dulcis inunctionem. Alter secundum totam substantiam per alimenta humida & potus. Ad laborem igitur antequam febris apprehenderit, confert lauatio in aqua tepida, efficacius in frigida in æstate, at non tutum propter constipationem, hoc remedio sæpe præseruantur à febre; at in febre non nisi in declinatione, nec frigida. Ad Solis vstionem eadem lauatio totius. Sed in febre protinus ab initio sincipiti infundendum oleum rosaceum omphacinum, actu frigidum arte refrigeratum in puteo aut niue, vsque ad declinationem. Nam oleum etsi actu frigidum est: tamen
8. Meth. 3. potestate calidum cerebro & neruis vtile, in declinatione aqua calida multa capiti superfusa sanat febrem non
7. Aph. 42. ex bile, id est ephemeram: corrigit enim præcipue constipationem à frigore factam. Omnibus in declinatione tria administranda sunt, ad effluxum calidorum vaporum, quæ per accidens refrigerant, frictio, vnctio, lauatio.
8. Meth. 3. Frictio non sicca, non vehemens, pinguis & mollis ad relaxationem solum. Olei perfusio dulcis non astringentis tepidi. Trallianus hydræleo vtitur ad lassitudinem; multa requiritur in iis, qui ex siccitate laborant, vt inedia, vigiliis, curis, ira, venere, quia olei humectatio diuturnior est, minus in iis, qui ex vstione: nam facile ac-

le accēditur. Lauatio in balneo aquæ dulcis tepidæ multa in iis, qui ex vstione, & frequentior, minus in iis, qui passi sunt inediam & reliqua siccantia, quia digerit. Non lauandi, qui ex frigiditate cum grauedine & distillatione ante maturationem. Iterum vngendi post balneum, vt perseueret humectatio, & auferatur noxa refrigerationis, nam post balneum adhibenda frigidæ perfusio ad vires recreandas & cibus. Victus autem humidus in omnibus ad custodiam humidi naturalis, & vt facilius permeet, similiter post inediam: frigidus, vt pugnet aduersus morbum. Quod remedium in calidis & siccis naturis, ne transeant in hecticam vel febres acutas. Ex balneo statim aquæ potio, ptisana, in æstate & calidis naturis actu frigida, vel halica, post paruum interuallum cibi in adustis magis refrigerantes, vt pisces, caro hædina, gallinacea, in vigiliis, inedia, animi perturbationibus & reliquis siccantibus humectantes magis, ad somnum adiecta lactuca semine papaueris, violis. In defessis & venere, quæ multum nutriunt, & sæpius, auiculæ montanæ. Caro suilla, oua sorbilia. In potu vinum aquosum omnibus vtilius quam aqua ad spiritus reficiendos, & excretiones promouendas, præsertim in vigiliis, nam somnum conciliat, nisi adsit dolor capitis & pulsus temporum. At Hippocrates prohibet vinum in calidis naturis siue cum febre, siue sine febre, sed iis refrigeratio aquæ potus, quies. Galenus assuetis concedit aquæ frigidæ potum, vbi multum superat caliditas, quod non contingit sine siccitate, quibus in sanitate non conuenit vinum, tanto minus in febre. Nam alioqui Hippocrates concedit vinum in acutis.

1. *Aph.* 16.
2. *Acu.* 28.
1. *Gl.* 3.
4. *in* 6. *Epi.* 13.
8. *Meth.* 3.
3. *Acut.* 7.

CAP. IX.

Curatio ad causas permanentes.

Si in ephemera permanet causa, auferenda illa est, ne protrahatur, aut tendat in aliud genus febriū. Permanere

nere ſolet in cruditatibus, in bubone, vulneribus, cutis denſitate, obſtructione. Ad cibos corruptos, quamdiu in ventriculo ſunt, euacuandi per vomitum ex aqua tepida, quo remedio nihil præſtantius Tralliano, & Aetio, nam eluit, propellit inferius, diſtribuit, aperit, ſpiritum ſiccum temperat. Sed Galenus *8. Meth. 5.* exhibet diatrion pipereon ſimplex, vt cibus deſcendat, nam ſatius eſt quam aſcendere, vt qui corrigi poteſt, corrigatur, Trallianus refellit vt reliqua calorifica: conuenire in cruditate ex frigore, quod & Galenus confirmat *4. de tuen. ſan. 3.* An confert etiam ad diſſoluendos corruptos vapores, & citam facit diſtributionem, vnde coctio perficitur, ſi fuerit in ſuperioribus inteſtinis. Poſtea ventriculus & totus venter roborandus multum calidis non tepidis diutius perfundendo ex oleo abſynthii, nardino, ne abſynthium nidore offendat, tingitur feruente aqua. Trallianus vtitur oleo melino ad cauſam calidam: Idem Galenus cum vritur ventriculus. An curatio intemperiei, cuius vitio oritur cruditas, non in febre adhibenda eſt, ſed per ſanitatem. Cum cibus deſcenderit, quod tactu cognoſci vult Galenus, ſi ſponte non fluat aluus, irritandum glande aut leui infuſione ex melle, aqua & oleo. Aetius decocto furfurum, ſi morſus adſit, iniectio ex oleo dulciſſimo, in quo liquatum ſit aliquid ſeui anſerini vel Gallinacei, vel Caprini, vel Ceræ elotæ. Si flatus adſint, ex oleo in quo Ruta & ſemen apii, Cumini, ſiſonis. Poſt nutrire protinus cauendo aſtringentia. Victus tenuis Aetio, Ptiſana. Trallianus exhibet offam panis imbutam in aqua calida bis vel ter, in qua prius incoctum Apium aut Coriandrum, non vinum, niſi vires imbecillæ. Poſtero die lauandum, ſi plane deſiit febris, ſin ſatis eſt fouere ventriculum. Tertia die lauandum, etiamſi plane non deſiit febris, ſi noctem præcedentem quietam habuerit. Si vero febris perſeueret, ſignum eſt putredinis ex obſtructione, vt in cruditate ex frigore. Si ſponte aluus fluxerit, leuior eſt affectus. Si ſolum quæ corru-

8. Galat. 45

7. Meth. 4.

8. Meth. 3. & 6. tu. ſa. 3.

8. Meth. 5.

corrupta sunt, euacuata fuerint, lauandus in declinatione, & nutriendus: Sin multa inanitio, auget febrem motu, cibandus est, non lauandus. Ventri prius consulendum dum adhuc fluit, perfusione optimi & recētis Melini, vel mastichini adiecto modico vino Aet. & cingere penicillum imbutum. Si cinctum non ferat, ceratū adhibendum, addita cera Tyrrena, vel efficacius addito *flore labruscæ*, hypocistide, Balaustiis Palmarum carne. Nos fomentum adhibemus incoctis rosis, flore labruscæ, malis coroneis in aqua & vino. Cum cessauit fluxus perfundere ex oleo Absynthii: Vrgente morsu cingendus penicillus ex purpura, imbutus Nardino & aliis odoratis, vel siccus abunde calidus aut cæratum imponēdum ex Nardino, Aloe & Mastiche. Trall. reprehendit calorifica, solum Melino vtitur & Balneo. Victus existente fluxū polenta, id est marina hordei tosti, & panis cū modico aceti in aqua feruente vel succo granatorū, pyrorum, malicotonei, vel decocto eorundem & myrtillorum: Diacitonium. Cum desiit fluxus, Halica pisces laxatiles, testiculi gallorum, fructus austeri: Vini austeri modicum. Balneum cum desiit febris. *3. Acut. 59.*

Ad Bubonem: inflammationis curatio, & prius vlceris, cuius occasione defluxio ad inguina orta est. Tollenda est vlceris inflammatio repellentibus non ad inguina, sed relaxantibus ex oleo amygdalarum dulcium. Venæ sectio, ne aucta inflammatione fiat putrida victus tenuis, non vinum. Lauatio in declinatione. *8. Meth. 6.*

Ad vulnera, ob inflammationē primo fit diaria, post putrida prohibenda inflammatio venæ sectione, si non satis profluxit ex vulnere. Victus tenuis: Potus aquæ frigidæ in æstate, at præsente inflammatione tepidæ Celsus. Super vulnus quoq; lintea imponit ex aqua frigida, vel tepida vbi inflammatio, nam citius suppurat. Licere vulnus curarē sine peregrinis & conquisitis & compositis medicamentis, ex aceto, vino, aqua. Hodie vtuntur rosaceo ad prohibendam inflammationem. Non balnea. *1. Gla. 3.*

3.Meth. 2. Ad constipationem cutis indicatur laxatio, & aeris effluxus temperatio. Laxant modice calida & humida, balneum temperatum aquæ dulcis: olei dulcis perfusio, frictio modica, crebra lauatio & diuturna non frigida, nisi in fine: non abstinentia lauationis, non frictio vehemens, nullum astringens. Temperant acres vapores cibi, qui dulces succos efficiunt, non viscosos, ne extremis meatibus hæreant, ptisana, halica cum modico aceti ad distributionem, vel liquidior incocto porri modico, anetho, sale, panis optimus, pisces saxatiles, perdices, gallinacei, phasiani, auiculæ montanæ: parcius nutriendi, nam victus tenuis optimus. Vinum, si non adsit cutis astrictio, neque plenum corpus. Existente plenitudine parcius alendi sine vino. Conuenit euacuatio per venæ sectionem, quia timetur morbus magnus, & purgatio prauorum. Existente distillatione & grauedine ob frigiditatem non lauandi ante maturationem, sed vngēdi: Maturantur calidis sinciputi impositis: vnguentum irinum, nardinum, oleum nucis muscatæ. Hippocrates aquam calidam multam capitiaffundit. An efficacius incocto chamæmelo, Fænugræco, Meliloto, sequatur autem vnctio.

11. Gl.2.

8. Meth.3.

7. Aph.42.

Ad cutis obstructionem, apertio meatuum de obstruentibus, at impingunt magis, nisi præcedat euacuatio. Conuenit venæ sectio, etiamsi plenitudinis signa nō adsint, si vires valent, plus minus pro magnitudine obstructionis & virtutis. Si non adsit plenitudo nec Auicenna nec Trallianus venam secant, vel parcius, sed post aliquam extenuationem purgandi. Deobstruentia humores poris infarctos abhibenda paulo post euacuationem. Attenuantia, incidentia & abstergentia intus in cibis, ptisana mulsa, Apomeli, saccharum, inter medicamenta, oxymel, optimum in febribus, non acria, vt calamentum, origanum, serpillum, hyssopum, apium, quia febres incendunt. Oxymel tamen non conuenire inquit Trall. vbi incrassatio à siccitate facta est. Extrinsecus ante

8.Meth.4.

acces-

acceſſionem tertii diei per horas tres vel quatuor, ſi minimum febris relictum ſit, neq; adſint ſigna putredinis. In balneo prius vngendum,& moderatiſſime fricandũ, mox detergendum & abluendum,ex farina erui,hordei, fabarum, iride,panace,ariſtolochia,nitro,aphronitro, ſapone,ex mulſa aquoſa,vel meraciori,vel melle,cum exigua aqua, vt ingredi poſſit in exiguos meatus. Trallianus animaduertit, obſtructionem ab exſiccantibus factam non nitro, neq; aliis ſiccantibus,ſed frigidis & humidis abſtergendam eſſe fricata cute cum ptiſana. Poſt balneum offerendi aqua incocto apio, ſin tardius expectatur acceſſio, ptiſana. Tranſacta hora ſuſpecta iterum lauandus & cibandus. Si acceſſerit ſine ſignis putredinis, ac minor, iterum lauandus quarta die & cibandus cum ſpe, vt in quinta nihil ſit venturum,quia obſtructio mediocris ſuperata eſt. Si magna acceſſio, ſignificatur magna obſtructio ad putredinem pertinens. *8. Meth. 4.*

Synocha curatur à Galeno miſſione ſanguinis vſq; ad animi defectum tertia die, cum ſemper febris increſceret cum periculo, ne in quarta die tranſiret in putridam. Subſequutus eſt vomitus, in aliis alui deiectio,aut ſudor, & ſomnus. Viſa eſt iugulari febris. Poſt venæ ſectionem ſola ptiſana nutritus eſt. An tutius, ſi ſecunda die venam ſecaſſet,& parcius ſanguinem miſiſſet,& potu refrigerante aquæ hordei & ptiſanæ modico vſus eſſet,& inclinante febre, baleno cum abſtergentibus prædictis. *9. Meth.4.*

CAP. X.

De hectica.

HEctia dicitur, vel quia fixa eſt, vt habitus ἐν ἕξει difficile mobilis, cui opponitur ſchetica ἐν χύσει, vt diſpoſitio,quæ facile mouetur. Vel quia in habitu corporis ſita eſt, id eſt, in partibus ſolidis, cui opponitur ephemera & putrida. Eſt vna febris continua,vt ſynocha. Eius tres ſpecies. Vna hectica proprie appellata. Altera tabida. Tertia media,ex triplici humiditate partium *1. dif. fe. 7.*

1. dif.fe.9.

solidarum, scilicet Rore, quo partes nutriuntur in quo prima species: altera congelata in carnem & pinguedinem, in qua consistit media: tertia glutinata in partes albas, vnde gluten appellatur, in qua tabida sita est.

7. Meth. 6. Quartam alibi addit Galenus: sanguinem in exiguis venis & arteriis contentum, vnde ros spargitur in partes minus alteratus quam ros, magis quam qui in venis latiorib. Ideo pertinet ad humiditatem solidarum parti ũ. Auicenna hunc absumi inquit in febribus putridis, ideo pertinere ad putridas, vnde sequitur extenuatio per accidens, vt recentiores vocant. An in putridis etiam ros & pinguedo & caro totius corporis absumitur? at non

De Marass 3. Temper. 2. & 1 fac. nat. 11. in corde, vt contingit per febres hecticas. Nam absumptio in hecticis incipit ex corde. Cum igitur nutrimentum apud Hippocratem in libro de alimento, vnum sit quod nutrit, id est apponitur, alterum quasi nutrimentum, tertium futurum nutrimentum. Si pro diuersitate humiditatum diuersæ species hecticæ statuantur, alia erit in nutrimento proximo, alia in remotiori, alia in albarum partium, alia in carnis aut pinguedinis. An vnica est febris continua ab initio vsque ad finem temporibus distincta? principio, augmento, statu. Principio depascitur propriam humiditatem partium, qua nutriuntur, qui veluti ros est, & sanguis in exiguis venis. Hinc transit ad carnosum genus, quod circa fibras est, vnde sicciores redduntur. Vltimo solidas ipsas depopulatur. Quandiu est in principio, schetica dici potest, quia facilis curatu. Hæc sine siccitate esse potest. Nam primo fit veluti efferuescentia humidi, quo partes nutriuntur; deinde sequitur efferuescentium consumptio quædam, qua in longum protracta similares particulæ sicciores redduntur, in quo febris media inter tabidam & hecticam. Vltimo exquisite tabida incurabilis, cum nihil ex tali humiditate supersit. Sic hecticæ febres sæpius sine siccitate sunt, cum non transmutantur in Tabem. Nam Tabidæ proprium est siccitas. Media, quæ in

10. Met. 11 1. Diff. 9.

augmen-

augmento est, multam latitudinem habet prò maiori & minori siccitate, ideo magis & minus curari potest. Vocatur hæc Marasmodes, cum paulatim transit in Marasmũ, colliquans, cum sensibiliter defluit humiditas in febrib. acutis. Vt autem initio aliquando est sola caliditas, sic aliquando in fine est sola siccitas, quæ Marasmus appellatur, & senium ex morbo. Alia distinctio traditur à Galeno ex affectu. Exsiccatio quædam ex febre deurente fit, intemperies calida & sicca: quædam post febrem, senium ex morbo intemperies frigida & sicca, quæ & hectica senectutis appellatur: quædam mixta ex calido & frigido, sincoposa vocatur. Philippus putauit in omnibus adesse calorem febrilem, quem refellit Galenus. At quomodo cum febre est cordis frigiditas in sincoposo? In quibusdam sudor frigidus, spiratio frigida, pulsus paruus & tardus in principio accessionis. An substantia calidi innati imminuitur, dum siccatur à calore febrili, & refrigescit, ideo nequit diffundi, vt flamma exigua, hinc syncope. In prædictis oriuntur dubitationes. Prima, siccitas albarum partium nõ videtur incurabilis, quia dum viuunt, alinecesse est omnes partes, ergo restituitur deperditum etiam in membranis, fibris & ossibus. Quod patet *in fracturis*. Nam oborto callo glutinantur ossa, & *in vlceribus* cauis renascitur caro non sine fibris sentiens. Galenus vidit etiam venas renasci. Hinc forte proditum à quibusdã impediri posse senectutem. An ratione materiæ non esset impossibile? affluente continue alimento, vt in flammis perpetuis, sed ratione virtutis concoctiuæ ob siccitatem labefactatæ nequit assimilari; præcipue quia longiori alteratione egent, vt humidus sanguis in duritiem albarum partium transeat. Hinc senectus humidis excrementis abundat, & tabidis inflantur pedes, & aliquando hydropes nascuntur. Altera dubitatio. Si quantitas solidarũ partium postquam ad perfectum incrementum peruenerint, par semper manet, vt testatur Galenus 11. Met. 1. non absumentur in hectica, neque

De Marasm. 5. & 6.

1. de Som. 13.

De Mat. ra. 2.

3. fac. nat. vlt.

reficientur. In eodem igitur statu permanentes non tendent in senectutem, neque dabitur tertia species hecticæ in fibrosa substantia. An singulis etiam solidioribus
10. Meth. 11. sua caro est & suus ros, qui continue deperditur & per alimenta reficitur, quamdiu potest, at non semper potest, quia ex alimento remanet terrestrior pars, quæ difficilius absumitur, vnde per ætatem corpora continue exsiccantur, & perfecto augmento par quantitas permanet. Non igitur per hecticam absumitur gluten, vt vocant, solidarum partium, sed earum ros & caro, alioqui in cinerem conuerterentur. Videtur tamē id concedere Galenus exemplo fomitis lucernæ exusti, nam frangitur & amictit continuitatem. An in marasmo perfecto id cōtingit: non in eo, qui fit, de quo agit Galenus in libro de marasmo inter affectus corporis viuentis.

1. dif. fe. 8.

Causa materialis est cordis substantia, vnde in totum
3. Præf. 7. corpus. Præparatum est valde calidum & siccum. Efficiunt non solum calefacientia, sed & siccantia, vt inedia, curæ, cogitationes, animi motus, febres aliæ, tam ephemera, quam putrida, præsertim deurens, vel diuturna, pestilens. Imo nullam hecticam in primis diebus fieri
2. Crisi 13. testatur aliquando Galenus, sed succedere aut ad ephemeram, aut ad putridam, quod videtur rationi consentaneum. Accendi prius tenuiorem substantiam, vt spiri-
1. Dif. fe. 7. tus, deinde humores, vltimo solidas partes. Alibi tamen testatur, se vidisse hecticam incepisse, licet raro, ob ma-
1. Dif fe. 9. gnam præparationem in valde siccis propter excandescentiam, & in vehementi tristitia & diuturna, cuius ortus similis ephemeris non potest exacte cognosci prima die. Quod non est præter rationem, quia sanguis ob humiditatem tardius accenditur, & in valde siccis minus pinguedinis inest, cuius exhalatio in sanguine ephemeram excitat; in partibus autem solidis exsiccata superflua humiditate facilius ignis concipitur, vt in lignis aridis. Manifestum autem est, non incipere posse tabidam, nisi prius fuerit, quæ media est; neque hanc, nisi

prius

prius fuerit ſchetica, aut alia febris, quæ ſimul exuſſerit ros. Excitãt præterea hecticam viſcera propinqua cordi, cum inflammata fuerint, præcipue eryſipelata vel tantũ ſiccata, ventriculus; pulmo quamuis maxime propinquus, minus hecticam communicat ob viſceris humiditatem & reſpirationem refrigerantem, at eius ſuppuratio maxime, & vlcera, communicatio autem cordi fit per partes ſolidas, non per ſanguinem & ſpiritum, vt reliquæ febres. Ex colica paſſione diuturna; ex diarrhæa, lienteria, ex gonorrhea, quæ trabes dorſalis ab Hippocrate dicitur; de locis in homine; & de Internis affectionibus, & 2. de morbis. *De Maraſ. 7. 7. Meth. 4. 2. Prog. 60. De Maraſ. 7. 1. Oit. ſe. 9.*

Senium ex morbo oritur ex permutatione febrium remediis refrigerãtibus vehemẽtioribus, aut diuturnis tempore non congruo, quando vires imbecillæ. Corde immodice refrigerato, ſi humorem innatum ſeruet, fit virtutis caſus, ſi ſicceſcat, fit ſenium ex morbo. Si ex parte febris dimiſerit, fit ſincopoſus, in quo cum vehemens diſcrimen euaſerit, remanent diutius reliquiæ affectus. *De Mar. 5.*

Signa hecticæ ſolius, febris continua ſine vlla accenſione ſibi ſimilis, non creſcens nec decreſcens. Augetur tamen poſt cibum vna hora duabus vel tribus, noctu quoque, vt calx affuſa aqua. An hoc verum in progreſſu ob multam ſiccitatem? Non magna vlla hectica, calor ſecundum thoracem magis, vt putrida; ſecundum hypochondria primo tactu mitis, poſt acris, mordax, aridus. Arteriæ calidiores circumſtantibus, deprehenditur poſt lotionem tactu, reliquis refrigeratis & pulſu ſimili, quod maximum indicium. Pulſus in initio ſpeciem adhuc communẽ habet cum diariis, ideo ex eo non facile cognoſcitur, poſt biduum facile: celeritas maior quam magnitudo & frequentia, nam quies tam interna quam externa non multum mutantur, vt in putrida: paulatim tendit ad imbecillitatem, paruitatem & celeritatem. Vrina ſimilis naturali colore & *3. Praſ. 3. 2. Prog. 60. 3. Praſ. 4.*

sedimento, in progressu supernatant oleosa, & sedimenta farinæ similia, quod signum colliquationis. Prima
2. Prog. 28. species si cum putrida fuerit coniuncta, difficillime co-
1. dif. fe. 9. gnoscitur, sin sola, non difficile. In prima die omnia signa ephemeræ, in die sequenti augetur ariditas, non caliditas. Tertia die non repetit, non aucta euidenter non diminuta, si fiat error, cito transit in tabidam.

Secunda species est, si ægrotans non percipiat febrem, significat enim confirmatam esse in habitu. Nil autem
De inæq. prohibet sentire alterationes ex cibo. Ariditas manife-
inte. 4. & sta, pulsus imbecillior, minor, celerior, frequentior, du-
3. Præs. 3. rities quædam, pulsus hecticus appellatur, cum perseue-
De pul. ad rat sibi similis, in diastole, systole, & quiete. Colliquatio-
Ti. 8. nes euidentissimum sunt signum.

1. dif. fe. 9. Tertiæ speciei signa sunt manifestissima; oculi immodice concaui, sordes in iis sicca & squalor, ossiū eminētiæ conspicuæ. Flos vitalis caloris extinctus. Cutis vniuersa arida præcipue frontis digitis apprehensa consistit. Præ-
3. dignos. cordia vehementer contracta, vt videantur carere inte-
pul. 8. stinis. Pulsus sentitur sub ventriculo in omnibus extenuatis.

De Mara. 5. Senii ex morbo, pulsus paruus & rarus. Syncoposi frequens & paruus cum syncope.

10. Meth. 20 Prognostica patent ex dictis, quæ incurabilis traduci potest in menses & annos.

CAP. XI.

Curatio ad causas permanentes.

CVratio solius hecticæ, cum non adest febris putrida, aut alia causa, vt pus in thorace, aut vlcus pulmonis, quæ partes corrodendo calorem cordis communicant, tota consistit in refrigeratione & humectatione. Sed in principio magis refrigerandum, in processu magis humectandum, quo magis augetur siccitas, & minui-

ruitur caliditas, adeo vt cum sola siccitas adest, solis humectantibus vtendum, aut etiam calefacientibus, cum Marasmus contractus est, frigidus, & siccus. Refrigeratio non per accidens euacuata materia calida, vt in ephemera & putrida, sed per se contrariis, aquæ frigidæ potu statim in principio pro febris vehementia, & virium robore. Non licet in progressu vbi vires ob vehementem siccitatem redditæ sunt imbecillæ. Exhibenda aqua fontana plane gelida, quoties nutritur mensura duorum cyatorum aut trium, non ferunt simul multam. Ptisanæ cremor actu frigidus, at non pura frigiditas vt potus, ne offendatur ventriculus. Mensuram docebit æger. Halica panis cum frigida dilutus, fructus æstiui, olera. Non mulsa. Auicenna exhibet diluculo trochiscos de camfora, de violis cum syrupo acetoso. In ortu solis aquâ hordei cum cancris aut cum iuleb violato, aut succo granatorum. At Galenus nullum astringens, apud somnum. Mucillago Psyllii, sy. de papauere. Inspiratio aeris frigidi & humidi in domo subterranea, sed perflata & aspersa aqua, transfusa fonticulis, ad Septentrionem spectante, sparsis rosis, capreolis, ruborum summitatib. lentisco & aliis virentibus. Non turba hominum halitu calefacientium; stragula tenuia pro constitutione temporum. Exterius thoraci, circa cor ceratum ex cæra & rosaceo triplo aut quadruplo, cum aqua frigida & aceti parum, quod infrigidans Galeni vocatur, linteis aut foliis vitis imponendum, muteturque cum incaluerit. Lenticula palustris per se, succi oxalidis, oxylapathi, portulacæ, semper viui, agreste cum polenta, herbæ tusæ polygonum lactuca, solanum. At non diutius, quæ in erysipelate imponi solent. Balneum aquæ dulcis non calidũ digerens, sed primo tepidum, post frigidum magis minus pro viribus. Valde extenuati non sufferunt frigidæ occursum, satis est post tepidam superfundere paulo frigidiorem. Aut substentatum in syndone mergere prius in tepidam ter vel quater, semel in frigidiorem breuis-

10. Meth 5. & de Marasm. 6.

10. Meth. 11

7. Meth. 6.

10. Meth. 10

simo tempore; inde mutata syndone reponendus in lectulo, leuiter abstergendus spongiis aut linteis, vngendus & nutriendus. Auicenna stratum parat ex corio instar vtris aquam continente. Sunt qui lectulum suspensum dimittant in puteum prope aquam in æstate. Hu-
10. Meth. 7. mectatio longiori tempore eget, quam refrigeratio, ac minus periculosa est. Nam intemperies calida & frigida
7. Meth. 5. facillime curantur, difficilius humidæ, difficillime siccæ. Differentia est pro natura humiditatis deperditæ. Siccitas enim senilis incurabilis est; carnes colliquatæ cū difficultate restituuntur, ros facilius, qui in exiguis venis, facilime. Non nisi alimento, vt alimento repleantur, relaxandi meatus exigui ob siccitatem, balneis & inunctionibus, quæ sola qualitate humectant. Alimentum in vehementiori febre, ptisana, halica, panis ex aqua frigida, olera, fructus; in mitiori & sicciori, cum diutius traxerit, lacasininum cæteris frigidius, humidius ac tenuius, citius pertransit, minus coagulatur in ventriculo, minus corrumpitur. Muliebre magis amicum, ca-
7. Meth. 6. prinum astringentius, ouinum pinguius, vaccinū crassius, magis nutrit: hoc concedit Auicenna extracto butyro. Mensura initio cyati, obseruando num corrumpatur in ventriculo, quod contingit ob acutiem febris; nam inimicum febrientibus, caput dolentibus, apud Dioscoridem. Deprehenditur corruptio ex pulsu simili iis, quibus os ventriculi affligitur, alioqui maiores & valentiores. Defenditur à corruptione & coagulatione pauxillo salis, aut mellis, quæ alioqui inimicissima, aut saccharo, syrupo violato. Augenda lactis mensura singulis diebus dimidio cyato vsque quo non grauet. Lac in diluculo, ptisana in prandio, reliqua cibaria vesperi; nam ter in die nutriendus post balneum interuallo quinq; horarum. In cœna igitur conueniunt iura & carnes, pisces saxatiles, oua cum lacte, incocta lactuca in iure, aut intubo, acetosa. Inter fructus Melopepones, an-
7. Meth. 4. guriæ, cucurbitæ, cerasa, mala dulcia, persica, pruna,

caseus

caseus mollis non salitus. Auic, Melca & Aphrogala Gal. cancri decocti in lacte vel aqua hordei. Non vinum nisi in tabida, marasmo & syncope. Hodie vtuntur stillatitio ex cochleis.

Ad senium ex morbo, iura carnium, oua sorbilia, lac cum melle, vinum, cerebella, testiculi, carnes porcinæ, testudines, cochleæ, cammari, conchilia. Auicenna clysteres adhibet ex capitibus & pedibus, & cicere, & tritico vehementer decoctis, item ficubus siccis & chamæmelo oleo sesamino. Conueniunt frictiones relaxantes ex oleo amygdalarum dulcium. Item oleum ante cibum sumptum cochlearibus. *7. Meth. 6.*

Si coniuncta fuerit febris putrida, prius illa curanda est tanquam causa, cuius remedia dicentur in putrida. Idem si affuerit suppuratio aut vlcus pulmonis, quorum curatio petenda est ex morbis thoracis.

CAP. XII.

Putrida.

PVtrida febris est, quæ ex humorum putredine nascitur, ascendente ad cordis ventriculos vna cum calore, putrida fuligine, quasi putredo non in corde primum accendatur. Sic differt ab ephemera ex bubone, quia calor tantum, non putrida fuligo ascendit ab hectica ex visceris inflammatione, quia cordi communicatur non per fuliginem, sed per partes solidas, nō ventriculis, sed substantiæ cordis. Idem in suppuratis & phthisi. Putrida fuligo non semper febrem affert, vt in vteri suffocatione, syncope, venenis quibusdam: ascendit enim sine calore. Videndum primo communiter, quid putredo apud Medicos, causæ & putridarum genera? *1. diff. 5.*

Putredo definitur ab Aristotele. Est corruptio propriæ & naturalis caliditatis in vnoquoque humido ab aliena caliditate, vt ambientis. Cauillantur recentiores, non omnem putredinem corruptionem esse calidi natiui, *4. Meteo. 1.*

quia

quia putrescit aqua & terra, quibus non inest calidum natiuum aut humidum. Soluunt quidam duplicem esse putredinem, vnam mixtorum, quæ definitur, alteram elementorum, cum recedunt à natura, quam intellexisse Aristotelem putant, cum inquit, proprie dicitur putrefactio in iis quæ secundum partem corrumpuntur, cum separantur à natura. Nam terra, aqua & aer putrescunt, excepto igne, quia omnia hæc materia sunt igni. Interpretantur secundum partem, quia non secundum totum corrumpuntur, vt mixta. Eandem porro esse putredinem humorem in febribus putridis. At Aristoteles ad comprobandam definitionem aliatam affert exempla putredinis elementorum, cum inquit: Paucam aquam facilius putrescere quam multam, sed coagulata & frequentia minus. Præterea cur proprie putrefactio de elementis dicitur, non de mixtis? Cur ignis solus excipitur? cum & ipse recedere possit à natura. An non duo genera putredinis ponuntur, sed vna tantum, quæ definitur. Secundum partē corrumpi patet magis in elementis, cum recedunt à natura per putrefactionem: non enim desinit ex toto esse terra, aqua, aer, cum putrescunt. Minus patet hoc in mixtis, quia per putredinem tollitur magis forma mixti. Definitur igitur putredo proprie dicta, corruptionem esse non secundum totum, sed secundum partem, quia corrumpitur solum calidum natiuum, non humidum, quod præualet in putredine, & dominatur, oppositio modo quam in generatione, quia in generatione qualitates actiuæ dominantur passiuis: in putredine autem passiuæ dominantur. Differt autem à corruptione simpliciter, quæ communiter putredo dicitur; quia corruptio est mutatio totius in totum; putredo autem secundum partem, id est, calidi natiui. Nam combustio corruptio est non solum calidi, sed & humidi, quod simul cum calido absumitur, relicto cinere, vnde potius est remedium putredinis. Competit autem definitio dicta non solum mixtis ex quatuor elementis,

sed

sed & quomodocunque mixtis. Nam terra ab humiditate aquæ & aeris vindicari nequit, aqua & aer à terræ exhalationibus. Quo autem simpliciora sunt, minus putrescunt, vt liquores stillatitii, & terra combusta. Solus ignis non putrescit, id est, quælibet materia ignita, quia vinci nequit ab aliena caliditate ob excessum. Nam & cõgelata, vt nix, minime putrescunt, licet in materia putrescibili consistant.

Exhalatio fumosa, quæ elementum ignis constituit, non vindicatur à putredine; nam aer quidam est alienorum receptiuus, quemadmodum oleum & sulphur indicat fœtor. Differt putredo à cruditate ob frigiditatem, quia efficiens non est externa caliditas. Gangræna per extinctionem calidi natiui non putredo, sed via in putredinem, vt occisorum cadauera, simili modo senectus. At inanimata per putredinem tendũt in corruptionem. Apud Medicos putredo aliter definitur, scilicet à fine. Est mutatio totius substantiæ corporis putrescentis ad corruptelam à calido externo. At re non differt. Per totam substantiam intelligitur præcipue materia, quæ mutatur ad corruptelam, id est fœtorem ex 5. simpl. 15. cum inquit: Non quodcunq; corrumpitur, putrescere dicitur, sed quibus id cum fœtore accidit, & Aristot. inquit, finis putredinis marcedo. *11. Meth. 3.*

Accidit autem ob causam ab Aristotele assignatam, quia passiuæ qualitates dominantur actiuis, vnde fœtida exhalatio; per concoctionem autem odoris suauitas, vt in fructibus. In febribus putridis vtrum definitio putredinis conueniat? Non videtur, quia aut omnis febris esset putrida, cum in omni corrumpatur calidum innatum seu in spiritibus, seu in humoribus, seu in solidis ab externa caliditate, vnde fluxisse videtur opinio Athænei, aut nulla, cum in omni febre seruetur calidum innatum concoctionem faciens. An in ephemera & hectica vna cum calido natiuo absumitur humiditas spirituum & solidarum partium; in humoribus relinquitur? *1. dif. fe. 1.*

Ideo

Ideo putrida in humoribus solum, quamuis omnia putrescere possint: sed cum fuligo putrida ad cordis ventriculos accesserit cum calore, putridam febrem faciet. Putredo autem cordis substantiam non attingit sine interitu. Seruari autem aliqua ex parte calidum innatum in putredine, non absurdum antequam, ex toto vincatur simpliciter putrefactum. Ideo aliqua coctio est cum putredine. Indicant animalia orta ex putri concocta materia. Sic ex vino putrescente acetum fit grati odoris. Sic in abscessibus pus, & in venis quid simile puri, quod in vrinarum hypostasi cernitur album, lene & æquale crassum, quam minime fœtens, cum natura superauit. Superata autem natura simpliciter putredo fit, non consistit, non color vnus, fœtor. Sed partim superante natura, partim superata, secundum magis & minus multis modis contingit.

1. dif. fe. 6.

2. Prog. vlt.

Causæ putredinis vt materia, humores praui inepti ad concoctionē, quamdiu in loco calido permanserit, cibi praui, vt panis ex tritico semiputrido, carnes morticinæ, id est, ex animalibus sponte mortuis, aquæ ex lacunis & piscinis, vina semicorrupta, corpora calida & humida, & naturæ similes. At sanguis calidus & humidus magis resistit putredini: nam febris in sanguine reperitur sine putredine, in reliquis humoribus non contingit. An intelligendum de caliditate extranea, & humiditate excrementitia, aquea, nū aerea, & imbecilliter permixta: nam valent potissimum, si humores sint valde permixti. Propria enim caliditas resistit putredini apud Arist. Humiditas vero aerea minus putrescit, vt oleum, pinguedines. Hanc intemperiem calidam & humidam intellexit Galenus maxime expositā morbis putredinis, quod colligit ex grauedolentia sudoris, vrinæ, deiectionum, respirationis, etiam in sanitate redolent hircum. Idem sentiēdum de cibis & potibus calidis & humidis. Nō enim vinum putredini obnoxium, & cibi boni succi, vt carnes, oua, quamuis calida & humida; sed cæpæ, allia, nasturtia,

3. Meth. 7.

1. Nat. hu. 20.

4. Meteo. 1.

8. Meth. 7.

tia, porra, Vrticæ, brassicæ, ocima, fructus æstiui. Efficiens est caliditas extranea, non solum ambientis aeris, vt quidam colligunt ex Aristotele, sed omne quod insitum non est & natiuum, à quo perfectio. Imbecillitas innatæ, priuatio, vt sanguis extra venas. Quæcunque minuunt innatam, vt euacuationes magnæ, quæcunque impediunt, vt vincula, obstructiones. Quæcunque extinguunt, vt vehemens frigiditas, nam ambulantibus in niue pedes aliquando in gangrænam incidunt. Quæcunque augent externam, vt febres quæcunque à quacunque causa ortæ. Hic dubitatio oritur. Videtur sola prohibita ventilatio poni causa putredinis à Galeno, quia inquit: *Libera transpiratio innatum conseruat pulsu & respiratione: ergo impedita destruit, & calorem auget. Et si quid in nostro corpore putrescere debet, dictas transpirationes impediri oportet.* Et alibi inquit: *Vbi plenum corpus ex prauis succis, sed nulla obstructio affuerit, aut cutis constipatio, sanitate fruitur: at si contingat constringi aut obstrui, febrire est necesse.* In hanc sententiam omnes recentiores venerunt, non tamen Auicenna. Soluunt Auicennæ Commentatores, fieri quidem putredinem sine prohibita transpiratione, sed in febre putrida saltem comitari ob multitudinem effluxus. At hoc modo non erit causa, sed effectus putredinis. An Galenus interpretatur potissimum & celeriter putredinem fieri ex prohibita transpiratione, cum inquit *in libro de inæquali intemperie.* Neque enim ea solum, quæ inculcata sunt, & perspiratu prohibita putrescunt, licet celeriter ea maximeque. Cæterum putrescunt & alia multa, quæ putredini sunt opportuna. Alias causas expresse affert Galenus, vt contagia rerum putridarum, respiratio aeris pestilentis, reliqui humores putridi, caliditas ephemeræ. Nam quando materia praua immoderatum calorem acceperit ab ephemera, hinc principium putrescendi: Aestus, exercitatio ardentem parit.

1. dif. fe. 9.

2. dif. fe. 9.

11. Meth. 4

1. dif. fe. 3.

De inæq. int. 7.

1. dif. fe. 4.

2. dif. fe. 11.

1. dif. fe. 7.

2. in 1. Epi. 20.

Respon-

Respondetur autem ad loca in oppositum adducta. Vbi inquit solam ventilationem prohibitam esse causam putredinis: loquitur inibi de synocha manente causa: hæc enim sola manet, at non est necesse manere, nam aliquando non manet. Ad alterum locum, vbi inquit sine obstructione aut cutis constipatione sanitate frui, addit, sed valde dubia & momentanea. Nam à quacunque causa calefaciente putrescere potest. Adhuc instabit quis. Remedia in omni putredine duo ponuntur: id quod corruptum est, euacuare; alterum vt quod reliquum est, moderatis motibus & refrigerante perspiratu ad symmetriam reducatur. Ergo in omni putredine est impedita perspiratio. An hoc remedium est putredinis non causæ?

11. Meth. 7.
8. 9.
11. Meth. 8.

CAP. XIII.

Genera putridarum.

GEnera putridarum ex triplici materia tria ponuntur à Galeno. Quotidiana ex pituita, tertiana ex flaua bile, quartana ex atra bile. Singulorum differentiæ ex loco. Continuæ, intermittentes. Ex humorum mixtione, notæ. Ex simplicitate, exquisitæ; simplices & compositæ. Ex magnitudine, ardentes. Ex malignitate pestilentes. Ex inæqualitate, epiala, lypiria. Ex inordinatione erraticæ, ad quas reducuntur quintanæ, septanæ, nonanæ. Dubitatur de febre sanguinis putrescentis, vtrum faciat genus distinctum à tribus? Negat Galenus. Nam in parte inflammata cum bonus est, febrem facit similem ephemeris ex bubone: vitiatus autem recipit naturam bilis, vnde triplex simplicium febrium genus. Signum sumitur ex pleuridite, cum sanguis expuitur, nam accessio fit tertianæ. Auicenna contendit dari quartum genus febrium putridarum proprium sanguinis, quæ synocha dicitur. Argumentatur aduersus Galenum primo, quia ex putredine sanguinis non sola bilis flaua fit, sed

2. Crisi. 12.
2. dif fe. 9.

sed etiam atra. Secundo, si flaua bilis fiat, dum putrescit, non est adhuc bilis, ergo non erit tertianæ similis.

Tertio, postquam sanguis conuersus est in bilem, nec est necesse, bilem putrescere. Quarto & vltimo, si respondeatur, statim cum putrescit, bilem esse, mendaciũ hoc esse: sequeretur enim sanguinem non esse, quod putrescit, sed bilem: conceditur tamen ex sanguine putrescente febrem fieri. Conciliant quidam modico tempore febrem in sanguine putrescente, nam cito transit in bilem, & quod modicum est, non consideratur à Medico. At concedit Gal. synocham putridam per multos dies. Auerroes Galenum accusat tanquam varium, quia concedit, sanguine putrescente si febris excitetur, inter synochorum species connumerari. Pro solutione supponatur, sanguinem non putrescere nisi vitiatum: est enim subiectum calidi innati. Vitiatur autem ab excrementis pro varietate humorum, ex quibus componitur. Tres autem sunt humores, qui transeunt in excrementa, scilicet pituita, bilis flaua, & atra. Cum enim non sunt optime mixti, vitiant sanguinem. Quartus autem humor, si detur separatus, purissimus est, ideo in eo statu non putrescit, licet incendatur, vt in ephemera. Pro varietate autem excrementorum, in quæ transit sanguis putrescens, febres fiunt, sola bonitate vel malitia differentes. Quæ enim sanguinis transmutationem sequuntur, simpliciores sunt, caliditas mitior tangenti & plurima. Accedit tamen ad naturam humoris, in quem transit, licet non exquisite transierint, sed in confinio. Proportio autem accessionum, qualis maxime in tertianis, vt in pleuritide, quia initio pars tenuior sanguinis pinguior transit in bilem, in processu temporis ob vehementem exustionem transit in atram bilem, qualis in carbunculis, aliquando in pituitam, vbi sanguis crudior. Tandem in omnibus inflammatis partibus putredo oritur similis cæteris putrescentibus, & febres necessario illis assimilãtur, vel potius vna ex illis est, vel ad amarã bilem, vel ad atrã vel ad pituitã attinens.

9. Meth. 4.

1. in 6. Ep. 2

1. dif fe. 3.

2. dif fe. 9

2. Crif. 12.

Hinc patet solutio ad obiecta. Ad primum conceditur ex putredine sanguinis non solam flauambilē fieri, sed & atram, imo & pituitam. Non tamen aduersatur Galeno probanti ex sanguine non fieri aliud genus febrium, quia sanguis prutrescens similis est putredini bilis, vbi in bilem transit. Idem de cæteris. Ad secundum conceditur, dum sanguis putrescit, non esse adhuc bilem, sed satis est, esse similem & in confinio. Tertium argumentum non est ad propositum: ponitur enim nō postquam sanguis conuersus est in bilem, putrescere, sed dum putrescit conuerti. Ad quartum nō conceditur statim bilem esse exquisite, cum putrescit sanguis, sed in confinio, ideo accessiones similes. At deceptus est auicenna, qui putauit synocham esse propriā sanguinis, ideo quartum genus. At contingit & in bile. Contingit & in cæteris humoribus, dummodo in omnibus venis vel maximis succi putrescant. Non in vnica particula faciente accessiones, vt in exemplis à Galeno positis. De sanguinis putredine dubitatur: non enim videtur simpliciorē facere febrem, id est, mitiorem & benigniorem. Nam *in lib. de cibis boni & mali succi* inquit. Cum sanguis in grumos coactus in ventre cuiuspiā fuerit, frigore exsoluitur ac pene exanimatur, pulsus imminutus & male se habet, partes proximæ putredinem contrahunt. Sed cur is humor inter alios accommodatissimus, vbi frigefactus est, huiusmodi pathemata inuehat, dignum est consideratione. An in febre putrida ex sanguine putrescente nō priuatur sanguis calido innato, cuius gratia benigniores febres fiunt. At si coierit in ventre extra venas, omnino priuatur, & quo familiarior erat, eo deterior fit simpliciter putrescens. Alia opinio de generibus febrium traditur 2. de natura humana vltimo, quatuor esse genera. Continuam, quotidianam, tertianam, quartanam, sed omnes ex bile, vel quam maxime. Galenus non putat legitimum esse Hippocratis, quamuis alibi appellet febrem non ex bile ipsam ephemeram, quasi

2. Dif. fe. 2.

2. Dif. fe. 11

De cib. bo. & m. 4.

2. Nat. hu. vlt.

putrida

putrida omnis sit ex bile. An cum vitiatis humoribus sanguis circumstans putrescens maxime in bilem conuertitur, præcipue in continuis, post in quotidiana, minus in longioribus interuallis. In serosis humoribus eadem ratio, quæ in ipsis humoribus, vnde oriuntur. In excrementis primæ coctionis, ex quibus vermes oriuntur: In pure, ad genus pituitæ reducuntur.

CAPVT XIV.

Differentiæ putridarum ex loco.

EX loco putredinis differentiæ hoc modo colligũtur. Loca putredinis enumerantur à Galeno 10. Meth. 6. Aut cum resudat humor ex venis in ampla spatia inter carnes, quæ affectio inflammatio dicitur: aut in ipsis vasis, & iis aut in omnibus vel maximis, vel in aliqua particula in finibus ipsorum impacti. Item 11. Meth. 4. In omnibus vasis vel in vna particula, aut cũ phlegmone, aut sine phlegmone tanquam in foco febris principiũ. Idem habetur de Cur. *per sang. s.* Ex his differentiæ colliguntur. Quædam sunt per se febres, quædã per accidẽs, quædam vnica accessione, quædam pluribus, quædam continuæ, quædam intermittentes. Per se febres sunt quarum differentias quæsiuerunt antiqui, & iisdem nomina imposuerunt: cum in venis putrescentes humores febrem accendunt sine partis inflammatione. Per accidens, quæ insequuntur ad partes inflammatas, à quibus nomen assumpserunt, vt pleuritis. Causa huius est: quia vbi putredo humorum, ibi coctio perficitur. Cum autem febris sit passio venarum, in febribus per se humor in venis concoquitur, indicio sunt vrinæ, quia sunt excrementum venarum, ideo primo ostendunt coctionem & cruditatem in febribus per se. In inflammationib. autem venæ per consensum afficiũtur nõ primario; ideo feb. per accidẽs: & indicia coctionis & crudita-

7. Aph. 42.

1. Diff. fe. 6.

1. Cri. 7.

cruditatis non ex vrinis primo, sed præcipua ex particula affecta, vt sunt sputa in pleuritide. Quamuis autem febris sit in corde primum, non tamen putredo, quia est fons calidi innati. Vnica accessio, quæ synocha vocatur, fit, cum in omnibus venis vel maximis æqualiter succi putrescunt: æqualiter, id est, non magis in vna parte, quã in altera: sic enim non est, vnde noua materia colligatur ad nouas accessiones faciendas. Plures accessiones certo ambitu repetentes fiunt, cum in vnica particula putrescunt, quia in eadem parte noua materia colligi potest ex reliquo corpore. Continuæ sunt, cum humores putrescentes in venis manent. Causa continuitatis est inclusio seu permanentia continua putredinis in genere venoso in febribus per se, aut continua communicato ex parte inflammata in febribus per accidens. Intermittentes, cum per omnes corporis partes suo motu feruntur: nam delationis impetu expurgantur humores: Indicio rigor, qui in intermittentibus fit ob delationis impetum per carnes & neruos. Nam quibus quotidie rigores fiunt, iis quotidie febres soluuntur, & in continuis, si rigor superuenerit, fit solutio. Sed Auicenna accepit in totum corpus ferri, putrescere extra venas, vnde vulgata opinio apud omnes posteriores, quam confirmant ex diuersis Galeni locis.

9. Meth. 3. & 2. dif. fe. 11.

9. Meth. 5.

2. dif. fe. 11.

2. Cri. 12. & 2. dif. fe. 1.

2. Cri. 3.

4. Aph. 63.

4. Aph. 58.

Nam in tertianis, inquit, totius corporis carnes affluere flaua bile, congeri in genere carnoso, putrescere, spiraculis impeditis.

2. in 1. Epid. 20.

An in habentibus accessiones plures, non in toto corpore putrescunt, licet ferantur, sed in vnica particula spiraculis occlusis? Alibi inquit, quibusdam humoribus putrescentibus febres acutas fieri, qui aliquando in toto corpore, aliquando in vasis solis. An intermittentes non sunt inter acutas, sed per vasa sola intelligit interna & magna, vnde sudores aliquando frigidi exeunt: per totum autem corpus comprehendit etiam totius vasa. Nam de febre ardente inquit, feruet per totum corpus flaua

9. Meth. 5.

4. Aph. 37.

3. Acu. 62.

flaua bilis. Item asserit, rigorem in ardentibus & tertianis fieri flaua bile non in cauis vasorum, sed per carnes mota, vel quia in illis supra metrum generata fuerit, vel quod mediis illis expurget natura. Hoc enim solo distant ab ardentibus tertianæ, quod ardentes in vasis bilem habent delatam, tertianæ autem extra: quasi in carnibus bilis & gignatur, & putrescat, & feratur. An per carnes intelligit etiam exigua carnium vasa, in quorum finibus impacti humores putrescunt? *De palp. 7* *10. Meth. 6.*

Alia opinio apud Alexandrum Trallianum traditur, ex aliorum tamen sententia; nullam in venis putredinem fieri, sed magis in ventre, quia vermes ex putredine in ventre tantum nascuntur. Indicat & fœtor excrementorum, non sanguinis extracti ex venis. Attestatur & sanatio, maxime enim iuuantur clysteribus, & vomitu. Cui sententiæ consentire videtur, cum inquit: Ex aliis quoque multis accurate videre licet, quod venter etiam febrium ex putredine ortarum causa existat, forsan autem aliorum quoque fons & origo ipse proprie existit. Hæc sententia prius videtur Hippocratis fuisse, cum inquit: Rigor ex superiori ventre magis, ignis ab inferiori magis. Galenus interpretatur superiorem ventrem ipsum ventriculum, inferiorem intestina. At Hippocrates *1. de morbis*, cum causas pleuritidis quærit, inquit, thoracem præ cæteris partibus maxime rigorem percipere, quia fere nudus carne intus non habet, quod resistat præter cauitatem: mos autem eius est per superiorem ventrem thoracem intelligere. Per inferiorem igitur ventrem non tantum intestina, sed & ventriculum, & totam regionem abdominis intelligit, in qua ignis principium dicit esse, quod patet ad sensum; nam in febribus putridis maxime percipitur in hypochondriis caliditas, non quod in cauitate intestinorum putrescant humores. Nam iis expurgatis, vnde accessionum repetitio fieret? Ephemeram enim ex ciborum *5. in 6. Epi. 31.*

corruptela diximus fieri; at si persistat ex cruditate, putridam esse testatur Galenus propter obstructionem.

Obstructio autem non in ampla intestinorum cauitate intelligenda est, sed in venis meseraicis: hæ enim facillime ob cruditates obstructiones patiuntur, ob loci autem impuritatem & excrementa facillime putredinem concipiunt, vnde febris principium hinc maxime, euaporatione ad thoracem facta, in quo rigor. Hinc facile soluuntur argumenta in oppositum adducta. Quamuis enim sanguis non fœteat, quando extrahitur ex venis: non tamen neganda est aliqua putredo in eo, quod patet ex iis, quæ à sanguine separantur in vrinis, sudoribus, halitu, nam aliquando etiam fœtent: at præualente coctione minime fœtent. Fœtent autem in omnibus febribus putridis præcipue alui excrementa ob loci impuritatem, quæ putredinem in venis existentem fouet; ideo clysteres oportunissimi sunt, ne febres sint acutæ, vt testatur Hipp. lib. de internis affectionibus. Præcipit enim etiam in peripneumonia abluenda intestina alternis diebus per clysteres ob eam causam, quamuis putredinis principium non sit in ventre inferiori, sed in thorace. Vtrum contingat febris putrida ex putredi-
5. Meth. 14. ne extra vasa sine partis inflammatione? Videtur contingere ex sanguine in cauo thoracis: sed phlegmonem facit; nam partes adiacentes afficiuntur. Idem efficit pus in vlceribus. Sic & cæteri humores in cauum defluxi, aut in abscessibus.

Si in habentibus accessiones putredo est in particula: cur earum quædam continuæ, vt tertiana continua, quædam intermittentes? an quia in continuis non pos-
2. diff. 11. sunt humores expelli secundum totum, ob materiæ multitudinem, aut crassitiem, aut virtutis imbecillitatem. In inflammationibus non sunt intermittentes, quia materia impacta in particula inflammata nequit expelli, sed per coctionem digeritur.

CAP.

CAP. XV.

Typi febrium.

HAbentes accessiones circuitus quosdam seruant, qui typi appellantur. Eorum causa est aggregatio materiæ superfluæ putrescibilis in aliqua parte per interualla, aut per expulsionem, aut per attractionem, aut generationem, ex proprio alimento. Diuersa autem interualla sunt, vel quotidianæ, vel tertianæ, vel quartanæ. Sed propter quid non in promptu est rationem inuenire? Cur in acutis accessiones diebus imparibus, in longis paribus, vt singulis diebus, vel quarto? Num quia quædam citius incenduntur, vt exemplum tradit Galenus de fimo putrescente, in aceruo per partem post partem? Sed difficile est accommodare diuersis humoribus; non enim ob facilitatem accensionis, nam pituita difficilius accēditur. Sunt qui ad proprietates occultas totius substantiæ referunt, cum nequeant ad manifestas. Non videtur ratione expulsionis id contingere, qualitate aut quantitate humoris stimulante. Nam acredo flauæ bilis citius irritaret quam pituita. Quantitas vniuscuiusque alia est in diuersis temporibus, ætatibus, & naturis: at circuitus iidem in omnibus seruantur. Non ratione attractionis: nam dolor, vel calor, quibus vis inest attrahendi, non sunt ordinata in vnoquoque, vt circuitus. Solum videntur diuersis temporibus colligi excrementa diuersa ratione generationis ex proprio alimento. Nam ex alimento prius fit pituita, deinde sanguis, & per vlteriorem vstionem bilis flaua, vltimo atra. Simili ratione putandum, excrementa fieri in singulis: imitantur enim singulæ partes totius ordinem. Hanc rationem innuit Galenus, cum inquit: Non æque omnes superfluitates in omnibus partibus aggregantur, cum non eodem nutrimento fruantur. Nam aliæ sanguine pituitoso, aliæ bilioso, aliæ melancholio nutriuntur. Neque eisdem statutis tempori-

De typ. 2.
2. dif. fe. 11.
3. die. dec. 8.
1. dif. fe. 3.
2. dif. fe. 11.

bus superfluitates aggregantur, sed aliud aliis sufficit tempus ad tantam superfluitatem aceruandam, qua primum membri natura læditur. Hinc sequitur partes pituitosas excrementa pituitosa citius aggregare, ideo quotidie accessiones faciunt; Partes biliosas excrementa biliosa tardius, vnde tertiana; Partes melancholicas tardissime, vnde quartana. Inter partes pituitosas est vēticulus, cerebrum. Inter biliosas membranæ, vesica fellis; inter melancholicas lien, ossa. Ideo in pleuritide & phrenitide magna ex parte accessiones tertianæ fiunt. Quæ autem ventri, hepati, suppurationibus, & tabi quotidie, & magis ad noctem. Quæ vero ex liene & omnino ex atrabile per quartū, vt Galenus scribit. 1. Aph. 12.

2. Die decr. 2. Naturæ opera ordinata ordinem cœlestem sequuntur quantum possunt. Breuissimus circuitus vnicam cœli circulationem continet, quæ quotidiana; Longissimus tres, quartana; Medio modo duas, tertiana. Simili modo dies decretorii septimanis numerantur prima septimana in acutissimis; secunda in acutis; tertia in iis qui paulo recedunt ab acutis; qui est primus circuitus perfectus die vigesima; quia non integri dies neque horæ reditum solis ad idē punctum faciunt, propter motum solis in oppositum. Aliæ tres septimanæ eodē modo numerantur vsq; ad quatragesimum & deinceps aliæ tres vsque ad sexagesimum, octuagesimum, centesimum; & centesimum ac vigesimū. In quo menses quatuor complentur secundum curlum lunarem. Hucusq; dierum septimanis dies decretorii considerātur; postea mensibus & annis eadem ratione septimanas numerando. Singulæ autem septimanæ dimidiam habent contemplabilem, qui dies quartus est, terminus longissimi circuitus inter primos. Quartanæ enim circuitus tribus diebus constat. Sic numero ternario & septenario vbiq; natura procedit, tres enim tantū sunt circuitus simplices secundum tria sanguinis excrementa; nam sanguinis putredo in excrementa transit, crudus in pituitam;

2. Aph. 24.

2. Dieb. decr. 9.

1. Nat. hu. 43. & 3. Aph. 28.

pinguior

pinguior in bilem, terrestrior in humorem melancholicum; Suppuratio in pituitam, nam facit quotidianas. Ordo tamen typorum non tantum sequitur naturam humoris, sed & partium; in quibus aggregantur, imo magis. Nam attractio, expulsio & concoctio in partibus sitæ sunt. Vnde ordo aliquando perturbatur, vt in erraticis, & in quibus forma accessionis non respondet typo. Contingit enim aliquando typum quotidianæ esse, cum duplex tertiana sit ex forma, & è conuerso typum tertianæ, formam autem quotidianæ, vt in tertiana nota; aut formam quartanæ cum typus tertianæ sit. Ideo in omnibus monet Galenus magis cõsiderandam esse formam quam typum. *2.Crit.2.*

Num forma sine errore ostendit humorem? Typus autem alienus sit, cum non in locis propriis sed in alienis colligitur humor; commouetur enim ad accessionem faciendam secundum ordinem consuetum partis. Signum euidentissimum habetur ex tertiana nota ob mixtionem pituitæ, cum enim duplex humor sit, non duo typi fiunt, sed vnus. Forma autem accessionis vtrumque humorem ostendit. Quod autem dicit Hippocrates, morbi accessiones indicabunt, verum est in quibus ordo non perturbatur. Perturbatur autem ordo aut cum nullus seruatur, vt in erraticis, ob conuersionē humoris in aliam naturam, aut ob errores in victu. Perturbatur quoque ordo, aut cum alienus typus est ab humore peccante, aut cum plures typi commiscentur. Inter has reponuntur quintanæ, septanæ, nonanæ, de quibus Hippocrates in epidemiis. Galenus suspicatur esse inter erraticas: raro contingere; fatetur enim se non vidisse præter quintanam, eamque obscure. Ego sæpius vidi conuersam in tertianam aliquando longam mensibus septem ex erraticis ortam in autumno. An species sunt simplicium typorũ interpolata vna accessione aut pluribus. Vt in menstruis deficientibus vno mense, non mouentur tempore inter medio, sed exspectant consue- *1.Aph.12.* *2.Diff.fe.11* *3.In1.Epi.2*

tum tempus. Idem aliquando accidit in alui excrementis, nam plerunque expectant horam consuetam. Quintana igitur est tertianæ species, in qua dies tertia sine accessione est, ideo inter breues omnium pessima tabifica. Videtur ex flaua bile obassationem in naturam atræ bilis conuersa, ob paucitatem autem interpolat, ob malitiam tabifica: statim numeratur post tertianam. Septana est quartanæ species interpolata accessione diei quarti, ideo longa non lethalis. Ex humore melancholico non multum irritante, forte ob pituitæ mixtionem, nam recensetur post quotidianam nonana, tertiana quædam est ter intercepta, longior septana non lethalis: ex eodem humore melancholico, sed in parte biliosa, ideo typus tertianæ, sed minus irritat quam in quintana ob frigiditatem. Omnes hæ diebus imparibus progrediuntur: ideo non interpolant duas accessiones, sed aut vnam aut tres. Non sextana, quamuis eam ponat Auicenna, nec alia diebus paribus ob eandem rationem: maior enim vis ad commotionem inest in diebus imparibus. Quemadmodum autem rarius dantur circuitus interpolati, sic frequentius multiplicati, vt duæ vel tres tertianæ, quartanæ, quotidianæ; cum in vno periodo plures accessiones & remissiones fiunt. Eius causa multitudo locorum aut recipientium aut mittentium, nam singuli suum typum faciunt. Non sufficit multitudo humoris, quia in vnica particula non potest particulatim accendi, nisi aliunde particulatim accedat. Sed multitudo humoris aut acredo in vnica particula citius quidem stimulabit, vnde anticipatio accessionis, longitudo, magnitudo, & vehementia oriri possunt. Ex paucitate autem contraria. Vnde typi aliquando mobiles, aliquando immobiles, seruatis iisdem horis. Complicantur etiam typi diuersorum generum. Tertiana cum quotidiana sæpius, inter quas semitertiana, quam falso duplicem tertianam vocant. Raro cum quartana. Quotidiana cum quartana sæpius. Putantur vul-

3. in 1. Epi. 9.

3. in 1. Epi.

De typ. 5.

De typ. 3.

1. Epi. 24.

vulgo tres quartanæ, dignoſcuntur acceſſiones formis: Quibuſdam diebus duæ fiunt, quæ ſi in diuerſis horis, complicatæ vocantur, ſi eadem hora, ex duabus fit vna acceſſio commixta, aut confuſa reliquis maior; vt in ſemitertiana. Omnes etiam ſimul contingit commiſceri, ſed raro animaduertuntur. Horum omnium cauſa eſt multitudo locorum; vt cum aliquis humor putreſcere incipit in aliqua parte, ob eius vitium alter ex aliis partibus defluit, aut qui in toto continebatur, attractus aut expulſus, putantur erraticæ ab ignaris. Si vero miſceantur humores in eadem parte, non fiunt plures typi, ſed forma acceſſionis commixta, quæ ſpuria vocatur. *2. dif. fe. 7. & 2. Cri. 7* *2. dif. fe. 11.*

CAP. XVI.

Tempora febrium putridarum, & ſigna expulſa.

TEmpora morborum neceſſaria ad curationem & victus rationem quatuor totius morbi in ſalutaribus. Principium, augmentum, ſtatus, declinatio: nam lethales carent declinatione. Etiam in ſalutaribus quædam inſenſibiliter tranſeunt, vt augmentum, ſtatus. Diſtinguuntur in putridis coctione & cruditate; at vbi non adeſt humor concoquendus, vt in ephemera, & hectica, ſolum per ſymptomata. Similiter in morbis organicis; ſi non coniungatur intemperies cum humore. Principium quamdiu eſt cruditas in vrinis vel aliis excrementis. In augmento coctio euidens. In ſtatu coctio perfecta. In declinatione morbus remittitur aut per criſim, aut paulatim per coctionem. Dubitatur de intermittentibus, quæ ratio diſtinguendi totius morbi tempora per coctionem. *2. Aph. 29.* *2. Aph. 30.* *2. Cri. 17.*

Cum particulatim humor in ſingulis acceſſionibus abſumatur. An in ſingulis acceſſionibus dum perficitur materia collecta in parte, interim quæ in toto corpore eſt, per febres præparatur & coquitur. Acceſſionũ tempora *1. dif. fe. 11.*

ſex,

sex, nam inter principium & augmentum est tempus inæqualitatis, & post declinationem interuallum; habentur ex motu caloris. Principium, cum vergit ad interna, respondet cruditati, quia colligitur materia. Insultus appellatur primum principium. Augmentum, cum calor iam materiam conuicerit, vnde spargitur in totum, huius pars tempus inæqualitatis vocatur, cum incipit ferri extra. Status, cum æqualiter calor extensus est in totum. Declinatio, cum feruentium humorum fit diffiatus per excretionem. Interuallum, in quo febris integre intermisit, quod contigit, vbi humores tenues, virtus robusta, & corpus rarum fuerit: nam alioqui reliquiæ febris aliquando perdurant vsque ad alteram accessionem. Continuarum accessiones carent interuallo ob causas contrarias. Quædam carens etiam principio & inæqualitate. Diuiduntur etiam accessiones in duas partes, scilicet accessio, remissio. Accessio est peior pars circuitus vsque ad statum, quo tempore abstinere oportet à cibis & medicamentis, & missione sanguinis. Remissio includit declinationem, & interuallum.

Temp. mor. 7.

1. Aph. 11.

1. dif. fe. 7. Signa putridarum duo propria & inseparabilia, ex pulsu & vrina præter specierum signa. Pulsus velox in submissione, quæ systole dicitur, manifestior in augmēto: non obscura in principio & statu, sed in eo minuitur

3. Præs. 7. aucta ad summum diastole. Frequentia in exteriori quiete manifesta, qualis neque in ephemera, neque in hecticis: in causa est multitudo fuliginis ex putredine: hæc enim breuem quietem externam facit, & celerem con-

2. Præs. 1. tractionem. Qui hoc non cognouerit, non cognoscit proprium signum putredinis & principium febris. Se-

Tempo. mor. 8. cundum naturam contractio tardior est quam dilatio, maxime in senibus, minimum in adolescentibus. In e-

2. capu. 15. phemera contractio minimum discedit à naturali, licet dilatatio multum discedat in celeritate. Hinc maxima

1. dif. fe. 7. differentia in principiis accessionum. Nam dilatatio tarda, contractio velox. Raritas ex interna quiete, frequen-

quentia ex externa ob fuliginem ſtimulantem. Oppoſita omnia in ephemera. At non poteſt exacte cognoſci, quia ignoratur tempus quietis internæ & finis contractionis, & principium dilatationis. *3. Præſ. 7.* *3. dign. pu. 3*

An ſatis eſt ſcire partem dilatationis & partem contractionis, & quietem externam ad præſagiendum magna? Modus cognoſcendi contractionem eſt tactu mediocri inſequendo arteriam fugientem, ſed hæc facilius cognoſcuntur in arteriis latioribus, minus in corporibus paruis. Qui non cognoſcunt contractionem, colligere poſſunt ex tempore, quod intercedit inter vnam dilatationem & alteram, vnde rarus vel frequens pulſus dicitur. *1. dign. pu. 7* *1. dif. pul. 6.*

CAP. XVII.

Signa ex vrina.

VRina excrementum eſt venarum, vt ſputum thoracis, excremēta alui, oſtendit affectus venoſi generis comprehenſis quoque arteriis, ideo præcipue in omnibus febribus. Signum eſt humoris peccantis, cruditatis, coctionis, inconcoctionis, id eſt putredinis. Attenditur humor & contenta. Vrinæ humor eſt tenue excrementum primæ coctionis in ventriculo, quod in ſecunda coloratur à flaua bile. Contenta alia ſeparantur in fundo, quæ proprie hypoſtaſis dicitur, id eſt ſedimentum: alia attolluntur magis minus. Hippocrates nubeculam vocat, ſeu ſurſum ſeu deorſum vergat. Galenus eneoremā vocat, id eſt, ſublimamentum ſiue exquiſite medium locum teneat, ſiue potius deorſum vergat. Nubecula vero deſuper. Auicenna omnia hæc hypoſtaſin vocat. Excrementum eſt ſecundæ coctionis vel tertiæ. Videtur Galenus aliquando ſecundæ tribuere, cum inquit: Quicquid alimenti in ſanguinis generatione refugit naturæ coctionem, ſubſidet in vrina non à cauſa præter naturam, vt pus. *2. Cri. 7.* *2. Prog. 36.* *2. Prog. 26.* *1. Prog. vlt.*

Et, cum adhuc coquitur ſanguis, vrina multam ſubſiden- *1. Cri. 12.*

sidentiam facit albam, iam vero perfecta coctione paticam. Pueri, & qui vitam ociosam & plenam transigunt, satis multam, quia plus de humore, qui crudus nominatur, excernitur. Iterum nullo pacto sedimentum habet
2. Prog. 26. vrina, si tenuiter viuitur, copiosum, si largius, exiguum, si modice. In morbis ex crudis humoribus copiosum: ex biliosis nullum, aut minimum, sed sufficit nubecula, aut sublimamentum, aut solus color. Videtur idem Galenus aliquando tertiæ coctioni tribuere, cum inquit:
1. Prog. vlt. Albas esse subsidentias secundum naturam, vt semen album, ob conceptaculorum alterantium albedinem, quæ tertia coctio est, vbi sanguis assimilatur singulis
1. de sem. 11. & 12. patibus. Iterũ albescit in naturam seminis, quod proximum est albarum nutrimentum.

Non solum igitur crudi humores, vt pituitosi subsidentiam albam faciunt: sed & qui agglutinari tunicis nequiuerunt, siue ob putredinem, siue ob imbecillitatẽ, vt in tabidis; multum enim in iis subsidet, quia parum agglutinatur, aut quia absumitur substantia.

An etiam humores crudi crassitiem adepti sunt, quæ subsidet in vrinis ob tertiam coctionem, licet in venis
1. Crisi. 12. adhuc contineantur.

2. Prog. 26. Vrinæ color secundum naturam subrufus, vel subflauus, substantia mediocris in crassitie & tenuitate. Hypostasis alba leuis & æqualis. Auicenna, hypostasin in morbis tantum quæri, non in sanitate.

Idem videtur Hipp. significare, nam inquit: Optima vrina, si subsidet album leue & æquale per totum tempus, dum morbus iudicatur; si intermittit, vt interdum puram, morbus diuturnior. Pura vrina, id est, sine sedimento in sanis inculpabilis, nisi ociosam & plenam vitã
3. Præs. 4. degant; in morbis ex multitudine humorum damnanda, & in pestilentia; nam cruditatem significat; quia na-
1. Crisi. 12. & de vrin. tura non aggreditur coctionem.

At Galenus laudat in morbis similimam sanorum.

39. An

Anintelligendum, si respondeat naturis; nam significat modicum discessum. Vrinæ colores præter naturam, si ad albedinem tendant, frigiditatē ostendunt, humores frigidos, & cruditatem, si nihil subsidet. Si ad flauum, 4. *Tuen.* caliditatem & bilem flauam. Rubræ sanguinem incoctum. Nigræ humorem melancholicum, aut vltionem, aut extinctionem calidi innati; sanguinem congelatū. Viriditas & liuiditas via est ad nigredinem. Substantia tenuis cruditatem ostendit, caret contentis. Crassæ imperfectam coctionem, initio sine contentis; magis apparent in sanguine & humoribus frigidis, minus in biliosis. De tenui ad moderatum in crassis humoribus nō fit transitus, nisi prius vrinæ crassescant. Quæ mingunturtenues & permanent, valde crudæ sunt. Quæ paulo post crassescunt, & turbantur, propinquam coctionem 4. *Tuen.* ostendunt. Turbidæ non clarescentes subiugales vocantur, ostendunt obscuram coctionem & agitationem vehementem, paulo post clarescentes, manifestam coctionem, aut putredinem completam. Nam turbatio fit ob mixtionem tenuis cum crasso; clarificatio ob separationem. Contenta pro colore vrinæ varia; omnes præter albedinem cruditatem ostendunt, vel in coctionem, vt qui ad nigrum. Alba descendere bonum est, ascendere malum. Reliquos colores ascendere, melius quam descendere, vt iterum in albedinem conuersi descendant. Rubens post album securior est, tenuis subsidentia aut nulla in biliosis & defectu alimenti bona, in crassis humoribus & multitudine cruditatem significat. Crassa in biliosis mala, in frigidis humoribus & copia, bona. Leuis perfectionem coctionis significat aut putredinis. Diuulsa perturbationem propter flatus. Hippocrates vocat vrinas distantes 7. Aph. 33.

san. 4.

3. Cri. 12.

4. Tuen. san. 4.

2. prog. 36.

2. Prog. 27. & 4. Aph. 71.

De Vr. 17.

Inæqualis ob defectum mala. Duplex inæqualitas, vna ex dissimilitudine partium, vt in pure. Altera tēporis. Inæqualitas in substātia pluribus modis visitur.

Crimno-

2. Prog. 28. & 7. Aph. 31. Crimnodes similis farinæ crassioris vel tenuioris albæ solidarum partium liquationem ostendunt, & longam ægritudinem.

4. Aph. 76. Ruffæ crematione bilis, rubræ sanguinis, Oroboides carnis consumptionem inæqualiter, vel sanguinem assatum in hepate, aut renibus, Petaloides similes squamis, Pityroides furfuri similes significant abrasiones & ramenta vasorum, aliquando vesicæ. Dignoscuntur tenuitate & crassitie vrinæ, nam ex venis tenuis, & cum

4. Aph. 77. febre.

Pinguedo supernatans, vt in iusculis refrigeratis, aut instar telæ araneæ liquationem pinguedinis ostendit, aut in renibus aut in toto consumptionem. Oleosæ vri-

7. Aph. 35. & 2. Prog. 35. 3. in 3. Epi. 72. & 74. næ vocantur ab Hippoc. quæ in ægroto pario apparuerunt die sexta, interit autem die centesima & vigesima. eadem apparuit in pitione. Galenus in commento oleosam interpretatur vrinam in colore & crassitie oleo similem, non pernicioſam.

4. tu. sa. Item de pinguedine supernatante inquit: sanguinis concoctionem significare, etiam cum nubeculæ quædam desuper tenues superstant, veluti quod in summo lacte colligitur, græce Graus, & quod in summo refrigerati iusculi concreuit. An in humorum incineratione sæpe id contingit, subsidere quidem cineres, supernatare autem veluti puluisculum, vt cum soluitur calx. Idem in humorum exustione contingere videtur, & in expurgatione puris per vrinam. Sed hæc sine febre. At ex venis in febribus deurentibus. Supernatant aliquando bul-

7. Aph. 34. læ, quæ nunc morbum renalem significant, nunc distillationem à capite, vt recentiores putant, quod de excre-

7. Aph. 30. mentis spumosis testatur Hipp. Significant autem aut motum frangentem humores glutinosos, aut vehementem caliditatem: ex vtrisque enim spuma oritur.

CAP.

CAP. XVIII.

Curatio putridarum communit. & de concoctione.

CVratio communis putridarum perficitur per indicationes ad febrem, vt in ephemera per refrigerantia: amplius ad putredinem, quæ est eius causa proxima, & ad putredinis causas, si adsunt. Item ad symptomata vrgentia, vt syncopen, alui fluxum, delirium, soporem, sitim, dolorem. Ad putredinem igitur indicatur præseruatio bonorum, ne putrescant, refrigerando & naturalem perspirationem moliendo: etiam siccando in humidis naturis & in pestilentibus. Quod vero semicorruptum est, concoquendo: concoctio enim opponitur putredini. Quod autem corruptum est euacuando & abluendo, ne contagio reliquos humores vel partes afficiat. Ad putredinis causas, si remanet obstructio vel astrictio, indicantur deobstruentia & relaxantia. Ad obstructionis causas, ad multitudinem quidem euacuatio per venæ sectionem, per medicamentum purgans, cum adest prauitas humorum, quæ materia est putredinis. Ad crassitiem autem incidentiam attenuantia, ad lentorem abstergentia. At deobstruentia & relaxantia ob caliditatem prohibentur à putredine & à febre. Ideo Galenus vltimo loco adhibet hæc remedia, quod & in ephemera obseruabat, quamuis primo loco debuissent administrari, quia causæ id requirunt, non prohibentur inter incidentia, quæ frigida sunt, vt succi acidi, acetosus simplex, & quæ modice calida, vt oximel. Vbi igitur nõ adest putredinis causa, obstructio, vt in ardentibus, quæ à causa externa fiunt, sufficiunt remedia ad putredinem & febrem. Inter remedia quædam sunt, quæ simul plures intentiones perficiunt, vt euacuatio per venæ sectionem, & medicamenta purgantia. Venæ sectio oportunissima est, & ad multitudinem obstructionis causam, vt tuto deobstruentia adhiberi possint, & ad ventilandum ratione putredinis, & ad refrigerandum, tum ra-

11. Meth. 8. *1. dif. fe. 4.* *11. Meth. 9. & 13.* *11. Meth. 9.* *2. in 1. Epi. 20.* *11. Meth. 15.*

tione febris, tum ratione putredinis, licet per accidens refrigeret, euacuata materia calida. Quod remedium in omnibus putridis saluberrimum prædicat Galenus, in principio faciendum, si morbus magnus & vires robustæ. Medicamentum autem purgans ad materiam minuendam in principio, & ad putrefactionem non in principio, sed post concoctionem. In principio si vtrumque requiritur, præcedat venæ sectio.

2. Aph. 29. *1. Aph. 22.* *4. Acu. 21.* *& 4. sa. tu. 4.*

Sed circa medicamentum purgans in principio dubitatur. Quamuis enim per accidens refrigeret euacuata materia calida, id facit cum periculo: cum enim purgantia calida sint, nocent putredini & febri magis, quam iuuent. Præterea in contrarium est sententia Hipp.

1. Aph. 22.

Concocta medicari & mouere non cruda, neque in principiis, nisi turgeant, quod raro. Imo addit Galen. non licere semper, vbi turgeant, sed cum præmeditatione faciendum. Obstant enim febris vehementia in acutis, cruditates, tensa præcordia, inflammationes viscerum, ardores, obstructiones. Amplius Hippoc. inquit, quibus vrinæ tenues non purgandi, nam purgantia impediunt coctionem & crisim, & morbum protrahunt. Sunt autem vtplurimum vrinæ tenues in principio cruditatem ostendentes. Propter hæc Medici recentiores valde formidant purgantium vsum in principio, quamuis apertissima sit Galeni distinctio, conuenire purgationem in humoribus tenuibus & corporibus paratis, si turgeant. In humoribus autem crassis & corporibus non paratis, etiamsi turgeant, non purgandum, nisi arrepta occasione præparandi prius. Sed quoniam difficile est iudicare, vtrum turgeant, an non? Rasis sententiam Galeni dilatat, inquiens, purgandum esse ab initio in morbis acutis, vbi humores sunt tenues, seu turgeant, seu non turgeant; in crassis autem & viscosis expectandam esse coctionem. At Auicenna expectandam esse coctionem etiam in tenuibus nisi turgeāt, quia imbibita cuelli nequeunt, neque expelluntur à natura:

4. Acu. 43.

1. Aph. 24.

tura: in vrinis non faciunt hypostasin, nisi post coctionem. Quæ sententia videtur consentire cum Hippocrate, cum inquit: Quibus principio vrinæ nebulosæ & crassæ, cæteris annuentibus purgare conuenit, quibus tenues, nequaquam. Nam vrinæ crassæ significant aliquam coctionem, vt Galenus testatur in commento. *Humores* enim fusi sparguntur in venas, & vrinas inficiunt. *Vrinæ* autem tenues fixionem ostendunt, quia humores non sparguntur in venas. Sed ne verbum turgere negocium faceſſat, animaduertendum est, dupliciter accipi, vel cum humores actu huc illuc feruntur, vel cum apti nati sunt ferri. Hoc modo qui fusi sunt in venis, neque sedem firmam habent, in qua vtplurimum quiescunt, donec concoquantur, antequam figantur, turgere dicuntur. Hoc modo accipit Trall. cum dixit, cruditates digerentibus fusas turgere, ideo quamprimum purgandas, ne expectata integra coctione iterum figantur. Dicendum est igitur, humores infixos, seu crassi fuerint, seu tenues, non purgandos, antequam concoquantur, sic enim in venas feruntur, quod ex vrinis cognoscitur. Facilius autem feruntur humores tenues quam crassi, ideo magis turgent, quod patet in erysipelote migrante flaua bile de loco ad locum, vt ex angina in peripneumoniam. Concludendum est igitur, omnes humores, seu crassos, seu tenues, cum adhuc non fixi sunt in aliqua parte, in initio purgandos esse cæteris annuentibus, antequam figantur, vt in apoplexia ex crassis humoribus, in angina ex tenuibus: tardare enim malum est. Cum vero aliqua ex parte sunt fixi, aliqua ex parte mobiles, minuendi sunt leui aliquo medicamento, ne omnes figantur. Hinc excogitata sunt, minoratiua à recentioribus appellata. Sed medicamenta id præstantia lenientia dicuntur, ab Arabibus inuenta, ex quib. nõ timetur exasperatio, vt ex efficacioribꝰ medicamentis.

4. Acut. 43

4. Aph. 10.

4. Acu. 21.

Concoctio est quædam deductio eius, quod concoquitur in substantiã concoquentis, vnde excremẽta cocta dicun-

2. in t. Epi. 44.

dicuntur. Consideratur autem coctio ad præsagia. Nam concocta celeritatem portendunt iudicii & securitatem.
5. in 6. Epi. 6. Cruda autem, inconcocta, id est, vitiose cocta, in malos abscessus conuersa, oppositum. Ad curationem quoque. Nam per coctionem morbi relinquunt, quia omnia reducuntur ad mediocre temperamentum. Transfertur quoque nomen ad morbos, vt grauedines & distillationes in valde senibus non concoquuntur. Coctione solui morbum, est paulatim digeri superflua. Finis
4. Meteo. 2. duplex apud Arist. Substantia in iis, quæ ex toto assimilantur; qualitas commodior in excrementis & humoribus putrescentibus: significant enim caliditatem propriam dominari humido in corpore, vnde abscesserunt.

Proprie concoquuntur primo modo, vt cibi in chilum, chilus & pituita in sanguinem, sanguis in partes corporis: id faciunt quæcunque alere possunt. Secun-
2. Acu. 44. do modo, quæ alere nequeunt, sed assimilari tantum secundum qualitates, vt excrementa & sanguis vitiatus in pus: humores secundum qualitatem excedentem ad mediocritatem, aut quid simile puri. Nullo modo, quæ nulla ex parte, vt venena, humores ex toto corrupti aut exusti. Ideo præcipit Gal. Ex humoribus putrescenti-
1. Acu. 18. bus quicquid concoqui potest, concoquendum, & quod iam exustum est euacuandum, cum nequeat amplius coqui.

Etiam quælibet præparatio humorum ad expulsionem concoctio quædam est, vt crassos incidendo & extenuando: tenues autem incrassando, quod magis con-
4. Acu. 4. uenit concoctioni, quia calor tenuem humiditatem interminatam cogit.

3. in 6. Epi. 1 Quamuis autem concoctio sit naturæ opus; naturæ enim sunt morborum medicatrices: adiuuatur tamen arte, sic enim Medicus minister. Auxilia autem sunt partim naturam roborantia, conseruando vel augendo calidum innatum victu, potu vini, & extrinsecus cataplasmata maturantia, inunctiones & alia: partim pu-

gnan-

gnantia aduersus humorum excessus, vt naturæ concoquenti faciliores reddantur: vt facit ciborum elixatio aut assatio, & tritici præparatio ad panes. Sic humores frigidos calefaciendo, calidos refrigerando, acres contemperando, crassos incidendo, tenues in crassando. Sed hæc & alia commodius sigillatim in singulis explicabuntur.

CAP. XIX.

Tertiana.

TErtiana intermittens græce Tritæos, febris est ex flaua bile per totum corpus delata. Tertio accedere non secundum substantiam, sed accidens vtplurimũ. Exquisita seu legitima, vera, pura, eadem & simplex, cuius forma certa. Accedere cum rigore. Calor ardenti similis, bilis vomitus, vel eductio. Sudor in declinatione tempus totius accessionis ad summum horæ duodecim. Spuria notha, cui deficit aliqua conditio formæ vel temporis. Simpliciter tertiana, quæ inter horas 24. terminatur. Producta seu extensa, quæ vltra horas 24. tritæophies, quæ vltra horas 36. Hæc raro ad infebricitationem venit. Adulterantur ex complicatione, vel confusione aliarum. Complicatio est, cum plures typi aut eiusdem generis, aut diuersorum. Confusio, cum vnicus typus ex commixtione diuersorum humorum, aut plures typi diuersorum generum eadem hora inuadunt, vt contingit in semitertiana.

2. *Cri.* 3. 2. *Cri.* 2. 2. *dif. fe.* 3. 2. *in* 6. *Epi.* 23. 3. *in* 1. *Epi.* 5 2. *in* 6. *Epi.* 23. 2. *dif. fe.* 8. 2 *Cri.* 7. & 9.

Causæ tertianæ exquisitæ materia bilis flaua, & quæcunque subministrant æstas, autumnus, constitutio calida & sicca, regio, iuuentus, natura victus, inedia, labores, vigiliæ, tristitiæ, curæ, efficiens, retentio bilis in loco calido, spiraculis impeditis. 2. *in* 1. *Epi.* 20. vel ob imbecillitatem expultricis. Locus retentionis, qui tanquã focus vapores putridos cordi communicat per interualla in inferiori ventre magis, id est, in venis meseraicis ob loci caliditatem.

1. *Nat. hu.* 35. 5. *in* 6. *Epi.* 3

1. Gla. 5. Alius qui subministrat, hepar, in quo gignitur, vesica fellis, in qua colligitur. Ideo hepar vtplurimum in tertianis laborat. Aliquando vniuersum corpus: nam
2. in 1. Epi. 20. colligitur in genere carnoso, non tamen vbicunque putrescit, sed in loco calido.
2. Cri 3. Alius, in quem fertur delationis impetu in rigore, vniuersum corpus extra venas, quæ est causa intermittentiæ.

Signa tertianæ exquisitæ ex forma. Rigor calor acris, bilis vomitus, sudor, duratio non vltra horas 12. amplius ex pulsu, vrinis, causis publice vagantibus. Singulorum causæ. Rigor concutiens, quem antecedit sensus vlcerosus, quasi ab acu pungeretur, inæqualis. In-
2. Cri. 3. est & diariis ex cruditatibus, inedia, laboribus, Sole, refrigeratione vehementi, nam frigidum rigores febriles
5. Aph. 13. facit. Sed vehementior in tertiana exquisita, concutiens.

Nam primo fit horror mediocris, deinde extremæ
Temp. mo. 3. partes frigescunt cum horrore vehementiore, postea & rigore & frigore concutiuntur plurimæ corporis partes,
2. dif. se. 7. & 2. sy. ca. 5. & 10. Meth. 4. Horror in medio est inter sensum inæqualis refrigerationis & rigorem. Symptomata sunt inter motus deprauatos facultatis expultricis irritatæ ad violenter mouendum in partibus musculosis. Differunt à tremore, qui ob imbecillitatem facultatis animalis fit, ideo cubanti desinit tremor, non rigor, à palpitatione ob flatum distendentem rarioribus interuallis, à conuulsione ex repletis neruis, vnde musculorum magna contractio. Forte non differt rigor à conuulsione ex morsu, nisi frequētia motus & magnitudine; nam in rigore motus fiūt
10. Meth. 4. frequētiores & minores. Rigoris causæ, mordens halitus aut succus, vbi fertur velociter per sensibilia corpora.

Diuersi fiunt ex caliditate aut refrigeratione, multitudine aut paucitate, velocitate aut tarditate, particularum imbecillitate aut robore, sensu exquisito aut hebetiori. Ex quibus nunc rigor fit, nunc horror, nunc sensus inæqualitatis, nunc cum febre, nunc sine febre. Nam calidi halitus, vt in cruditate nidorosa, laboribus, inedia,

dia, Sole, rigorem faciunt non semper cum febre, potest enim inhiberi, nam febris aliquando subsequitur ob motum. Calidi humores rigores faciunt cum febre, quæ non potest inhiberi, quia ob putredinem iam orta est. *2. Sym. ca. 5*
Frigidi halitus seu humores rigorem, aut horrorem, aut sensum inæqualitatis faciunt sine febre, vt ex pituita vitrea aut acida. Si cum putredine, febrem faciunt. Atra bilis horrorem & rigorem non intensum facit. Pituita salsa & acida horrorem. Dulcis sensum inæqualitatis. Motus vehementia, vt ex bile, rigorem parit: Tarditas vt ex pituita sensum inæqualitatis: medio modo ex atra bile, horrorem. Sic balnea & motus aliquando rigores & horrores pariunt. Non in ictero, quia non velox motus. Partium robur contemnit lædentes causas. Imbecillitas & sensus exquisitus rigores magis patiuntur. Incipiunt rigores mulieribus ex lumbis magis & per dorsum ad caput, viris ex fœmorum & cubitorũ partibus posterioribus magis ob cutis raritatem. Gal. ob naturam frigidiorem earum partium, spinali medulla & cerebro consentiente. Forte quia materia lædens ex interiori ventre ascendit per venam cauam & aortam in dorsum, vbi rigores incipiunt: nam ignis in inferiori ventre magis, rigor in superiori magis. Cum rigore omni refrigeratio est: ideo in augmento non rigor, quia reuertitur calor cum sanguine frigidos halitus corrigens, & calidos dissipans, vel admixtione temperans. *2. dif. fe. 6.* *5. Aph. 69.* *5. in 6. Epi. 31.* *2. Sym. ca. 5.*

Refrigeratio externarum partium fit ob concursum calidi ad particulam putredinis, & ob dolorem, qui in rigore constricta cute & impedito effluxu. At debuisset sanguis confluere extra, vbi est afflictio. An in conatu prius fit concursus ad principium mox extra cito, vt in verecundia. Conatus autem vanus fit à virtute imbecilli, in qua rigor lethalis est. Calor in internis tantum in principio & in tempore inæqualitatis, frigentibus externis; paulatim è profundo emergens sentitur mordax, acris, quod est signum putredinis. Aequaliter augetur, *2. dif. fe. 11.* *2. Sym. ca. 5.* *4. Aph. 46.* *1. dif. fe. 7.*

2. Cri. 3. & cito ad ſtatum peruenit, exurit, & ſitim affert. In ſtatu perſeuerat ſimilis ardentibus, quando eſt bibendi occaſio. Hinc vapor plurimus, mox ſudor, aut bilis vomitus, deiectio, bilioſa vrina. Calor remittitur prius circa viſcera, vltimo circa pedes & manus.

Hodie vtplurimum bilis vomitus in principio contingit, videtur ob rigorem concutientem exprimi ex
Tem. mo. 3. veſica fellis. Durat principium duabus horis æquinoctialibus vtplurimum, quo citius augetur, eo citius abſoluitur: aliquando horis ſeptem, non vltra duodecim. Pulſus in principio debiles, parui, rari paulo magis, quam in ſanitate, minus quam in quartana; ordinati, æquales: ſed contractionis celeritas febrem oſtendit. In incremento augetur magnitudo, celeritas & frequẽtia æqualiter & cito, & contractionis celeritas, vt in cæteris putridis. In interuallo naturalis die vel nocte ſequenti: altera die, quod tertium interuallum vocatur, cum pauliſper accenditur, contractionis celeritas vix ſentitur, in primis partibus, nocte ſequenti, quod quartum interuallum dicitur, manifeſtius, prope acceſſionem magis,
2. dif. fe. 3. adhuc magis in inſultu, maxime in augmento, minus in ſtatu, minime in declinatione. Vrinæ in principio tenues, ruffæ, in declinatione flauiores, ſi hepatis gibba laborent, ſi in ſimis, vomitus, cum ſuperiores venæ recipiunt bilem, deiectio cum inferiores.

3. in 1. Epi. 8 Prognoſtica. Tertiana exquiſita cito iudicatur, nec lethalis eſt, ſecus in continuis. 4. Aph. 43. Septem circui-
4. Aph. 59. tibus ad ſummum Gal. dies decretorios ex acceſſionibus colligi. Ex vrinis.

2. Cri. 3. Si in primo circuitu ſubruffa vel ſubflaua craſſitudine mediocri, & paulo poſt albam nebulam vel ſuſpenſionem optimam fecerit, non vltra quartum circuitum protenditur. Si ſtatim in prima die ſubſidentiam leuem & æqualem fecerit, non vltra tertium. Si ruffior ſine ſuſpenſione neque nubecula in primo circuitu ad ſeptem extendetur.

CAP.

CAP. XX.

Curatio tertianæ exquisitæ.

CVratio tertianæ exquisitæ. Ad causam materialem indicatur bilis alteratio per refrigerantia & humectantia, vt concoquatur, & euacuatio. Eadem alterantia faciunt ad febrem & putredinem. Ad partes affectas præcipua intentio in auferendo circuitu, corrigendo vitia particulæ recipientis vel mittentis, tollenda constipatio aut obstructio, & facultas roboranda. *1.Gla.9.* *2.dif.fe.11.*

Alteratio flauæ bilis fit victu & medicamentis frigidis & humidis, inter medicamenta syrupus de endiuia, de cichorio, de succo acetosæ oxysaccharo, acetosus simplex, præsertim in obstructione aquæ ex iisdem, & ex lactuca, scariola, soncho, senecione, hepatica hordei, anguriæ, cucurbitæ. Auicenna mane dabat acetosum simplicem, post duas horas aquam hordei; iterum in declinatione accessionis; at Galenus inquit; in statu esse bibendi tempus. *2.Cri.3.*

Vtrum conueniat frigidæ potio? Febricitanti sub feruore caniculæ, in quo timebatur hectica, in prima accessione exhibitæ sunt duæ heminæ aquæ frigidæ, statim euomuit & excreuit bilem. Trallianus tepidam laudat, etiam ante accessionem, nam vomitu cessat accessio. Hipp. potū hyeme calidum, æstate frigidum laudat. *10. Meth.5.* *1. Aeu.43.*

Euacuatio non per venæ sectionem, nisi timeatur morbus magnus ob plenitudinem. Auic. ante tertiam accessionem, si vrina crassa & rubra. Purgatio leuis in initio in die quietis, ex decocto tamarindorum, sy. rosato solutiuo, manna, cassia: in fine concocta materia, ne reliquiæ recidiuam faciant, ex rhabarbaro, electuario rosato Mesues. Cognoscitur æger purgatione, si æger cibum non appetat. In singulis accessionibus quo natura vergit, per vomitum ex aqua tepida; per deiectionem clysteribus post accessionem. Per vrinam, potiones ex apio, anetho. Trallianus prohibet calorifica, laudat capillum *2. Aph.8.* *2. Gla. 9.*

pillum veneris. Auic. semina communia cum acetoso, per sudorem, potus aquæ hordei. Trall. Peponis pulpam refrigeratam ante accessionem exhibet, vt superbibat aquam tepidam liberaliter, prouocat sudorem & deiectionem. Auic. aquam Melonis indi, id est, anguriæ. Guainerius decoctionem Milii, qui sy. S. Ambrosii appellatur.

Ad vitia particularum, vt ad particulam, in qua putredo non est, non relaxantia, vt antiqui, sed repellentia
11. Meth. 15. & astringentia, vt robur particulæ addatur. Hepati conueniunt etiam ob necessitatem coctionis, & circa finem digerentia non sine astringentibus, & deobstruen-
11. Meth. 16 tia extrinsecus perfundendo hypochondria oleo rosaceo, omphacino, aut melino, mastichino, lentiscino: postea ex absynthio pontico aut nardino cum rosacco, cataplasma ex cotonei carne cocta in aqua, vel addito vino: postea augenda digerentia, quæ tenuium partium, ne pus moueant, vt spica, iris, nux vnguentaria. Intrinsecus, vbi signa coctionis adsunt, coma absynthii in mulsa, nam abstergit, & obstructiones aufert. Sed Trall. veretur eius caliditatem, laudat aquam tepidam, nam cineres abluit & humectat. Ad carnosum genus, quod subministrat, & recipit in singulis accessionibus refrigerantia & humectantia, relaxantia & digerentia, bal-
2. Gla. 9. neum calidum aquæ dulcis, non metallicum, nam refrigerat & humectat, & bilem educit. Oportet autem olei calidi plurimum infundere, & ad aquam perducere, natent etiam bis in die, si admodum delectentur, & vbi signa coctionis etiam sæpius in declinatione ante cibum, tempestiuius post plenitudinis euacuationem, non existente inflammatione alicuius partis. Coctionē
3. Acu. 62. iuuat in biliosis. Auic. solum pedes lauat aqua tepida in declinatione ad reliquias febris.

Victus, ptisanæ succus in declinatione accessionis, vsque ad crisim in iis, qui non admodum delitiosi sunt, Galeno aut halicæ, aut auenæ Tralliano.

Ex

Ex oleribus, lactuca, lapatium, cucurbita, cichorium. Fructus parcissime. Trall. extollit peponem, melopeponem, persica, vuas, cucumerem, poma, mala granata. An & limones & aurantia, pisces saxatiles, carnes ex volatilibus molli carne, alæ, testiculi Gallorum, suum pedes, & cerebra, paruorum autem totam carnem liquefactam concedit Galenus: oua sorbilia, potus aquæ cum iuleb violato, rosato, succo granatorum, limonum. A vino abstinendum ante morbi coctionem, Cum cœperit concoqui, dandum ab initio tenue, aquosum & paucum, paulatim augendo. Ieiunus accessionem expectet, sufficiat multo ante potus syrupi, aut sola ptisana. Somnus vitandus in principio accessionis & augmento. Aer frigidus, quies, tranquillitas. 1. Aph. 19.

CAP. XXI.

Tertiana nota.

TErtiana nota est, cuius circuitus tertianæ, sed forma discedit ab exquisita. Trallia. Transcendit eius accessio vltra horas 12. 2. in 6. Epi. 23. Producta vltra 24. ob mixtionem pituitæ in eadem particula; nam in *diuersis* plures circuitus. Forma accessionis ad quotidianam accedit magis minus pro pituitæ excessu, vt aliquando omnia pituitam attestentur, quamuis typus sit tertianæ. Non rigor, sed aut horror, aut inæqualitas, longitudo refrigerationis, & totius accessionis, lenta caliditas, inæqualis. Pulsus inæqualis, vrinæ albidiores, sudores pauci. Quæ excernuntur pituitosa, sunt bili admixta, capitis grauitas plurima. Auicen. An vbi sedes in cerebri membranis, ex causis mixtis, vt si natura pituitosa in æstate laboret, aut bilios in hyeme. Facile transit in duplicem typum ex tertiana & quotidiana, quam duplicem tertianam vocant, aut in quotidianam simplicem, aut in semitertianam inter cõtinuas, affectione communicata parti pituitosæ. Altera

ex

ex mixtione humoris melancholici, quam Trallianus miratur prætermissam à Galen. Forma accedit ad quartanam magis minus, vt aliquando videatur quartana, quamuis Typus sit tertianæ. Hanc Galenus duplicem quartanam vocat, non ex typo sed ex forma; Horror, frigus, lassitudo ossearia, vigiliæ, vrinæ splendentes, calor vehemens, Sudor. Ex causis, si in autumno, si natura melancholica in æstate laborer, transit facile in quartanam. Ex mixtione pituitæ & melancholæ cum flaua bile; forma erit ex tribus cõfusa varia proportione. Prognostica omnes & quatenus intermittũt, non lethales.

1. Cri. 2.

4. Aph. 43. Protenduntur vltra septimam accessionem; diuturniores sunt, vbi seruatur æqualitas accessionum & ordo Auic. diiudicantur ex vrinarum cruditate & coctione. Non soluuntur nisi multum & crassum subsideat in vrinis. Mixturæ difficilius concoquuntur, quam simplices humores ob inæqualitatem, & remediorum pugnam.

2. Prog. 28. Oppositum videtur dici ab Hipp. vomitio vtilissima, si

2. Prog. 42. pituita per mixta cum bile excernatur, sincera deterior. Idem tradit de excreatione sincera.

An excretiones syncerae ostendunt cruditatem aut inconcoctionem. coctio enim æqualitatẽ facit commiscens. At humores putrescentes quo plures, difficilius

2. Prog. 40. commiscentur. Ideo in excretionibus spontaneis quo plures colores praui, eo deterius.

1. Gla. 10. Curatio tertianæ nothæ ex mixtione pituitæ; Alterãtia ad bilem & pituitam prout alter humor exuperat. Componit Galenus calida & ficca cum frigidis & humidis; cum ptisana, piper aut origanum, hissopum. An calida nocent febri, putredini & bili, prosunt tantum pituitæ; Tutiora igitur frigida, saltem præualeant. Humida nocent pituitæ & putredini: prosunt febri & bili; prodesse etiam pitutæ asserit Trall. nam per siccantia crassior fit. Tutiora ergo moderata, sed incidentia & abstergentia. Compositione diuersa temperantur, vt Acetosus simplex de duabus radicibus, Oximel

cum

cum sy. de cichorea, de endiuia, & aquæ eædē, vel capilli veneris, agrimoniæ cum hyssopo, apio, fæniculo. Euacuantia aliquando venæ sectio statim ab initio, si videris vrinas crassas. Auic.

Purgantia in principio, ex cassia, melle rosato solutiuo, manna, addita diaphœnicone, aut agarico, & rhabarbaro, cum iam signa coctionis apparuerint. Trallianus monet, non expectandam integram coctionem, quia fusi humores furiunt. Auic. videtur oppositum sentire, cum inquit: Expectanda digestio in solutione ventris plus, quam in tertiana exquisita, propter humoris crassitiem. An in crassis semper expectanda est aliqua concoctio, non tamen integra, quod & in turgentibus facit Galenus. Ideo in crassis sæpius purgandum. Galenus vtebatur Hiera ex colocynthide, nos pil. aggregatiuis. In singulis accessionibus quo natura vergit. Per vomitum, quem Galenus extollit post cibum ex oxymelite cum aqua tepida. Per aluum clysteribus acrioribus, sed initio mollioribus Auic. Molliores fiunt ex decocto communi addito melle violato, & oleo violato, chamæmelino, efficacius addita cassia, aut hiera simplici: acriores ex hiera picra, id est, composita, benedicta, diaphœnicone. Per vrinas, radices appii, fœniculi, asparagi, rusci in decoctione pro syrupo, additis seminibus communibus emulsis. Per sudores milii decoctio addito vini albi modico. Ad particulas affectas. Ad hypochondria calefaciendum extrinsecus ex oleo nardino, absynthino cum rosaceo, mastichino, aut addito cinnamomo. Fomenta ex absynthio, menta, meliloto, rosis decoctis in aqua & vino. Cataplasma ex cotonei carne addita spica. Intrinsecus deobstruentia cum robore partium apparentibus signis coctionis post factas aliquas euacuationes: absynthium singulis diebus cum mulsa, trochisci de absynth. de rhab. de eupatorio cum syrupis incidentibus. Ad habitum corporis balneum minus tutum quam in exquisita: conceditur tamen post euacuationem apparenti-

1. Gla. 10.

1. Aph. 24.

1. Gla. 10.

rentibus signis coctionis. Victus pro morbi magnitudine tenuior quam in exquisita, sed pro longitudine plenior, vt vires sufficiant. Nam tenuis officit viribus, plenus coctioni. Galenus nutriebat tantum alternis diebus ob longitudinem accessionis. Hodie minus sustinent inediam. Saltem sola ptisana multo ante accessionem, addito pipere, aut cinnamomo. In declinatione & die intermedia panis ex aqua aut iure parui pulli gallinacei, oua sorbilia abiecto albumine. Potus aquæ incocto coriandro vel anisato, cinnamomo, melle, aut cũ iuleb aut acetoso simplici. Cum accessiones fuerint breuiores, vberius nutriendum in interuallis, carne, vino.

Ad mixtionem cum humore melancholico: alterãtia humida magis, frigida minus, tenuium partium. Nõ acetum neque acida, sed dulcia. Succus pomorum dulcium, bugloſſa, lupuli, liquiritia. Fit artificiosa compositio, si cum frigidis & humidis, vt lactuca, endiuia, cichorio, soncho, violis addatur aliquid calidorum tenuium partiũ, vt thymi, origani, meliſſæ. Sy. de pomis, bisantinus, de lupulis, de epithymo, de fumo terræ cõp.

Euacuantia per sanguinis missionẽ, si exeat sanguis niger & crassus, aut per hæmorrhoidas. Medicamenta purgãtia leniẽtiain initio. Diasena lenitiuũ, diatholicõ, trifera persica; expectata aliqua coctione ob crassitiem. Postea efficacius per rhabarbarũ, mirabolanos indos; cõfectio hamech, electuarium de psyllo. In singulis accessionibus, per vomitum ex aqua tepida si eo vergat. Per clysteres molliores humectantes. Per vrinam & sudores, vt in exquisita. Ad partes affectas hypochondria rosaceum, melinum cum modico spicæ. Intrinsecus absynthium cum aqua borraginis. Ad habitum corporis optimum balneum humectans cum oleo. Victus humidus; ptisana iura carniũ ex auibus, hœdis, ouis, cucurbitis. Potus aquæ incocta liquiritia, iuleb violatum. Eadem ratione si ab omnibus humoribus fiat, remedia ad omnes componenda sunt.

CAP.

CAP. XXII.

Quotidiana.

QVotidiana, amphimerina, græce fit ex pituitæ putredine à natura detrusæ in sentientes corporis partes. Hippocrates diurnam & nocturnam vocat. Nocturna, quæ noctu tenet, die intermittit. Diurna die tenet, noctu intermittit. Galenus sub vesperam inuadit, quæ exquisita, nocturnam significat. *2. dif. fe. 4.* *3. in 1. Epi. 2.* *t. Cri. 3.*

Differentiæ, ex pituitæ differentiis, dulci, insipida, acida, vitrea, salsa.

Vitrea frigidissima & crassissima forte non expers aciditatis, quam quidam crudum humorem simpliciter vocant. Acida minus frigida, minus crassa, vtræque rigores faciunt ob morsum, sed sine febre, cum sine putredine existunt. *2. dif. fe. 6.*

Cum putredo mediocris fuerit, per totam accessionem rigor & calor sentitur, epiala proprie vocatur. In qualibet particula rigorem & febrem sentiunt eodem tempore, quia attolluntur vt in bullis halitus mordentes, circumpositio corpore frigido. Ob eandem causam in omni quotidiana inæqualis caliditas; potest tamen inæqualitas contingere ob aliquam mixtionem flauæ bilis, vt in tertiana notha. Cum putredo est vehementior, rigor desinit circa statum. Dulcis sub aqua & insipida continetur, mitior est, febrem facit sine rigore incipiens cum sola refrigeratione, exquisitior. Salsa caliditatis est particeps, vel ob putredinem, vel ob mixtionem serosæ humiditatis salsæ febrem facit cum horrore, quæ nota est. Pituita insipida per vstionem transit in salsedinem, vt dulcis in amaritudinem. Auicenna epialam aliter accipit, cum frigus in profundo est, ob vitream pituitam, calor in externis ob putridam exhalationem: accessiones vtplurimum quotidianæ, transit aliquando in quartanam & tertianam, licet pituita sit, quæ putrescit, ob crassitiem & paucitatem. *2. dif. fe. 9.* *De inæq. inf. 8.* *2. Cri. 3. & 5.* *2. dif. fe. 6.*

Eius

Eius acceſſio longitudinem habet à quatuor horis vſq; ad 24. ad ſummum raro accidit. Idem epialam opponit lypiriæ inter pituitoſas, quando pituita in internis accenſa non calefacit partes externas ob vaporis paucitatem, ideo frigent externa & ob conuerſionem calidi intro, & ob vitream pituitam in externis non putrefactam fieri quoque à bile craſſa. Sed aliter apud Græcos lypiria accipitur inter continuas. Cauſæ quotidianæ, vt materia, omne genus pituitæ, & quæ ſubminiſtrant. Natura frigida & humida. Pueri ante pubertatem. At qui creſcunt, plurimum habent calidi innati. An ſubſtantia calidi innati in ſanguine eſt & pituita? *Plac.7.* Semen & menſtrua pituitoſa ſunt: lac pituitoſum. Sed pituita in pueris à calore perficitur, in ſenibus tranſit in excrementum ob frigiditatem, hyeme. At ventres calidiſſimi 1. Aph. 15. nam fiunt optimæ coctiones. An optimæ etiamſi in ſanguinem pituitoſum, qui poſtea in vere perficitur? Digeritur in æſtate; pauciſſimus in autumno, reficitur in hyeme collecta materia ſanguinis, id eſt, pituita. Mulier regio paluſtris, cõſtitutio pluuioſa, vita ocioſa, ſomnus crapulæ, balneorum vſus poſt cibos. Cibi pituitoſi, vt legumina, ſiligo, bulbi, olera, rapa, caro agnina, ſuilla, cochleæ, caſeus, vinum nouum, fructus. Vitream efficiunt, ſi longo tempore victus talis adhibeatur, & vita ocioſa. Acidam frigiditas. 4. ſimp. 12. Trall. etiam caliditas, vt ex vino acetum. Concedit & Galenus ab aliqua caliditate ſemicoquente cibum in ventriculo in acidum conuerti. Ideo pituita acida minus frigida & tenuior eſt, quam vitrea; an aliquando ob mixtionem atræ bilis auſteræ, quæ diluitur in aciditatem. Inſipida nullam alterationem habuit. Dulcis à caliditate maiori fit quam acida, ſed naturali.

2. *dif. ſe. 1.*
3. *Aph. 27.*
3 *Aph. 14.*
1. *Gen. 18.*
1 *Na. hu. 37.*
1. *Aph. 15.*
De in æq. int. 8.
4. *Simp. 15.*
2. *dif. ſe. 6.*

Salſa multum paſſa eſt à calido extraneo. Aliquando mixtione bilis diluitur amaritudo in ſalſedinem, ſic vrina ſalſa ob bilis mixtionem. Locus generationis ventriculus. cerebrum. Vtitur natura dulci pituita & inſipida ab

daad cibi elixationem, vnde saliua ex capite. Reperitur in fœtu ventriculus pituita plenus, vt in venas attracta vertatur in sanguinem. Vitrea congelatur in colo magis, acida in ventriculo. Salsa in venis, indicio vrina salsa, in hepate, & per putredinem in cerebro, thorace, suppurationibus. Locus collectionis ad febres, vtplurimum in ventre inferiori, circa ventriculum; in cerebro, pulmone, in exiguis eorum venis, vnde in totum corpus spargitur extra venas. Efficiens vt in cæteris retentio in loco calido vel propter imbecillitatem, vel obstructionem, quæ vtplurimum contingit ob crassitiem & lentorem. *2. dif. fe. 6.* *2. dif. fe. 5.*

Signa quotidianæ exquisitæ, ex forma incipere cum frigefactione tantum; hanc appellat sensum inæqualitatis 2. Sy. ca. 5. quia dulcis & insipida morsu carent. At acida & vitrea cum rigore, non tamen vehementi; ex salsa cum horrore. Distinguuntur à cæteris, quia ægre calefiunt. In augmento tarda mutatio tum pulsus, tum caloris, difficulter accenditur tanquam ligna viridia. Calor tactu humidior vaporosus, cum quadam acredine non statim inæqualis veluti per cribrum eleuatis ampullis interius calidis, exterius frigidis. In statu summa caliditas non vrens, neque cogens corpora denudare. Non multa sitis, neque respiratio frequens; at ex salsa magis sitiunt, & vruntur, vt in ardente nota. Declinatio longa, modica euacuatio ob crassitiem. Sudores non proueniunt in primis diebus, sed in processu. Vomitus pituitosus, deiectiones humidæ; interuallum impurum, quia multa hærent in poris, sex horarum Auic. Pulsus in principio parui, debiles, inæquales, inordinati ob vētriculi affectionem, afflictatio pulsus vocatur, quod maximū signum putredinis, minor est, quam in quartana & tertiana, frequentior quam in quartana. Sed vbi putredo non in ventriculo continetur, neque eius afflictatio est; pulsus magnus, rarus & laxus de typis 4. Vrinæ in principio albæ tenues: in augmento & statu albæ crassæ, turbulentæ vel rubidæ. In statu totius morbi multa subsi- *2. dif. fe. 4.* *& 2. Cri. 5.* *2. dif. fe. 9.* *1. dif. fe. 7.* *1. Gla. 7.*

dentia alba vel rubida, quo tempore frigiditas & horror maior Auic. in declinatione subsidet album lene & æquale. Color faciei cum pallore albus etiam in accessionis statu. Lingua alba humida. Signa loci affecti, ventriculi tumor, grauitas vomitus, afflictatio pulsus, syncope intestinorum, alui deiectio, tormina, cerebri sopor, grauedo, distillatio, thoracis tussis cum sputis albis, Veteri fluor.

3. in 1. Epi. 6 Prognostica. Longa est non admodum lethalis, quæ nocturna dicitur, diurnæ longiores sunt, quibus ad tabem Galenus causam affert, quia in die constringitur corpus ab accessione, cum rarescere deberent & digeri, & ob vitæ commutationem. Auic. quia mouetur in tempore non conuenienti pituitæ. An qui diurna fit à pituita salsa, quæ ob caliditatem mouetur in tempore calido, & salsi succi longo tempore corriguntur. 5. Meth. 14. Transeunt facile in continuam. In tabem si in pulmone. In lethargum, si in cerebro. In hydropem de Typ. 4. si in intestinis.

CAP. XXIII.

Curatio Quotidianæ.

11. Meth. 8. IN curatione quotidianæ alterãtia ad pituitam requiruntur calida & ficca eadem ad obstructionem tollẽdam. Sed calida nocent febri & putredini, & pituitæ salsæ. Siccãtia prosunt putredini & pituitæ nõ salsæ: at nocent febri. Conueniũt igitur ad concoctionem mediocriter calefacientia in sanguinem, vbi pituita dulcis & insipida. Ampliorem caliditatem requirunt vitrea & acida, vt aliquando iuuet calor febrilis. Sed ab his concoctio non in sanguinem fit, sed in simile puri. Salsa ob exustionem contemperamento eget, ne exulceret, & excruciet. Ad dulcem & insipidam mitiora, oxymel simplex, acetosus simplex, de duabus radicibus. Decoctio serpilli, mentæ pro ventriculo, stœchadis, betonicæ, saluiæ pro

1. Dif. fe. 6. & 5. Aph. 70.

uix pro cerebro; hyssopi, capillorū veneris pro thorace; artemisiæ pro vtero. Si febris contra indicet, temperentur cichorio acetosa. Ad vitreā, efficaciora, oxymel cōpositum, acetosus de quinq; radicibus; scilliticum, decoctio sincera acrium, thymi, serpilli, satureiæ, seminis apii, ameos, calamenti, mentastri, sampsuchi, liguistici, meu, ferulæ, panacis, peucedani, angelicæ, chamedreos, chamæpytios. Ad acidam tenuem eadem sine aceto. Ad salsam, refrigerantia non siccantia, Trall. Sy. bisantinus cū aceto, cichoriū, hordeum, bugloss̄a, lupulus, acetosa. Anquæcumq; pituita putrescens ab his iuuatur, nam ex putredine redditur salsa? Euacuatio per venæ sectionē in hac magis conuenit, quam in tertiana ob accessionis longitudinem & breue interuallum, ad euentandum, siuenna crassa & rubea, Auic. Non vbi multitudo crudi humoris, id est vitrei; neque vbi multus rigor & refrigeratio, pauca vero febris, aut confert partiri in plures dies interim digerendo per potiones prædictas. Purgatio ab initio, vbi aliqua coctio, incipiendo à mitioribus, cassia cum speciebus hieræ simpl. vel diaphœnicone. postea ex agarico, turbith, colocynthide, pill aggregatiuis. Trall. exhibet agarici scrup. 3. vel 4. cum melle: addit aliquando gentianæ drachmam vnam cum mulsa: nam aufert obstructiones, aluum deiicit & vrinam. In singulis accessionibus, quo natura vergit, vomitus post cibum & radiculas assumptas. Per vrinam vtendum valentioribus, Asaro, phu, nardo. Ad partes affectas. Ad ventriculum, circa principia roborantia, & aliqua ex parte repellentia. Perfundere ex oleo absynthii, mastichino, nardino, admixto rosaceo. Circa statum sollicitudo habenda est: adhibenda digerentia & dissecantia cum roborantibus. Fomenta ex menta, absynthio, melilo-to, iride, incoctis in aqua & vino austero, additis puluer-ibus, ex spica, cinnamomo, gariophyllis. postea inungendū ex nardino aut cerato cū speciebus aromaticis. Cataplasma ex medulla panis tosti, vel carne cotonei ex vi-

Decu. per-fam. 12.

1. Gla. 12.

11. Meth. 16

ex vino additis speciebus. Intrinsecus ad obstructionem auferendam, trochisci de absynthio cum syrupo, semen vrticæ post euacuationem Auic. Ad intestina, non astringentia, oleum rutaceum, chamæmelinum, anetinum, tum extrinsecus, tum per clysteres. Ad cerebrum in principio repellentia per oxyrrhodinum; postea digerentia ex decocto serpilli, betonicæ, chamæmeli, sphondilii in oleo & aceto. Puluis insparsus sincipiti ex iride, cardamomo, nuce muscata, mastiche, aristolochia, castorio, Errhina, & Apophlegmatismi. Ad thoracem extrinsecus relaxantia & digerentia: oleum chamæmelinum, anethinum, amygdalarum dulcium, cum puluere iridis. Intrinsecus prouocantia sputum ex oxymelite, hyssopo. Ad habitum corporis non balneum, sed inunctio cum frictionibus ex oleo anethino rutaceo. Ad rigores infestantes inunctio spinæ ante accessionem ex pipere, thure cum oleo, vel vt Trall. ex pipere, pyretro nitro, inungatur spina & extrema.

11. Meth. 18 & 13. Meth. 12.

Victus extenuans ad incidendum, non tennis ob longitudinem morbi, licet in initio parciore vti ad pituitam concoquendam, nam nutrit, si non fuerit excrementitia: atque eo victu minuetur materia, postea augendus victus, vt sufficiat ad vires conseruandas. Ptisana cum pipere, hyssopo, thymo. Medulla panis cum decocto apii, porri Trall. Conueniunt salsamenta, capparis. In potu mulsa in primis diebus incocto hyssopo, & quæ valde vrinam cient: oxymel non nisi post primos dies, aqua incocto aniso aut cinnamomo, vinum album apparente coctione.

Y. Gla. 12. 12. Meth. 3.

Nutriendus ante accessionem saltem per quatuor horas. Auic. Reliquæ sex res non naturales vergant ad calefaciendum & siccandum: non tamen motus conuenit, sed eius loco frictiones in processu.

CAP.

CAP. XXIV.

Quartana.

QVartana exquisita fit ex atra bile putrescente, & per corporis partes vehementer delata. Est humor frigidus & siccus, quendam tamen calidum esse ex assatione, erodentem, qui terram fermentat vt acetum acerrimum, lethalem esse, vbicumque apparuerit excerni: gigni in naturis calidis & siccis, temporibus, locis, constitutionibus & morbis, eiusdem naturæ, vt in Causone, Carbunculo. Ex sanguine assato, vt in peste. Ex nigro humore superassato; Ex flaua bile assata, quæ pessima. Humor niger proprie dictus Melancholicus ab antiquis simpliciter per nigrum significatur, vt deiectiones nigræ, qualis sanguis niger est, sanguis crassities maior, vt fæx; eius sapor nullus manifestus, nec odor. Differt à sanguine, quia non congelascit sub dio, sed humescit, vt cæteri humores. Hic quoque aliquando æquiuoce atra bilis vocatur, at non acris, non acida, non acerba, nec erodens, non lethalis. Visu quoque discernitur; nam atra bilis fulgentem habet nigredinẽ. Quartana ex quisita videtur ex nigro humore tantum fieri; Nam securissima est.

2. dif fe 5.

De Atr. 6. 4

Atr. bi. 4.

4. Aph. 21.

4. Aph 23.

3. in 1. Epi. 4

At ex assata quoque videtur Galenus concedere 3. Prog. 27. quod aperte Trallianus asserit. An vterque humor frigidus est & siccus, quia terreus; oriuntur in autumno. Nam ~~quæ deusta sunt in æstate, refrigescunt in autumno.~~ Vterque per assationem fit in calidioribus naturis & reliquis causis calefaciendibus vltra sanguinis coctionem in Hepate. Differunt, quia atra bilis magis, humor melancholicus minus retinet vestigium caliditatis, flaua bilis simpliciter calida est & ficca, quia in tenui materia respondet igni. Quodcumque autem post caliditatem refrigeratum est, crassum existens respondet terræ, sic atra bilis. Acredo caliditatem arguit. Acerbitas, aciditas, insipidum, frigiditatem.

1. Nat. hu. 36.

Atr. bil. 6. 4. tu. sa. 4.

Simul acre & acerbum esse patet in alumine: simul acre & acidum patet in aceto. Idem contingit in atra bile, per multam assationem. Humor melancholicus remanet insipidus, quia non multum exustus est. At
4. Aph. 21. vero si ex putredine humor niger transit in atram bilem, in omni Quartana erit atra bilis, sic nulla securissima. An per coctionem non transit in atram, sed in albedinem: facilius autem coquitur humor niger, quam atra bilis. Auic. aliam speciē melācholiæ ponit phlegmaticam, ex pituita assata. At pituitæ assatio aut salsedinē facit, aut siccata in tophos conuertitur, non in nigredinem.

Causæ, vt materia, omne genus atræ bilis, & quæcūq; subministrant. Cineres humorū vehementer assatorum, aut per æstatem, aut per febres, vnde vtplurimum post erraticas. Gignunt huiusmodi humorem, temperamentum calidum & siccum, tempora, constitutiones, loca, fe-
3. Prog. 27. bris ardens, studia, curæ, vigiliæ. At eadem gignunt flauam bilem, an in materia tenui: Atra bilis in crassa. Cibi crassi & siccissimi, lēs, cochleæ, carnes taurinæ, bubulinæ, hircinæ, leporinæ, sed ætatis senilis, sale cōditæ, cetacea, vinū nigrū, crassum & austerū. At alibi scribit Gal. Procli-
2. dif. fe. 1. uis ad atrā bilem est natura frigida & sicca: ætas declinās, autumnus. An ad eius generationem vtrumque requiritur, caliditas prius assans, deinde frigiditas, vt quod assatum est, refrigeretur. Ideo inæqualitas autumnalis ma-
1. Gla. 6. xime facit: & si eadem die modo calor, modo frigus existat; contingunt tamen quartanæ & in æstate, & in hye-
3. Aph. 4. me. An in omnibus temporibus & ætatib. omnes mor-
2. Aph. 25. bi contingere possunt ob varias causas? Efficiens est diu-
3. Aph. 19. turna mora in aliquo loco calido propter obstructionem ex crassitie aut multitudine, aut propter imbecillitatem expultricis. Locus generationis hepar, collectionis lien,
2. dif. fe. 5. venæ hæmorrhoidales, ob succum fæculentum ex fæcibus, intestina crassa, ossa, cartilagines, ob nutrimenti similitudinem. Locus putredinis, venæ exiguæ
1. Gla. 5. dictarum partium, præcipue lienis. Locus expulsionis

in sin-

in singulis accessionibus, habitus corporis. Circa hæc dubitatur. Scribit enim Galenus: Cum atra bilis in quibusdam partibus mouetur, in quibusdam manet immota, in aliis putrescit, aut feruore incipit, erraticas fieri. Sed cum in cunctis venis eadem fiat affectio exuperãte atra bile, quartanas fieri, maxime cum æstatis conuersio fiat in autumnum. At oppositum habetur 9. methodi. 5. cum inquit: In omnibus venis vel maximis continuas fieri, in vnica particula accessiones, quæ certo ambitu redeunt. An redundantia in omnibus venis æqualiter æquales circuitus facit, si ad vnicam particulam ferantur inæquales & erraticas, si inæqualiter ad diuersas partes, si vero in omnibus putrescant synochas? 3. Prog. 27.

Signa quartanæ exquisitæ incipientis, horror non vehemens in primis diebus, augetur in progressu, vnde & rigor appellatur, mixtus ex calido & frigido, vt in vehementi gelu, quia humor frigidus calidus ob putredinem, lassitudo ossearia, ostocopos græce dicta, quia videntur contusa ossa & carnes confractæ ob humorem mordentem simul & tendentem ampliter transfusum. Calor paulatim accenditur in augmento, velut lapis, testa, os. In statu cito comburit totam materiam non adeo æstuosus, vt in tertiana, acris & mordax, non vaporosus. In declinatione sudor copiosior quam in quotidiana, minor quam in tertiana. Tota accessio similis aut paulo longior, quam tertiana, breuior, quam quotidiana. Auic. ad horas viginti, magis minus pro crassitudine, robore, & laxitate. Interuallum purum, si conferatur cum quotidiaua: nam adhuc remanet aliquod signum febris in pulsu maiore & tardiore. Longitudo interualli horæ 52. Totius circuitus horæ 72. Pulsus in principio paruus, debilis, tardus, rarus maxime omnium videtur arteria deligata & detracta ad interiora, vt nõ liberum habeat ascẽsum: qualis in ætate decrepita, quamuis in iuuẽtute, quod nulli alii inest. In augmẽto perseuerat in raritate & tarditate paulo minus. In statu velox & fre- 2. Sy. ca. 5. 2. dif. fe. 9. 2. dif. fe. 1. 1. Gla. 6. 2. Cri. 4. 1. Gla. 6.

quens minus quam in tertiana. Inæqualitas in vno pulsu manifestissima, quæ in omnibus putridis reperitur ob contractionis celeritatem in tarditate dilatationis, quod in augmento magis conspicitur. Vrinæ in principio totius morbi albæ, tenues, aquosæ. Si ex bile assata flauæ, multum perspicuæ, splendidæ. In augmento crassescũt & magis colorantur. In statu eædem cum multa residentia minus quam in quotidiana. In declinatione crassæ & nigræ, aliquando nigra deiectio, aut vomitus. At perfecta coctione contenta in vrina dealbantur. Ex causis quoque & publice vagantibus signa peti possunt. Prognostica, quartana longissima, securissima, facilima, liberat à magnis morbis, sanat conuulsiones, epilepsiam. Nam calor febris concoquit rebelles. Rigor autem expellit è profundis. Æstiuæ breues, autumnales longæ, hyemales longissimæ. An æstiuæ naturam flauæ bilis retinent, licet typus sit quartanæ, quia in locis melancholicis putrescit. Ex liene inflammato graues, quia in hydropem & icteritiam desinunt. Soluitur in vere aut in æstate ob transpirationem non vltra annum, nisi error contingat: per sudores, vrinas Auic. peruenisse aliquando ad annos 12,

2. Cri. 4.
1. Cri. 11.
De vr. 15.
4. Aph. 21.
2. Cri. 4.
3. in 1. Epi. 4.
5. Aph. 10.
2. Aph. 25.
3. in 1. Epi. 4.
3. Aph. 27.

CAP. XXV.

Curatio quartanæ.

CVratio quartanæ. Ad humorem melancholicum alterantia conueniunt calefacientia, & humectantia, atque attenuantia. Febris non prohibet calefacientia ob longitudinem interualli: neque putredo, quia per hæc humor frigidus tendit ad coctionem. 5. Aph. 70. Dubitatur tantum de atra bile per assationem. Nam Trallianus aduersus Galenum vtitur refrigerantibus: idem confirmat Auic. An suspecta in his quoque refrigerantia, quia concurrunt ad atræ bilis generationem post eorum assationem? Tutiora igitur temperata, quia calida

1. Gl. 11.

calida exasperant, vt in cancro. Humectantia vero ad omne genus atræ bilis cõueniunt: consentit & febris, neque prohibet putredo, quia est in substantia sicca. Vtitur tamen Galenus quibusdam siccantibus, vt salsis, pipere, sinapi, & laudat abstinentiam balnei. At præcipit quoq; non siccandum: illis autem vtitur tanquam dissecãtibus, nam eorum siccitas temperatur victu humectante. Balnei vero vsum damnat, quia refrigerat. Inter humectantia igitur eligenda, quæ dissecent. Pauca vero reperiuntur inter simplicia. Dulcia tenuium partium: Buglossa, glycyrriza, crocum, dactili, passulæ, passum, hordeum, mel, saccharum, succus pomorum dulcium, melopepo, persica, serum lactis, vinum album, tenue & dulce. Sed artificiosa compositione multa parãtur vtilia, acria & salsa permiscendo cum cibis humectantibus, vt piper, sinapi, & salsamenta quædam piscium paruorum. Potiones quoque parantur, vt cum aqua cichorii vel borraginis, endiuiæ addatur aliquid thymi, origani, serpilli, melissæ, cuscutæ: syrupus de pomis dulcibus simplex, compositus, de lupulis, de fumo terræ simpl. & compositus: Bisantinus sine aceto, nam acerum inimicum 5. Acut. 38. de epithymo. Euacuatio autem per venæ sectionem, si admodum abundare videatur, conuenit, sed moderate, non ad ventilationem ob caliditatem, sed ratione crassitiei sanguinis, ex media aut interna sinistri brachii, vt respiciat lienem. Si sanguis fluat crassus & niger, audacius: si flauus & tenuis, statim supprimendus. Ab initio autem leniter & mediocriter tractare oportet, nullum forte medicamen aut euacuationem molientes. Alioqui exasperatur, & ex simplici duplicatur & triplicatur, & tandem in continuam vertitur cum periculo. Ideo Auic. non ab initio, sed post materiæ concoctionem vtitur. Alexander Trallianus in statu non antea venam secabat. Purgatio ab initio admodum leniterà Galeno præcipitur, iis quæ vsitata sunt in victu, vt fercula ex multo oleo, malua, beta, Mercuriali. Si hæc non profecerint, clyste-

1. Gl. 11.

clysteres primo molles, postea acriores. Cum vero apparuerint signa coctionis, purgantia humores atros non semel, sed sæpius, si fuerit necessarium. Lenientia, vt cassia, manna, syrup. violatus solutiuus, serum lactis vaccini. Leuiter purgantia epithymum, sena, polypodium, Mirabolani indi. Vehementiora Elleborus niger, lapis Lazuli, Armenus. Composita, diasen. lenitiuum, diacatholicon, triphera persica: Efficaciora, Confectio hamech, pill. indæ de lapide Lazuli, de lap. Armeno. Recentiores exhibent Antimonium præparatum. Galenus etiam per superiora vomitu post cibum continuem. Trallian. affirmat, sanasse etiam inueteratas. Auicenna huius gratia cibum exhibet ante accessionem vomitus gratia. Ad vomitum mulsa non nimis aquosa Raphani decoctum. Gal. si nihil prohibeat, confugit ad Elleborum album aut commixtū cum radicibus. Si difficulter vomant, plenius purgandi per inferiora. At nostris temporibus timent Elleborum præcipue album, non timent antimonium præparatum. Sed satius est longa coctione humorem adeo rebellem
1. Gl. 11. vincere, & moderatis purgationibus.

Ad partes affectas: prouidendum in statu visceribus, vngendo & emplastrando iis, quæ mollire & laxare possunt. Ad lienem, chamæmelum, semen lini, farina
11. Meth. 16 hordei, fabarum, fœnugræci, absynthii, ballot. capparis, chamædrys decocta in aqua & modico aceti: fomenta, inunctiones, cataplasmata. Deinde medicamētis vtendum, quæ ciendi vrinā vim habent. A splenium in potu. Ad habitum corporis, frictiones magis laudantur quam balnea. Hæc tamen adustis conferre possint, sed incocto chamæmelo & adiecto oleo.

Ad spinam propter horrores, hora vna ante accessionem inunctio ex oleo cyprino, chamæmelino, euphorbio, castorio, pipere. Quidam addunt theriacam cum aqua ardente felici successu: nam aufert accessionem. Galenus in potu dabat theriacam, & alia vehemen-

menter calida ad reliquias dissipandas post purgationes per duas horas ante accessionem, cum præcesserit die præcedente vomitus post cibum, die vero sequenti dabat in potu absynthii succum. Quod remedium protinus liberat ab accessione. Qui vero hæc ante statum exhibuerunt, exasperarunt, vnde duplicata est, & triplicata, & facta continua perierunt. Trallianus damnat antidota ad quartanam ex vehementi adustione, sed refrigerantibus potius & humectantibus vtendum, iteratis purgationibus, & quæ vrinam prouocare possint, non valde calefacientia. Aliquando vtebatur soporiferis, in quibus vigiliæ & sitis comitantur, ex opio, hyoscyamo, hora vna ante accessionem; nam somno oborto accessio impeditur, aut minuitur. Recipit opii, castorei, opopanacis, hyoscyami singulorum partes æquales, ex melle fiant catapotia dosis scrup. 1. componit etiam alia ratione mitius. *De the. ad pis. 15.*

Prædicatur à proprietate, quod mirifice omnibus auxiliatur decoctum scorpiuri potum ante accessionem, mouet aluum & vomitum. Dioscorides buglossi decoctum in vino, heliotropii maioris grana quatuor.

Victus humectans, temperatus in calido & frigido nunc vergens ad caliditatem ad humorem melancholicum, nunc ad frigiditatem in adustioribus optimi succi, attenuans. Quantitas vt in sanitate, si accessio breuis sit: & consueta exercitia in interuallo. Si longa sit accessio, & in statu totius morbi conuenit victus tenuior, & quies. Carnes ex volatilibus non palustribus, nec crassis, nec viscosis, hœdina, vitulina, castrati, non porcina, pisces molli carne, oua, non legumina, non flatuosa, Vinum album tenue modice calidum.

Salsamenta ex piscibus molli carne, vt Alex, Butarghe, cauiale non dura. Quo cibo Trall. atra excreuisse, & lienem extenuatum. Sed aliquantum sitim tolerare oportet sine potu, vt postea vinum dilutum affatim bibat. Cappares saliti ex oleo & accto. Certis diebus sinapi, *De atr. bi. 4.*

dia-

diatrion pipereon, dioſpoliticum, vel quotidie piper cum aqua. Sed hæc in aduſtis fugienda: potius refrigerantibus & humectantibus vtendum: Melopepones, vua, mala perſica, lactuca, endiuia, cicorium, oſtreæ, piſciculi Trall. & Auic.

Aetius, ſi ſecedant humores mordaces lac aſininum aut equinum vel caprinum heminis tribus vſque ad ſex ſingulis diebus augendo, nam ſimul purgat & inſtaurat. Iterum repetendum intermiſſo vno circuitu. Iterum intermiſſis duobus circuitibus, ſed minuenda lactis mẽſura. Etiam moderata potio cum buccella panis ante acceſſionem iuuat, ſi in ventriculo non aceſcit, aut nidoroſum ſit. Aſſuetis per ſanitatem, vbi morbus in ſtatu cum ſignis manifeſtis coctionis, nullo viſcere læſo, aquæ frigidæ potio duabus heminis inſtante prope acceſſione, prohibitus rigor, & aliquando acceſſio: ſed hæc vrgente caliditate in valde aduſtis.

Alii tutius in humore frigidiore ad prohibendos horrores ante acceſſionem præſumunt medullam panis, imbutam vino generoſo, & idem vinum ſuperbibunt.

CAP. XXVI.

Complicationes intermittentium.

2. Cri. 2. MIſcentur eiuſdem ſpeciei febres intermittentes, vt duæ tertianæ vel tres. Duæ videntur: vna quotidiana, ſed formis diſcernuntur.

2. Cri. 9. Tres tertianas animaduertit Galenus in iuuene. Quarum vna accedebat hora quinta diei: altera hora ſeptima noctis: tertia hora decima alterius diei. Omnes anticipantes. Putabatur ſemitertiana, quia erant continuæ per ſubintrantiam omnibus anticipantibus. Sed cum in proceſſu poſtponerent, manifeſte apparuerunt intermittentes fuiſſe. Cauſa duplicis tertianæ eſt bilem colligi in loco pituitoſo, vt in ventriculo, vnde fit typus quotidianæ, quamuis bilis putreſcat. Tertia autem ſignificant alium

alium locum, vt mandantem, qualis hepar. Quo autem plures acceſſiones fiunt in vno circuitu, eo magis periculoſæ; nam facile tranſeunt in continuam. Curantur vt tertiana ſimplex, ſed in his conuenit magis venæ ſectio ad euentationem, & victus tenuior. Proſpiciendum quoque eſt duobus locis, ſcilicet mandanti & recipienti. Quotidianæ duæ ſæpe in mulierib. cõtingunt, vt vna nocte aduenias, altera die: vnde nocturna & diurna ſimul coniungantur. Tres quoque contingere poſſunt, vna mane, altera veſperi, tertia in media nocte, aut alio modo. Cauſa eſt multitudo partium, vt ventriculus, vterus, caput, thorax; dignoſcuntur eſſe quotidianæ forma: partes affectæ recipientes aut mandantes ex læſione. Curantur vt ſimplices, ſed remediis ad plures particulas. Quartana duplex aliquando typo videtur eſſe ſimplex tertiana; contingit, quia atra bilis colligitur in parte biliosa apta nata diebus imparibus commouere humores. 2. Cri. 2.

Aliquando autem vna dies integra eſt ſine febre, duæ ſequentes cum acceſſione. In hac ſignificantur duo loca, typum quartanarium duplicem facere, vt mandans & recipiens. Triplex quartana ſingulis diebus acceſſionem facit, vt videatur quotidiana, vel ob tria loca, vel in vno loco pituitoſo collecta materia melancholica, vnde typus fit quotidianæ. Forma autem omnium eſt quartanæ, curantur vt ſimplices. Diuerſæ ſpeciei febres coniunguntur: Tertiana cum quotidiana ſæpius, quam falſo appellant vulgo duplicem tertianam: dignoſcuntur formis. Hæc diebus imparibus bis accedit aut diuerſis horis, quam complicationem vocat Galenus, eadem hora inuadentes conſtituunt vnam febrem maiorem, quæ commixtio & confuſio dicitur. Typ. 3. 2. Cri. 7.

Diebus autem paribus vnica fit acceſſio quotidianæ. Contingit ob loca diuerſa, nam in vno colligitur bilis, in altero pituita. Citius autem deſinit tertiana, tardius quotidiana.

Remedia ad vtrumque conueniunt. Tertiana cum quartana raro apparet, dies ſecundus & ſextus ſine acceſſio-

ceſſione ſunt, ſeptima die bis accedit, aut vna ex duabus fit magna. Dignoſcuntur ſimiliter formis, loca collectionis duo, ſcilicet flauæ bilis, & atræ, & curãtur vt ſimplices: quotidiana cum quartana ſæpius apparet. Hæc in diebus quartanæ bis accedit, aut vna acceſſio maior, in cæteris diebus vnica febris quotidianæ. Sed has vulgo appellant tres quartanas, quando eadem hora acceſſio quartanæ coniungitur cum quotidiana. Sed forma quotidianæ diuerſa eſt à quartana. Loca putredinis duo, vnde duplex typus. Contingit omnes ſimul coniungi, atque eadem ratione dignoſcuntur, & curantur. Commixtio autem humorum in eodem loco formam acceſſionis facit commixtam, vnicum autem typum, vt de tertiana notha dictum eſt. Idem de cæteris ſentiendum, in quibus remedia ad ſingulos humores componenda ſunt. Erraticæ dicuntur, quæ inordinatis typis accedunt. Contingit hoc ob inæqualitatem humorum, qui vtplurimum in morbis acutis incinerati varie feruntur ad diuerſas partes, vnde varias acceſſiones & inordinatas faciunt, donec in vna ſede conueniant: tunc vnus fiet circuitus ſecundum naturam partis, vt-
3. Prog. 27. plurimum autem quartana, cum naturam atræ bilis adepti fuerint, quia hos natura ad partes melancholicas tranſmittere ſolet. Eadem humorum varietas, & motus ad varias partes complicationes plurium typorum facit, & duplicationes multiplicationesque, in quibus ordo aliquis eſt, ſed ob multitudinem acceſſionum latet, ideo
2. dif. fo. 11. inter erraticas putantur ab imperitis, vt Galenus inquit. Quod autem quædam anticipent, auctam eſſe irritationem, ſignificant aut à multitudine, aut qualitate. Quæ autem poſtponant, eaſdem cauſas diminutas eſſe oſtendunt. Sed hæc omnia propter errores in victu contingere poſſunt. Curantur erraticæ facilius, quam quæ perpetuo ordinem ſeruant: ſignificant enim confirmatum eſſe affectum in parte, qui difficilius tollitur.

Ad varium motum humorum prodeſt ſedatio perturba-

turbationis per refrigerantia & mitigantia acrimoniam irritantem, vt per quietem fiat concoctio. Si periculum immineat, ne ferantur ad partem aliquam principem, quod turgere dicitur, euacuatio per medicamentum purgans, pro humore peccante. Ad omnes autem humores conueniunt pilulæ aggregatiuæ. Victus autem sit tenuis & exquisitus.

Interpolatæ ex forma accessionis dignoscentur, à quo humore fiant. Quintana formam accessionis habet tertianæ, sed accedit ad quartanam ex bile adusta. Curatio eadem, quæ tertianæ nothæ ex mixtione atræ bilis per adustionem. Non conuenit venæ sectio ob humoris paucitatem, neque eget euentatione ob longitudinem interualli. Conueniunt humectantia & modice refrigerantia, & purgatio post longam humectationem, ex sero lactis aut lacte asinæ, interiectis aliquando efficacioribus ad bilem adustam. Thoraci prospiciendum, ne transeat in tabem: humor enim peccans vim corrodendi habet. Septana & nonana si contingant, non egent curatione, quia non lethales, & ob longitudinem interualli vires non labefactant. Victus ratio, vt in quartana ex humore frigido.

3. in 1. E-pi. 9.

3. in 1. E-pi. 7.

CAP. XXVII.

Continuæ.

COntinuæ quædam habent accessiones, vel potius exacerbationes quotidianæ centinuæ, tertianæ, & quartanæ: vel exquisitæ vel nothæ, simplices vel commixtæ. omnes putredinem habent in aliqua parte aut cum inflammatione, quæ febres per accidens appellantur, aut sine inflammatione, in cauitate tantum venarum, existente putredine, non affecta substantia solida, quæ febres per se dicuntur. Quædam vnica accessione constant vsque in finem, sinochæ appellatæ, id est continentes: homotenæ in eodem tenore: epacmasticæ, semper increscentes, paracmasticæ semper decrescentes, putredi-

tredinem habent in omnibus venis aut maximis, putrescentibus succis non magis in vna parte quam altera. Nunc flaua bile, nunc reliquis vna cum sanguine. Nam sine sanguinis multitudine non contingit putredinem porrigi in omnes venas.

2. dif. fe. 11.
2. dif. fe. 2.
9. Meth. 3.

Hoc modo eadem genera, quæ sunt in intermittentibus, proportione reperiuntur in continuis, manifestius quidem in habentibus accessiones: non obscure autem in synochis: nam acutie tantum differunt à cæteris continuis. Vnde colligit Galenus, tria vniuersa esse simplicium febrium genera. Nam continua, quæ pro quarto genere ponitur 2. Nat. hum. 22. & synocha in sanguine apud Auicennam proportione respondent tribus intermittentibus. Ex flaua igitur bile causos fit, id est, ardens exquisita, siue in genere synochæ, siue tertianæ continuæ appellationem habuit ab vrente caliditate, quam comitatur sitis incompescibilis per totum morbum. Sitis sedes potissimum in iecinor. sima parte, in ventriculo, eius ore, in pulmone: Ieiuno intestino ideo in habentibus accessiones has partes affici putandum est. Hipp. in æstate fieri, cum venulæ exsiccatæ traxerint hichores acres & bilioſos. Et in Aquilone tenuissima fluxio in internas partes fit, vnde ardens exquisita. Ex pituita salsa ardens nota. Ex aliis generibus pituitæ typhodes, id est, succedentes, longiores: medio modo semitertianæ. Quotidianis continuas Hippocrates intellexit, cum dixit: Accessiones diebus paribus plerisque fiebat. Et paribus maior exacerbatio, vt de Philisco tradit 3. in 1. Epi 18. & iudicia. 3. in 1. Epi. 13. 2. in 1. Epi 75. Ex atra bile raro fieri quartanam continuam, testatur Galenus 2. dif. fe. 2. ob circuitus longitudinem. An inter acutas, quæ quarta die & septima exacerbatur, admodum lethalis quartana est continua: non per subintrantiam, quæ raro contingit, ob circuitus longitudinem.

2. Cri. 6.
3. in 3. Epi. 34.
1. in 1. Epi. 10.
4. Acu. 1.
1. in 1. Epi. 10.
4. Acu. 13.
1. Aph. 12.
3. in 3. Epi. 36.

Hippocrates de internis affectionibus omnes has febres typhos vocat vel à bile, vel à pituita, vel ab atra bile: numc-

numerat autē quinque modos: idem videtur intelligere, sub nomine causon, typhos & Pyr. id est ignis. Lipyria genus est ardentis pernitiosum, in qua interna calent, externa perpetuo frigent, cuius apud Hipp. fit mētio 2. *de morbis. Trall. inquit.* Cum erysipelas ventriculum occupat, lipyriam Græci vocant; si iecur typhodem; si pulmonem crimnodem. Sed aliter apud Auicennam *lipyria* inter pituitosas, in qua rigor est sine febre ex Galen. 2. *dif. fe. 6.* *De inæq. in te. 8.*

Miscentur continuæ inter se & cū intermittentibus, inter quas hemitritæus est, id est semitertiana: alii Medici omnes complicationes acutiores semitertianas vocabant, at Galenus solum dici hemitritæum quotidianam continuam cum tertiana intermittente: non vtrisque intermittentibus, quia acuta & grauissima ponitur ab Hipp. Neque vtriq; continuis; quia horrifica: altera die grauius, in qua duæ accessiones: altera leuius, in qua vna accessio ex sola quotidiana. Si tertiana intermittens sit, dieb. imparibus horrificæ repetitiones fiunt ob pugnam humorum, nunc breuibus spatiis motus inæquales fiunt, nunc longioribus, vt plures accessiones videantur, quæ reduplicationes dicuntur, bis, ter, aliquando quater, nunc per totum morbum, nunc semel tantum, cum accessiones vel anticipando, vel postponendo abiunguntur. 2. *dif. fe. 8.* 3. *in 1. Epi. 5* 1. *in 1. Epi. 24.*

Si quotidiana intermittens sit, singulis diebus motus horrifici fiunt. Exquisitus autem hemitritæus est, cum æqualibus vtrisque humoribus eadem hora inuadunt tertiana intermittens & quotidiana continua: non exquisitus, quem recentiores minoris famæ nuncupant, cuius forma ad alteram magis accedit. Romæ familiarissima, acuta, & præ cæteris lethalis, ducens ad tabem, & longos morbos: generatur enim ex pluribus succis, quorum calidior febrem acutam accendit, statimq; discutitur Sed dum tenet, contigit frigidioribus corrūpi, vnde febris deterior fit. In quocunq; genere continua- 2. *in 1. Epi. 25.* 3. *in 1. Epi. 5.*

rum, pestilens oritur inter malignos, malignitas ad morem morbi pertinet, non magnitudinem cum accidentibus periculosis, licet aliquando debiles & paruæ videantur febres: vehementiores autem sæpe sine periculo. Putredo tamen in pestilenti est magna non admittens coctionem, vnde dicitur lædere tota substantia, vt venena. Febris pestilens aliquando contingit cum peste, cum aer inficitur inter morbos epidemios. Aliquando sine peste inter sporaticos ex praua victus ratione. Vnde & exanthemata fiunt, variolæ, & morbilli colliquantes. Quæ cum syncope fiunt Auicenna appellat syncopales.

3. Prof. 4.
3. Cri. 4.

CAP. XXVIII.

Causa continuarum & signa.

CAusa continuitatis est, nõ expelli particulatim humores putrescentes extra venas, vt in intermittentibus, sed aut per vnicam expulsionem in crisi, aut in declinatione totius morbi per coctionem digesta materia. Retentionis causa est multitudo putrescentium in venis maioribus, aut comitante constipatione vel obstructione, vt in synocha totius cutis. Aut alicuius particulæ in habentibus accessiones, præcipue in humoribus crassis aut ob inflammationẽ, aut ob virtutis imbecillitatem. In omnibus tamen transpirat insensibiliter, quod accenditur, præcipue in corporibus rari habitus. Pro mensura autem transpirationis nunc febres decrescũt, nunc augẽtur, nunc in eodem statu permanent.

2. Cri. 12.
2. dif. fe. 1.
2. inz. Epi. 20.
9. Meth. 3.
1. Gla. 8.

Signa continuarum accedere sine signis intermittentium, id est sine rigore, horrore, aut sensu inæqualitatis, quæ significant transmissionem extra venas: non tamen sine frigore. Fit enim frigus ob concursum calidi ad interna in accessionibus tam continuarũ, quam intermittentium. Non declinare post horas 24. nam cadent interuallo.

Manifestiora signa putredinis adsunt in continuis, tum

tum in pulsu, tum in vrinis, & calore ingrato, aut statim, aut post.

In synocha nulla exacerbatio, cum nulla sit particula, quæ humores colligat. In habentibus accessiones saltem exacerbationes fiunt, aut quotidie, aut dieb. imparibus, aut per quartum nunc cum extremorum refrigeratione, cui succedit tempus inæqualitatis, aut sine refrigeratione, solo aucto calore. In quibus vehemens fit caloris contractio, significatur particula valde læsa, vt in magnis inflammationibus viscerum. Humoris peccantis maximum indicium caloris qualitas. Nam ex sanguine vaporosa magis, minus molesta; ex flaua bile, molesta, rodens & mordax; ex atra, similis. Ex pituita, primo tactu vaporosa magis, quam actis, postea mordacitas inæqualis, quasi per cribrum transiret; ex linguæ colore rubens inflammationem significat: flauus bilem flauam, niger atram bilem, albus pituitam. Arida cum nigredine vehementem vstionem, vt in ardente. Alia signa peti possunt ex intermittentibus. Pestilentis calor extra mitis, interius affligit. 2. de morbis. & Auic. symptomata grauia, animi deliquium, destructa appetentia, lingua arida sitim non sentiens. Partis affectæ signa ex læsione sumuntur. Dolor grauitas in principio accessionis. In synocha dorsi dolor ob tensionem venæ cauæ Rasis.

9. Meth. 3.

2. diff. 9.

4. Acu. 4.

Prognostica, morbi acuti per febres continuas interficiunt. Magis periculosæ, quæ tertia die fortiores fiunt. Longiores, quæ diebus paribus, & magis malignæ. Acutiores soluuntur per crisin fluxu sanguinis è naribus, aut sudoribus. 9. Meth. 5. Rigore superueniente, fit solutio, vnde excretio per sudores, aut bilis vomitum, aut deiectiones. Longiores per abscessus quædam per vrinã, aut insensibiliter per coctionem crises ante coctionem non bonæ, & in diebus non decretoriis coctionis signa ex vrinis. Si die quarta nubeculam habet rubram & alia exratione, die septima iudicatur. Quo crudiores

1. Acu. 8.
4. Aph. 43
3. Dieb dec. 8.
4. Aph. 58.
4. Aph. 44.
4. Aph. 22.
4. Aph 71.

eo magis protrahetur, aut mors. quo tardius signa cō-
1. in 1. Epi. 34 ctionis apparuerint, tardius etiam perficitur coctio. A-
4. Aph. 64. liquando post iudicationem vrina concocta. Morbus regius malus ante septimam, bonus in septima, nona, vndecima, & decima quarta, nisi obdurverint dextra hypochondria.

Grauia symptomata cum signis cruditatis lethalia in virib. imbecillis, in robustis longitudinem morbi signi-
4. Aph. 37. vsque 50. ficant. Vt sudores frigidi; rigor febre non deficiente, excretiones praui coloris & fœtentes, extremorum frigiditas, interna vrentia. Peruersio oculorum. Spirandi difficultas, & delirium. Sopores, lachrymæ, dolores fortes circa viscera, & conuulsiones: æstus circa ventriculū & cordis morsus, animi deliquium inferunt suffocati
9. Meth. 5. aut animi deliquio. Eadem cum signis coctionis critica sunt. Si crisis sequatur, bona, sin minus, mala. Ante cri-
2. Aph. 13. sim nox grauis: sanguinis eruptionē significāt lachrymæ
2. in 1. Epi. 55. & 56. inuoluntariæ, colli dolor, temporum grauitas, caligo oculorum, præcordiorum contentio, non cum dolore vomitum bilioſum ac pituitosum, capitis grauitas cum dolore cordis, & fastidio: multa passim reperiuntur in aphorismis, prognosticis & epidemiis.

CAPVT XXIX

Curatio continuarum.

CVratio continuarum præcipue requirit remedia ad febrem & putredinē: magis enim vrgent quā causæ, aliquando & symptomata vrgentia sedanda sunt. Ad febrem igitur ob morbi magnitudinem & celeritatem
9. Meth. 5. in acutis indicantur remedia magna, & celeriter agentia. Duo autem sunt huiusmodi, venæ sectio & aquæ frigidæ potus, maxima remedia febrium continuarum. Incipiendum autem est à venæ sectione, quia tollit plenitudinem, quo ad vasa in tumorem elata ob feruorem: refrigerat, & ventilat, prohibet putredinem & obstru-

obstructionem. Hoc omisso anceps omne auxilium. Nam neque tuto refrigerare stante plenitudine, neque calefacientibus uti ad tollendas obstructiones si adsint, & ad rarefaciendū, & educendos humores putrefactos, vrgēte febre & putredine. Vsq; ad animi deliquiū in sy- *9. Meth. 4.*
nocha antequā putredo inualescat, & in ardētissimis, & *1. Aph. 23.*
rasis in febre pestilēti. Succedere solet bilis vomitus, dejectio, sudor. Sed vbi sanguis naturalem bonitatem amiserit, robur virium amittitur, ideo non licet tantum detrahere, sed tantum sanguinis relinquendum, qui sufficiat coctioni, ne cogamur ante statum nutrire. Nam putredo & obstructio non curātur sanguinis mis- *11. Meth. 14*
sione, sed coctione & purgatione. Auicenna prohibet in ardente exquisita, quia sanguis est frenū bilis. Nec Hippocrates vtitur in ardente, Galenus inquit *9. Meth. 4.* Si
ætas aut vires dissuadent, ab initio parum mittendum, *4. Acu. 5.*
post reiteratione supplendum.

Dissuadent & cœli status calidus & siccus, & valde frigidus, habitus laxus, mollis, pinguis, gracilibus venis, qualis in pueris ante annum decimum quartum, & in quibusdam etiam si 30. annorum sint, in his parum aut nihil mittendum: magis in gracili, duro & spisso, latis venis. Ex media dextri cubiti cum magnæ incisione.

Vbi vires dissuadent, ex minoribus venis, hirudinibus & cucurbitulis. At his minor euentatio fit venæ cauæ: considerauda autem sunt in venæ sectione præcedentia & sequentia, non solum vires præsentes. Præcedentia, si ciborum cruditas in vētriculo, differenda venæ sectio donec perficiatur coctio & excrementa descenderint. Galenus ob tarditatem coctionis distulit in alteram diem. Si humores crudi plurimi, sanguis bonus exiguus, *9. Meth. 5.*
non mittendus sanguis, quia incisa vena bonū sanguinē *9. Meth. 4.*
emittit, malum qui in primis venis circa iecur & mesentērium attrahit in corpus, his nec motus, nec alui deie- *4. Tu. la 5.*
ctio conuenit, quia humores crudi omnes pigri, inepti ad motum, vnde tormina, rosiones, animi deliquia, &

obstruendo impediunt, ne alii ducantur, sed egent quiete & dissecantibus.

Male igitur hodie Fernelium sequuti ante venæ sectionem purgationem minoratiuam exhibent, sed ad fæces sufficit clyster, ad cibos in ventriculo vomitus, si differri nequeat venæ sectio, Trall. Sequentia, si expectatur alia excretio à natura seu per menstrua, seu per hæmorrhoidas, quæ inceperit tempore mittendi sanguinis. Si sufficiat, non detrahendus. Si non sufficiat, supplendum, vt ex vtraque tantus detrahatur, qui sufficiat. Huic sententiæ opposita videtur, quæ ab eodem Galeno scribitur, cum inquit: Sola euacuatio, quæ à natura fit, sufficit, quamuis non sit pro multitudinis ratione. Soluitur ex Hipp. cum inquit: Si cuipiam sanguinem auferre confert, prius ventrem confirmare oportet. Existentibus enim grauibus symptomatis virtutem deiicientibus, non molienda est à Medico aliqua euacuatio insignis, sed prius sedanda sunt symptomata, & roborata virtute euacuatio, quæ requiritur, fiat. Præterea si sufficit euacuatio, quæ à natura fit, ad minuendam materiam, non semper sufficit ad ventilandum in magna febre, nam etiam non existente plenitudine aliquando venæ sectio necessaria est. Aquæ frigidæ potius remedium est febrium, vt febris. Defendit etiam à putredine, tumorem venarum ex ebullitione compescit sine dispendio sanguinis ex venæ sectione. Facit & ad concoctionem in biliosis, separationem prauorum & expulsionem, roboratis partibus solidis. 2. de morb. ad febres ex bile conuenit, vbi venæ sectio prætermissa est, aut diminute facta. In statu, quando febris est maxima, cum signis euidentibus coctionis, virtute valida, Celsus ex Cassio laudat ad ebrietatem, exhibenda actu frigida & prorsus gelida in multa copia, vt feruorem extinguat, non augeat per antiperistasin. Act. ad satietatem quantum libet, non vt in pleuritide quantū inspirando haurire possit. Obstant & dehortantur obstructio ob crassos & viscosos humores,

9. Meth. 5.

1. Gl. 14.

4. Acut. 116.

11. Meth. 9.

putri-

putridus humor non concoctus, Phlegmon, œdema, scirrus: partium imbecillitas ex frigore, vt gulæ, ventriculi, vesicæ, septi transuersi. Frigidus aeris status. Vnde pesticula imminent: spirandi difficultas, conuulsio, tremor neruorum, resolutio præcipue in extenuatis. Attendenda vero est consuetudo, vtrum per sanitatem lædantur à frigida. Ob hæc pericula multi Medici formidolosi, quos Psycrophouos Galenus vocat. His fauere videtur Hipp. Nam aquæ potum damnat in morbis acutis, & Dioscorides recensetinter venena. An mensuranda est vis remedii cum noxa, & vtrum corrigi possit. Vrgente calore febrili, vnde periculum, ne prò coctione putredo, aut hectica sequatur, à quibus certa mors. Satius est per aquæ frigidæ potum extinguere, quam certo mori. Sic Gal. in colliquantibus præcipit, quam primum exhibendam non expectata coctione. Et Rasis in febre pestilenti. Satius etiam est, phlegmonas in præsens augere, quam sinere febrem hecticam inuadere. Erysipelas vero quod verum sit, non aliter sanaueris, nec expectanda coctio, sed expectatur in mixto cum phlegmone. Si phlegmon, œdema, scirrus in principe parte, non est exhibenda, in cæteris non adeo verenda. Concedit Galenus in pleuritide. Mitigatur potio, si non tota simul, sed iteratis vicibus, vt Rasis in febre pestilenti ter repetit dimidia hora interiecta, vt priorem euomat, atque iterum bibat, si calor reuertatur. Modus in quantitate vt expoſcit tempus anni, regio, ætas, & consuetudo. Si nõ plane gelida, qualis in niue, sed vt aqua fontana: Si interponatur cæteris potionibus vtilioribus, vt mulsæ, oxymeliti, aliquando etiam vino non permixta, sed post hausta. Hoc modo febrem ardentem curat Hipp. cum inquit: Huic aquæ mulsæ coctæ & aquosæ, quantũ voluerit, bibendum dabis. Non sola aqua, quia non nutrit, & per se inutilis, non sola mulsa, quia non refrigerat. Interponitur etiam ptisanæ & cæteris cibis. Pro frigidæ potu lauacrũ in aqua frigida, si bona corporis habi-

3. *Acu.* 40.

10. *Meth.* 31

10. *Meth.* 6.

9. *Meth.* 5.

9. *Meth.* 5.

2. *Acut.* 48

1. *Gla.* 13.

3. *Acu.* 40. & 41.

4. *Acu.* 2.

10. *Meth.* 6.

tudo sit, & cœli status calidus & siccus. Qui tempestive hoc fecerunt, protinus sudarunt, & nonnullis eorum aluus bilioſa reddidit. At periculoſius est refrigeratione externa introtrudere, quam interna extra propellere. Rasis ad pestilentiam extra trudendam calefactoria per ollas ex aqua calida extrinsecus adhibebat, dum intrinsecus sorbitionibus aquæ frigidæ, & inspiratione aeris frigidi vteretur; nam promouent sudorem.

11. Meth. 9.

CAP. XXX.

Curatio continuarum per medicamenta.

EVacuantia humores putrefactos requiruntur in omni putrida: quædam in principio ad minuendam materiam, & vbi turgent: quædam in progressu post concoctionem. Initio igitur Hippocrat. In febre ardente postquam refrigerauit per aquæ & mulsæ aquosæ potionem; si os amarum fuerit, vomere confert, & ventrem subluere, id est clysteri, si ad hæc non aperiatur: ex vsu enim mulsæ aperiri solet lacte asinino cocto purgabis, vbi Galenus potius sero vtitur. Lac enim febricitantibus inimicum. An lac coctum, vt docet Galenus & Aetius, adiecta aqua, & detracta spuma, refrigeratum & colatum conuertitur in serum, quod aluum mouet, abluit, & refrigerat, præcipue asininum? Hodie vtimur sy. rosato solutiuo cum decocto Tamarindorum aut florum & fructuum cordialium, Cassia, manna. Apparente autem coctione, aut vbi turgent, quocunque tempore, conuenit medicamentum purgans efficacius. Turgent autem, quæ coctionem non admittunt, vt humores exusti aut venenosi. Cum enim hi naturam stimulēt ad expulsionem, periculum est, ne ruant in aliquam partem principem: requirunt igitur statim auxilium; nam tardare malum est. Sed quoniam plerumque febris vehementia prohibet, aut humoris crassitudo, vbi febris vrget, prius extinguenda est aquæ frigidæ potu; sic enim medi-

4. Acu 7.

4. Aph. 10.

medicamentum noxam simul corriget, si quæ ex refrigeratione orta fuerit. Ad crassos autem humores post refrigerationem extenuantibus vtendum, vt Galenus inquit, arrepta occasione talia propinandi, incocto hyssopo, origano, thymo in mulsa, aut oxymelite. Purgabitur autem rhabarbaro, agarico, aut aliis, vt dictum est in intermittentibus. Post purgationem autem abluenda intestina & ventriculus ex sero lactis, vt ab initio: perficit enim purgationem, & noxam corrigit, qui modus apud Hippocratem sæpe reperitur, *in libro de internis aff. & 2. de morbis.* Si natura vergat ad vomitum aut vrinam, danda sunt illa, quæ excretiones promoueant per illas partes, vt in intermittentibus dictum est. Ad partes affectas, in quibus accessiones infestant, simili modo succurrendum est, & eadem alterantia ad singulos humores danda sunt. In synocha, cum existat putredo in vena caua, post euacuationes vniuersales conferunt cucurbitulæ dorso applicatæ cum scarificatione: & frictiones rarefacientes ex oleo amygdalarum dulciū, aut chamæmelino. Vbi autem ardor inest, inunctio ex infrigidante Galeni actu frigido; eadem ventriculo & pectori æstuantibus adhibet Aetius & succos alios refrigerantes. At non diutius refrigerandum, sed transeundum ad actu calida non tepida, linteis ex hydræleo impositis, aut rosacco cum modico aceti. Balneum aquæ dulcis proponitur in ardente exquisita, vbi feruet bilis in toto corpore, si non adsit inflammatio aut erysipelas, tutius apparente coctione post euacuationes. Quando externa frigent, & interna vruntur, non possunt humores ad externa ferri. Hippoc. in Coacis inquit, lipyriæ febres non soluuntur, nisi accedat bilis effusio sursum & deorsum. Confert igitur purgatio.

1. Aph. 24

3. Aeg. 58. & 62.

Victus tenuis. Tenuissimus, vbi statim extremi sunt labores, in his vsque ad quartum nihil dare oportet, inquit Galenus, abstinendo etiam, quantum fieri potest, ab aqua. An vasorum compressio periculosa. *1. Aph. 3.*

1. Gl. 13.

2. die decr.

Satius igitur est implere potu non sola aqua, sed interposita mulsa aut oxymelite, & aliquid ptisanæ, aut panis decocti in aqua adiecta lactuca, acetosa, donec declinatio permittat augere. Inquit enim Hippocrates: Ex horum consideratione offerendus est victus. In quibusdam statim morbus est in summo, postea paulatim decrescit. Quidam è conuerso initio mites paulatim increscunt: Quidam circa principia & fines imbecilliores, in medio fortiores. Sed oritur dubitatio circa euacuationes ab initio faciendas; cur natura in principiis euacuans ante coctionem damnetur? Medicus autem recte vtitur venæ sectione, aut medicamēto purgante in principio ad minuendam materiam. 2. Aph. 29. An euacuatio spontanea in principio praua est tanquam signū naturæ stimulatæ à magna causa, aut maligna ante tempus? Non praua tanquam effectus diminuta materia lædente. Si autem fiat à Medico, nullum est signum prauitatis, & vtilitas habetur ex diminutione materiæ.

1. in 1. Epi. 11.

3. Cri. 10. & 4. Aph. 22.

CAP. XXXI.

Curatio pestilentis.

AD febrem pestilentem peculiaria remedia. Vbi magna est sanguinis corruptio, non conuenit venæ sectio, vt tradit Galenus de cibis boni & mali succi cap. 1. Si egeat, ob plenitudinem, scarificatio in pede, sanguisugæ ad hæmorrhoidas, vt reuulsio fiat à supernis, cucurbitulæ in dorso, vt reuellant ab internis. Purgatio materiæ pestilentis quamprimum ex rhabarbaro, agarico, triphera persica.

Sed in febris vehementia prius extinctio feruoris ex aquæ frigidæ potu, alterantia propria, quæ à tota substantia Alexiteria vocantur. Quædam defendunt à putredine, frigida & sicca, acidum citri, limonis, acetum, succus maligranati, acetosa, trifolium acetosum, bolus armenus, bezaar, fragmenta pretiosa tenuissime leuigata,

marga-

margaritæ, tormentillæ radix, quinque foliis. Quorum puluis exhibendus in potu, vt ferantur in venas ex aquis stillatitiis refrigerantibus, vt cichorii, chondrillæ acetosæ scorzoneræ, aut modico vini albi aut aceti. Alia expellunt & digerunt humores putrefactos, calida & sicca adhibenda post vsum refrigerantium. Pillulæ Ruffi apud Paul. & Aet. theriaca, Mitridatum. Simplicia multa explicantur in venenis. Victus plenior, quam in cæteris, ad humorum prauitatem contemperandam, sed ob virtutis imbecillitatem parum & sæpe. At impura corpora, quanto plus nutries, tanto magis lædes. Soluit Gal. 2. *Aph.* 10. id contingere, potissimum quando praui humores fuerint in ventriculo, vnde ciborum corruptio. *De ther. ad pis.* 16. 1. *Aph.* 17.

Ad febrem cum syncope, syncopalem vocat Auic. si ex inanitione contingat, dissolutis spiritibus ob succorum tenuitatem, qui citissime exhalant cum sanguine: in iuuenibus calidis & siccis, in æstate, laboribus, curis, tristitiis, inedia, vel ob febrem in sudoribus superfluis deiectionibus. Dignoscuntur ex facie Hippocratica. In accessionibus valde refrigerantur, cum syncope. Non sufferunt hi venæ sectionem, neque medicamenta purgantia, neque aquæ frigidæ potum, sed citissime nutriendi paulo ante accessionem, & in ipsa accessione ex iis, quæ non facile difflentur, parum & sæpe, vt praui humores contemperentur. Non ptisana, sed halica, ex aqua iniectis mali punici granis, panis ex iure pulli, fructus austeri, ouorum vitelli, Carnei aliquid dandum post reliquos cibos post quartam diem, coctione aliqua apparente. Test culi gallorum, cerebrum suillum assum, confusum pulli, potus non mulsa, sed vinum aquosum sumptum post cibum. In ipso animi deliquio panis tostus in vino austero, calida diluto, odores frigidi adnares. Roborata virtute curētur vt reliquæ febres biliosæ. Si ob corruptos humores accedat syncope, vt in pestilētib. fouere regionē cordis, loca pulsuū, testiculos ex vino Mal- 12. *Meth.* & 10. *Meth.* 3.

uati-

uatico, aceto rosato, speciebus epithematis cordialis temperatis, addita aqua rosacea, lanſa, melissæ, croco, & mosco. Si ob plenitudinem impedita spirituum generatione propter obstructiones, in habitu pituitoso, patiente ore ventriculi, quod & in bilioso contingit: indicatur euacuatio, at virtus non patitur nec venæ sectionem, nec medicamenta purgantia. Galenus vtebatur frictionibus continuis, per totam diem, ad crura, ad brachia & dorsum, primo siccis & asperis, postea mollibus ex oleo. Victu tenuissimo ex sola mulsa incocto hyssopo, vsque ad septimam diem: cum succederet deiectio, addebat ptisanam. In syncope ad reuocandas vires modicum vini generosi cum pane.

12. Meth. 3.

CAP. XXXII.

Hectica cum putrida.

1. dif. fe. 10.

HEctica coniungitur cum putrida, vel cum succedit ad ardentes, ad inflammationes viscerum, ad febrem pestilentem: ad distillationes in thorace, suppurationes, vlcera pulmonis. Vel cum superuenit putrida. Anic. Raro peruenit ad tabidam, cum prius vim morbi pariant signa. Si in declinatione putridæ arteriæ adhuc calidæ remanent, cæteris refrigeratis, & pulsus hecticus certissimum signum. Si colliquationes in excrementis & in vrina apparent.

10. Meth. 11

Febres colliquantes vocat Gal. Marasmodes autem, cum non defluit pinguedo, sed in vapores digeritur, quod in valde siccatis contingit. Deiectiones pingues non assumptis cibis pinguibus: viscosæ ex solidis partibus contabescentibus, aquosæ ex rore. Spumosæ aut ex caliditate colliquante, aut ex permixtione flatus. Si exigua glutinosa candida, subcrocea, leuisque sit deiectio, mala est, quia colliquationem significat. Gal. grauiolentia vehementem putredinem colliquantem. Di-

1. Cri. 11.

2. Prog. 21.

stin-

linguitur ab humore crudo, quia graueolens non est. Candida & leuis absumpto pingui à calore non maligno; subcrocea & leuis à caliditate vehementiori, aut pinguedine vetusta vel putri. Similis bili crassior & graueolens, subviridis, vehementis consumptionis est, indicium fit ex bile æruginosa; vrina oleosa est colliquationis indicium, id est; si pingue desuper innatat, telæ araneæ specie, & vt in pinguibus iusculis refrigeratis, indicat consumptionem. Subsidentia similis farinæ hordei crassioris grandem colliquationem ostendit, quæ repræsentat folia, furfures, significant vasorum partes superficiales contabescentes. Possunt tamen hæc contingere ex vitio vesicæ, vel renum, vel occulto abscessu disrupto. Discernuntur, quia vel sine febre, vel quia cætera non respondent. *3. Plac.6.* *2. Cri.12.* *2. Prog.35.* *2. Prog.28.* *2. Prog.37.*

Curanda prius est putrida tanquam causa, & si quæ alia causa adsit, vt distillatio ad thoracem, pulmonem, dorsum, de quibus Hippocrates lib. de locis in homine. De internis affe. & 2. de morbis, prius purgat, postea reficit lacte cocto per dies 40. deinde cæteris cibis. In febre autem ardente colliquante & pestilenti statim conuenit extinctio per aquæ frigidæ potum, etiam si adsit inflammatio alicuius partis; nam satius est in præsens augere inflammationem, quam sinere, vt in hecticam confirmetur; erysipelas non aliter sanaueris. Exterius particulæ primo affectæ refrigerantia actu applicanda; & balneum tepidum ac frigidum post aliquam euacuationem. Euacuandus enim est humor putrefactus, ne afficiat partes solidas, & pus in suppuratis & vlceribus pulmonis, corrodens enim partes solidas cordi communicat hecticam. At hectica instaurationem indicat eius, quod continue deperditur. Simul autem euacuare & replere impossibile est. Ideo alternatim modo euacuandum leui pharmaco, modo reficiendum, quod est per epicrasin curare; cum paulatim quod vitiosum est, *10. Meth.11* *10. Meth.6.* *9. Meth.10.*

est, euacuatur, & paulatim inuicem quod salubre est, pro eo reponitur. Alioqui affectus est incurabilis, nisi magnum nactus fuerit Medicum. Nam si soli putridæ insistat, confirmatur hectica ob inediam. Si soli hecticæ, augetur putrida cibis, simul non licet, quia sese impediunt. Vna ergo ratio per epicrasin. Quomodo affectus difficillimi curantur? Contrariis curationibus alternatim.

Finis secundi libri.

AN-

ANDREAE CÆSALPINI ARTIS MEDICÆ

LIBER III.

CAPVT PRIMVM

De venenis.

PRÆFATIO

SI qui morbi egent Medicinæ auxilio, ii profecto sunt, qui ex venenis contingunt. Hi enim ob sæuitiam, celeritatem, & naturam plerisque incognitam plerunque absque remedio miserrime hominem rapiunt. Cæteri autem ab aliis causis orti, vt febres, pleuritides, distillationes, fluxus articulorum dolores, aliique multi sæpe absque Medici auxilio à sola natura concoquente & noxios humores expellente sanantur, vt experimento nouerunt *ii*, qui ruri degentes, aut in itinere, vbi desit Medicorum medicamentorumque copia, huiusmodi morbis corripiuntur.

Vulnera autem, fracturæ & luxationes Medici quidem opera indigent manu adiuuante. Sed cum vnicuique vel gregario nota sit eorum natura, etiam remedia, quibus sanentur, non multo negocio inueniũtur. Venenorum autem vis est adeo peruicax, vt neq; à natura vinci queant, neq; remedia, quibus superentur, inuentu sint facilia, cum delitescant eorum rationes etiã Medicis clariss. proprietates quasdam occultas esse fatentibus, ideoq; nõ ratione, sed sola experientia sanari. Sed, ô bone Deus, in quãtis angustiis infelices ægrotãtes versantur, cũ Medici rationales, quid agãt, nesciunt. Quorũ loco insurgunt circulatores, mulierculæ, & quiuis ex plebe sua p̃sidia iactan-

ctantes cum magno medicinæ dedecore, instãte interim repentina morte, nisi citissimæ succurratur. Sunt enim quædam venena, quæ non diem alterum aut tertium expectent, imo quædam pauciſſimis horis & fere momento extinguant, vt de aspide testatur Galenus ex hi-
De thor. 8. storia, Cleopatram Aegypti Reginam, ne ab Augusto Romam duceretur in triumpho, insciis custodibus ex eius morsu, facto prius periculo in duabus ancillis, statim occubuisse. Verum cum videam apud probatissimos viros, venenorum rationes non omnino cæcas existimari, vt Empirici putant, quinimo cum ratione ac Methodo curari vtiliter posse; experientia tamen adiuuante, vt in cæteris Medicus rationalis profitetur, placuit fauente diuino auxilio de iis agere, hinc sumpto initio. Inter antiquos reperio Dioscoridem diligentissime de venenis egisse lib. 6. Materiæ medicinalis. Hunc sequuti sunt posteriores omnes. Disputat hic aduersus Empiricos, non cæcas esse venenorum rationes. Remedia quoque ratione ac methodo inueniri.

3. Simpl. 18. vsque ad 24. Galenus quoque testatur varias rationes venenorum esse, quibus interimant; nec temere vt Empirici, sed exacta ratione theriacam ab Andromacho Cretense Neroni
De thor. 3. compositam; multa quæ hominem perimunt, remedio esse, si certo modo castigentur, vt viperæ carnes, opium chalcitis. Rationi adiunctam experientiam in condemnatis apud principes & præsides, sed apud priuatos in Gallis. Si igitur sola experientia sufficeret, frustra esset speculatio, quam aggredimur ex Galeno & Dioscoride.

At tractatio de venenis cogit venena patefacere, quod improbum est, etiamsi vitandi gratia patefiunt, quia
2. Antid. 7. improbos instruunt: quod fecisse Orpheum & Heliodorum narrant. At hi præparationes & compositiones venenorum docuerunt, quod Medico non est necessarium. Nam satis est notas læsionum ostendere cuiuscunque veneni, vt auxilia singulis parentur. Theophrastus in A-

in Aconito testatur præparationes esse, vt statuto tempore interficiat, sed eas tacet.

Dioscorides maleficas herbas non describit, vt lycoctoni genera. Quasdam ieiune & confuse, vt solanum, manicum. Neq; igitur nos venena docebimus. Sed eorũ, quæ nota iam sunt, signa & curationẽ explicabimus.

CAPVT II.

Quid sit Venenum & tota substantia?

VEnenum, Græce θανατήριον, vocatur, id est pernicioſum, & phtharticon, id est corruptiuũ, & phthoropion, id est, tabificum: & cacurgon, id est maleficum. Non tamen omne corruptiuum vel maleficum venenum est, nam omnis morbus lethalis ex veneno esset, sed quod secundum totam substantiam aduersum est. Quid vero sit secundum totam substantiam agere, valde ambiguum est. Esse quasdam proprietates occultas tra lunt, per solam experientiam habitas, quarum non est methodus. At pertineret ad empiricos non ad rationales, Auicenna specificas esse à forma prodeuntes: forte quia omnis actio à forma pendet, non à materia. At si hoc temperamẽtum est vnius cuiusque proprium, vt innuitur 4. simpl. 15. ex imparitate enim elemẽtorum proprietates oriri: quamuis elementorum proportio in singulis incerta sit, homini tamen relata cognoscuntur ex effectu simul, & omnium temperamentorum gradu. Neque solum ex effectu, sed & ratione ex saporibus, odoribus, aliisque signis. Solum autem in quarto gradu comperta sunt corruptiua esse. *3. Simp.19.* *6.in 6.Epi.1* *5. Simp.19.* *13.Meth.6. & 9.* *Simp.6.*

At piper in quarto gradu calidum & siccum, atque allium effugerũt genus deleterii, nõ auri pigmentũ neq; argentum viuum, ideo dixit Galenus. Aliæ sunt alterationes à calido, frigido, humido, & sicco, aliæ à tota substantia. Non possumus igitur accipere per totam substãtiam formam mixti ex proprio temperamẽto prodeun- *5. Simpl.19.*

tem. Mesues formam asserit supra temperamentum, quæ cœlitus proueniat. Sed hæc opinio cum Peripateticis non consentit. Ex elementorum enim mistione similaria constituuntur. Supra formam similarium non est, nisi virtus organica, quæ ab anima pēdet, cuius principium cœlitus ducitur cum calido innato non elementari, sed cœlesti. Proprietates igitur secundum totam substantiam non possunt tribui formæ, seu hæc sit temperamentum vnicuiq; proprium, seu supra temperamētum. An tota substantia significat non solam formam, sed simul & materiam? Nam & hæc aut familiaris aut inimica. Per formam accipitur temperamentum proprium ex calido, frigido, humido & sicco. Nam essentia omnium effectricum facultatum sunt primæ qualitates, ex quibus omnia constāt. Et Aristoteles inquit, actiones omnes & passiones similarium sunt opera primarum qualitatum; Organicarū autem anima. Per materiam autem intelligendæ sunt conditiones materiales, vt crassum, tenue, graue, leue, materia metallica, aut plantarum, aut animaliū. Vnde facilitas & difficultas ad agēdum vel patiendum. Quæ facile mutantur in substantiā nostri corporis, familiaria dicuntur vt alimenta, quæ difficile, inimica vt medicamenta, quæ nullo modo inimicissima, vt venena. Facilitas & difficultas contingit ob similitudinem & dissimilitudinem cum corpore nostro, vt in elementorum transmutatione symbolum. Inditū calori nostro, vt per coctionem conuertat materiam in substantiam corporis nostri, si ea non fuerit admodum terrestris & gratis, qualis est metallica. Nam terra prius conuertitur in succum plantarum, voluit hordei tritici, hæc in succum animalium, ideo alimentum familiarissimum hominibus fit: adhibita etiam præparatione confundendo in farinam, elixando, aut assando in panes. Quædam etiam vario modo condiendo. A tota substantia non excludi temperamentum patet 3. temper. 4. vbi inquit: Quorundam natura hominibus est maxi-

2. Gen. an. 3.

De consst. art. 11.

1. Simp. 1. & 5. Simpl. 2.

4. Meteo. 1.

3. Temp. 4.

maximè contraria. Naturam cum dico, significo vniuersam substantiam & temperiem, quæ ex primis elementis conflatur, scilicet calido, frigido, humido & sicco. Non tamen solum temperamentum significat, sed cum tali materia. Quædam enim totis substantiis inter se contraria sunt, quædam solis qualitatibus. Illas simplices qualitates vocat, hanc totam substantiam. Differunt igitur primæ qualitates à tota substantia, vt forma per se sumpta, & adiuncta materia, vel vt totum & pars. *13. Meth. 6. 6. in 6. Epi. 5.*

Piper igitur & allium temperamentum habent maxime contrarium, nam maxime distat à temperato, sed materiam habent familiarem, leuem & tenuem, facile conuertibilem, vnde eorum feruor extinguitur, ideo effugerunt genus deleterii. Cantharis ob crassitiem integris viribus peruenit ad venas, & exulcerat. Auri pigmentum, argentum viuum non solum temperamentum habent maxime contrarium, sed & eorum materia maxime grauis & metallica conuerti nequit à calore nostro. Ideo nō extinguitur eorum feruor, nam instar ferri igniti corpori iucumbūt tota substātia contraria. In quolibet præterea temperamento subest materia nūc amica & similis, nunc rebellis & dissimilis. Nam inter frigida facile conuerti potest in sanguinem. Cicuta, mandragoras, opium difficile: aliquando tamen vincuntur, si non in multa quantitate sumantur. Ideo quantitate deleteria dicuntur non genere. At cerussa, ob naturam metallicam, quamuis frigida genere deleterium est, quia vinci nequit. *4. Simp. 9.*

Quamuis autem non frigiditate enecet, non deest alia ratio, vt siccitas absumens humiditatem corporis. Si temperamentum mediocre sit, materia vero immutabilis, non deleteria sunt, sed inter remedia, quæ à tota substantia agunt, alexipharmaca dicta, vt terræ quædam & lapides: cum enim vinci nequeant, corpus tuentur, ne vincatur à veneno. Altera dubitatio soluenda est. Si à materia nulla actio prouenit, quomodo aget tota substātia?

vt differat ab actione primarum qualitatum. Soluitur, ad primas qualitates pertinet omnis actio, ad materiam propensio, facilitas & difficultas, ad patiendum sympathia & antipathia. Verbi gratia. Aerea cum spiritibus conueniunt, vt oleum cum resinis & pinguibus, aquea cum humoribus, terrea cum solidis. Patet autem, proprietates totius substantiæ magis in materia consistere, quam in temperamento. Attractio enim, quæ fit ab Alexipharmacis, à medicamentis purgantibus, & iis, quæ trahunt alimentum, aut aliis huiusmodi, reperitur ob similitudinem fieri substantiæ, quæ materia est. Nam ærea substantia, quæ ex electro efflat, trahit leuia quæcunque, vt paleas, pilos. Idem efficit adamas & gemmæ densiores, si fricatæ super pannum incalescant. Calidũ innatum trahit potabilem substantiam ex alimentis, crassitiem autem relinquit, vt flamma, oleum, non aliena. Singulæ partes familiarem sibi substantiam ex alimento trahunt, hæ quidem crassiorem, hæ vero tenuiorem, vnde colliguntur sympathiæ & antipathiæ. Rhabarbarum flauam bilem trahit, elleborus niger atram, inter quæ similitudo quædam conspicitur. Scorpionis corpus venenum eiusdem trahit. Sic materiæ tribuitur aliqua actio: affractio enim ad motum localem pertinet. Sed cur facultates secundum totam substantiam occultæ dicũtur, per solam experientiam habitæ, non ratione? Oppositum tamen vidimus libro *de ther.* 10. & apud Dioscoridem ex Diocle & Erasistrato. & 4. *Simpl.* 15. Sensus linguæ hoc eximium habet, vt proprietates totius substantiæ cognoscat. Nam quod nutrit, iucundum est, noxia iniucunda. Venena omnino abhorret non solum gustus, sed & olfactus.

13. *Meth.* 6. & 9. *Simpl.* 6.

An occultæ dicuntur, quia difficilis est eorum ratio, vnde anætiologita dicuntur apud Dioscoridem, id est, ratione carentia. Satis enim est credere sensui, vt cur ignis calidus, absynthium amarum? At ratione colligitur, in venenis excessum esse alicuius qualitatis agentis, alioqui non

non corrumperent, & materiam quandam continere, quæ vinci nequit à calore noſtro. Ex quibus ſumi poſſunt indicationes remediorum.

Facilius autem eſt inuenire exceſſum qualitatis effectiuæ, quam materiæ conditiones, in quibus ſimilitudo & diſſimilitudo conſiſtit, ſympathia & antipathia, in attractione ſimilium, in purgantibus, alexiteriis, & iis, quæ diuerſas partes reſpiciunt, vt Gal. miratur, propter quid lapis quidam tactu vulneris ſanguinem ſiſtat, laſpis viridis appenſus os ventriculi roboret. Cui inſunt guttæ ſanguineæ ſanguinem ſiſtunt apud Albertum: indicatur enim ſympathia cum ſanguine. *9. Simpl. 6.* *De ren. aff. dign. 5.*

Inquit præterea, eſſe Medicinæ arcana per ſolam obſeruationem inuenta, quorum ratio adhuc non conſtat. Sed multa huiuſmodi ex Magicis deſumpta ſunt, vt ſcultura Draconis in Iaſpide viridi, quæ Galeno omnino occulta, nam opera dæmonis fiunt. Natura tamen in quibuſdam ſimilitudines oſtendit, vt in ſatyrio & cynos orchi figuram teſticulorum & genitalium, ſympathiam cum iis partibus commonſtrans, & in lithoſpermo ſemen lapidea ſpecie, ad lapidem frangendum, & in ſemine Echii viperinum caput, aduerſus viperarum ictus. Ad clariorem autem doctrinam totius ſubſtantiæ ſciendum eſt, apud Galenum quatuor eſſe materias, quæ tota ſubſtantia aut conueniunt cum corpore noſtro, aut alienæ ſunt. Medicamenta purgantia conueniunt quidem cum humoribus, quos trahunt, non forma. Quæ enim ſimilitudo ſubſtantiæ in temperamento ellebori, & atræ bilis, colocynthidis & pituitæ? Sed materia. Purgantium enim materia facillime conuertitur in humores, quos trahunt ob affinitatem. *6. in 6. Epi. 5.*

Trahunt igitur temperamento calido, ſed ſimilitudine ſubſtantiæ proprios humores. Quo differunt ab attrahentibus caliditatem tenuium partium, vt propolis, ſimi genera. Eadem purgantia aliena ſunt à corpore noſtro tota ſubſtantia, quia non nutriunt. Alimenta con- *5. Simpl. 17.*

ueniunt cum corpore nostro & temperamento, dulcedinem enim habent, quæ non recedit à mediocri temperamento, & materia, quæ facile conuertitur, non grauis, nec valde dura, nec valde terrestris. Malefica, id est venena, ex toto aliena & temperamẽto & materia. Eorũ enim temperamentum maxime recedit à temperato, corrumpunt enim excessu primarum qualitatum. Nam cor non deficit à suo motu sine maxima intemperie, aut primario aut secundario, per secundas qualitates, vt valde relaxatum aut constrictum. Materia vero eorum omnino immutabilis est à calore nostro, vt sunt metallica, & iis affinia. 3. Simp. 18.

Alexiteria, seu Alexipharmaca, venenorum remedia partim conueniunt cum venenis, partim cum corpore nostro. Cum venenis conueniunt materia inalterabili. Cum corpore nostro temperamenti mediocritate. Agunt autem in venenum, aut attrahendo ob similitudinem substantiæ, aut alterando contrariis qualitatib. Reliqua medicamenta, solis qualitatibus agentia, materiã habent neq; familiarem, vt alimenta, neq; omnino alienam vt venena. Ideo mutantur quidem à corpore nostro non in substantiam, sed secundum qualitates; interim corpus alterant, pro eorum temperamento, secundum primas qualitates, aut secundas, à quibus sequitur aliquando sanatio, aliquando interitus. Quamuis autem ob excessum aliquando enecent multa medicamenta & purgantia, & alexiteria, non iusto modo assumpta; non tamen venena proprie dicẽda sunt, quia aliquo modo vtilia sunt. Quædam participant de natura alimenti, vt lactuca, apium. Quædam de natura veneni, vt ruta syluestris, melanthium, castorium. Sunt quædam, quæ homini venenum, quibusdam animalibus nutrimentum sunt, vt cicuta sturnis, elleborum coturnicibus, buffo serpentibus. Auicenna non bene inquit: Quæ excessu qualitatum enecant, non venena, sed venenosa esse, vt opium, euphorbium, auri pigmentum 5. Simp. 18.

tum venena tantum esse, quæ à tota substantia, vt Napellus. A lii ex posterioribus addunt, quædam esse venena, quæ vtraque ratione enecant, id est, qualitatibus primis & tota substantia. At hi mentem Galeni non perceperunt: nam tota substantia non agit sine primis qualitatibus.

CAPVT III.

Genera Venenorum.

VEnenorum genera quædam à natura condita sunt inter metallica, inter plãtas, & inter animalia, quæ proprie venena appellantur.

Quædam ex putredine quadam in corporibus nostris gignuntur, vt in mulieribus ex retentis menstruis aut semine, & in febre pestilenti: reponit enim hæc Gal. inter venena, licet non audeat simpliciter venena appellare, sed quasi venena, aut veneno similia in qualitate & viribus. Quæ enim omnino putrefacta sunt, aut exusta, materiam adepta sunt omnino inutilem, quæ à calore nostro vinci nequit. Si igitur iis adiunctus sit aliquid excessus primarũ qualitatum, corruptiua esse necesse est, in quibus consistit veneni natura. Nãturalia, quæ proprie venena appellãtur, in duo genera distribuũtur apud Dioscoridem. Pharmaca deleteria, quæ intus assumpta, in cibo aut potu enecãt. Iobola, quæ extrinsecus à virulentis bestiis inferuntur. *6. loc. af. 5.*

Pharmaca alia genere deleteria ponuntur à Galeno, alia quantitate. Genere, quæ in qualibet quantitate assumpta mutari nequeunt, aut si mutentur, conuertuntur in putredinem corrumpentem. Omnia vero esse potestate calida in materia crassa: erodentia & putrefaciẽtia, quorum exempla ponuntur, vt dryopteris, pityocãpe, thapsia, solanum manicum, hydrargyros, fungorum nonnulli, saliua, & fel venenatorum animalium, tota essentia nobis contraria. Quantitate autem deleteria, quæ in parua quantitate sumpta mutari possunt, vnde *3. Simp 22.* *5. Simp. 19.*

excessus tollitur. Omnia potestate frigida, vt opium, mandragoras. Quædam etiam inter calida, vt vinum, merum, myrrha, styrax, crocus, nam in magna quantitate caput replendo enecant. Quædam igitur calida, quædam frigida. Sicca tantum, aut humida tantum non reperiuntur in extremo sine actiuis. Sunt & heterogenea
5. Simp. vlt. partim calida, partim frigida, hyosciamus, cicuta. Nam frigiditas soporem inducit, caliditas dementiam. Secundis qualitatibus enecant gypsum indurando, cerussa occludendo, hæmorrhois oscula venarum aperiendo, caput replendo, vt valde odorata, strangulando, vt fungi, conuulsionem inducendo, superpurgando, at non sine primis qualitatibus. Iobola autem quædam abictu bestiarum virus eiaculantium inferuntur. Quædam artificio telis veneno imbutis parantur, quale apud antiquos toxicum appellatum, quia toxæ, id est, sagittæ, eo imbuerentur, vnde vulnera lethalia infligerentur.
De ther. 10. Scribit Galenus, apud Dacas & Dalmatas helenium telorum cuspidi insperfum necare, si sanguinem vulneratorum tetigerit, esum innocuum esse, & carnes ceruorum ab iis interemptorum innocuas. Aristoteles in libro de plantis Belenium vocat, seu Velenium. (vnde forte vulgare nomen Veleni desumptum est) Delibutorium in Perside venenum erat, in Ægyptum & Palæstinam translatum sine periculo mandi, à telis nominatum. Hodie Lusitani succo ellebori albi tela illinunt, vnde herbam Balestreram vocant. Celsus inquit: Venenum serpentum & quædam venatoria non gustu, sed in vulnere nocent. Idem in multis aliis videmus. Carnes enim pastinacæ marinæ, scorpii, draconis esui aptæ, ictus autem venenatus. An virus in vulnere in venas, arterias & neruos statim ingreditur, comesta caro in ventriculo concoquitur, & si quod virus inest, cum excrementis eiicitur. Ob hanc causam ictus ferarum citius interimunt, quam venena assumpta: nam in vulnere sincerum statim subingreditur. Tradit Gal. Polixenã morsu
De ther. 2.

vul-

vulneraſſe brachium, & in vulnus venenum paratum fudiſſe, quo citiſſime interiit. Sunt quæ repente interimant, vt aſpidum genera Cartaginenſis quidam incluſas in ollis proiecit in hoſtes, vnde protinus collapſi perierunt. Horum temperamentum magna ex parte frigidum eſſe teſtatur Celſus: Frigore enecare, congelare humorem intus. Conſentit & Dioſcorides, ſanguinem congelari in arteriis ex ictu ceraſtes, aſpidis & baſiliſci, vt ex ſanguine taurino hauſto: & hodie videmus in iis, qui ex opii potione intereunt, ſanguinem refrigeratum in corde congelatum. An grumi ſanguinis in magnis vulneribus in ventre collecti idem præſtant, grauiſſima enim ſymptomata inducunt inſtar veneni. Verum extinctio caloris innati non ſolum à frigore, ſed & à calore fit, ac citius à calore. Huic videtur conſentire ſacra ſcriptura, immiſſos eſſe in populum ignitos ſerpentes, & in deſerto eſſe ſcorpiones & ſerpentes, qui igneo ſpiritu enecent. Ex ſymptomatis autem in ſingulis temperamentum colligi poteſt.

Ther. 3.

6. loc. af. 4.

CAP. IV.

Venenorum differentiæ ex tota ſubſtantia.

DIfferunt præterea venena pro varia eorum analogia, quæ oritur à tota ſubſtantia. Nam quædam ſpiritus magis afficiunt, quædam partes ſolidas, vt venas, arterias, neruos, cor, cerebrum, hepar, renes, veſicã, ventriculum, pulmonem, aut alias partes. Quæ ſpiritus afficiunt, in ſpirituoſa magis ſubſtantia ſita ſunt, vt aer peſtilens, fœtores. Dryini odor. Spiritum venenoſum proiici ab oculis baſiliſci putandum eſt, vt ab oculis mulieris menſtruatæ. Ex aculeo ſcorpionis intromitti ſpiritum quendam teſtatur Galenus, aut tenuem humiditatem, qua totum corpus veluti grandine percuti videatur. Ex torpedine viuente etiam per tridentem cõmunicari auram quandam manui piſcatoris, vnde torpeſcat.

Ther. 8.

6. loc. af. 5.

Basiliscus etiam mortuus quodcunque animal ipsum tangens subito interimit, quod non nisi à spirituosa substantia spiritum corrumpente fieri putandum est. Sed spirituosa hæc substantia magis ex viuente animali effluit, quam ex mortua. Ideo Basiliscí intuitus enecat, & Sibilus: nam aura tabifica & ex oculis & ex ore sibilante erumpit. At dubitabit quis, quomodo in substantia adeo tenui, qualis est spiritus, insit deleteria vis. Ostensum est enim, deleteria in substantia crassa consistere, quia qualitates in ea diutius persistunt, & efficacius imprimunt, at spiritus ob tenuitatem facilius mutantur, & euanescunt. An spiritus de natura corporis, vnde exeunt, participant, citius autem operantur, quia citissime peruadunt in profundum corporis cuiuscunque. Natura autem veneni est, ob excessum omnia vincere, & in se ipsum conuertere. Quamuis igitur spiritus facile euanescant, celerius tamen imprimunt suam qualitatem, priusquam euanescant, præcipue in spiritus ob affi-
Ther. 20. nitatem. Quædam sanguinem inficiunt. Inquit enim Galenus: Vetus sermo est, quædam animalia, vbi inter mordendum sanguinem humanum ex vulnere manãtem contigerint, commorsos occidere, alioqui incolu-
3. loc. aff. 7. mes seruari. Idem contingere in sagittis Helenio tinctis viperæ morsus, & eius fel sanguinem in flauam bilem conuertit, vnde color arquatus ostenditur. In atram bilem ex ictu Muriſaranei, pastinacæ marinæ, potu Salamandræ. In aquam specie hydropis ex ictu Cenchyri. In flatum, vnde inflatio ex hausturanæ rubetæ. Quædã neruos afficiunt, conuulsionem & tremores inducentia, vt ictus phalangii. Quædam venas aperiunt, vnde fiat sanguinis effusio, vt ictus Hæmorrhi. Quædam caput tentant excitantia vertigines, sopores, deliria, vt opium, cicuta, hyosciamus, mandragoras, solanum manicum. Ventriculum offendunt gypsum, fungi, renes & vesicam cantharis. Pulmonem lepus marinus, & alias partes, vt in singulis patebit.

CAP.

CAPVT V.

Differentiæ ex modo inficiendi.

VArio autem modo venena inficiũt. Alia enim hausta, postquam alterationem aliquam adepta sunt, lædunt, alia citius, alia tardius. Frigida si cito non interimant, diuturnitate temporis concoquuntur. Calida quo diutius permanent, eo deteriora euadunt, quia magis corrodendo & putrefaciendo tabefaciunt. Quæ extrinsecus agunt, aut ictu lædunt, vt serpentes, scorpiones, aut solo contactu, vt spuma canis rabiosi, vel eius, qui ex eius morsu in rabiem incidit: nam aliquando vel sola cõuersatio rabiem communicat, apud Dioscoridem. Hoc modo correpti à peste per contagium inficiunt. Similem vim habere videtur Dryinus serpens. Si quis enim supergreditur, cutis à pedib. excoriatur: tota etiam œdemate intumescunt, & manus curantium eodem modo periclitantur. Si quis aggreditur eum perimere, olfactũ mulctari aiunt, alium quemlibet odorem vel gratissimum abeo non percipi. Tradunt componi etiam venena penetrantia in corpus, etiam illitis sellis & equorum staffis. Non igitur mirum, quod traditur, Herculem interiisse indutum linea veste, quæ sanguine imbuta fuerat eius, qui vulnus acceperat ex venenata sagitta hydræ lernææ. Seruari enim venenum potuit in veste exsiccato sanguine, quod à calore corporis excitatum vehementes cruciatus induxit. Quædam olfactu lædunt & inspiratione, vt fœtores ex putridis corporibus, præcipue in statu pestilenti, & subterraneæ euaporationes aut aeris diu concluſi, aut ex fodinis, æris argenti viui, auripigmenti. Hæc enim statim inficiunt cerebrum, & thoracem. Quædam visu inficiunt, non solum basiliſci intuitus, vt dictum est, sed etiam effascinantium oculi, vt lippientium lippitudines communicant, sic vetularum quarundam aspectus infantes lædit. Plinius scribit, in Triballis & Illiriis esse, qui interimant, quos diutius intucan-

3. Simp. 22.

6. loc. af. 5.

tueantur præcipue iratis oculis: his binas ineſſe pupillas quod malum ſentire puberes. Veneficia quoque ſunt, quæ in cantatione parantur, opera enim dæmonum varia venena colliguntur, ad quæ forte reducuntur, quæ à Plinio ſcribuntur, in Africa familias eſſe effaſcinantium, quorum laudatione intereant prata, inareſcant arbores, emoriantur infantes. Sed ad Medicum naturalem hæc non pertinent: tantum præcognoſcere oportet, ſi quod diuinum ineſt in morbis.

1. Prog. 4.

CAP. VI.

Qui morbi ex Veneno oriantur?

SI venena exceſſu primarum qualitatum enecant, neceſſe eſt morbos in intemperie facere, pro diuerſa eorum natura. At non ſola intemperies, quia ſolis alterantibus per primas qualitates tollerentur, quod non contingit: egent enim alexipharmacis. Similis ratio eſt de cæteris morbis cum materia, de quibus teſtatur Hippocrates *in libro de veteri medicina* Lædere & iuuare non calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, ſed valde acre, amarum, acerbum & reliqua huiuſmodi, cum ſincera ſunt. Sic morbi ex veneno materiam ſuam habent rebellem tota ſubſtantia lædentem, quæ niſi auferatur, non tollitur morbus. Non eſt autem neceſſe materiam hanc mole euidentem eſſe: nam ſæpiſſime eſt mole quam minima, facultate quam maxima. Nam ex aculeo tenuiſſimo paſtinacæ, aut ſcorpionis, neceſſe eſt ſubſtantiam quandam egredi aut ſpiritualem, aut fluidam, mole minima, facultate maxima. Infecta autem cute ex ictu diffunditur vis in reliquam cutem, quia continua & neruoſa eſt: vel interius ad neruos, venas & arterias per partem poſt partem, donec pertingat ad membrum aliquod principale, tunc mortis periculum. Non eſt autem neceſſe corpus tam exiguum diffundi in totum corpus, ſed ſatis eſt affici ſimili qualitate.

3. lo. aff. 7.

1. ſem. 16.

Similis

Similis alteratio apparet in odore valido, sola qualitate, non corpore diffuso. Neque tamen ob id erit intemperies sine materia: nam corpora in naturam eius conuertuntur. Contingit tamen, aliquando ex continuo vsu venena quædam facta esse familiaria, vt de cicuta, refert Galenus, anum Athenienſem ab exigua quantitate incepisse, & concoxisse, donec magnam copiam sine noxa sumeret. Idem ex opio euenire videmus apud Turcas: assumunt enim ad inebriandum loco vini. At in venenis frigidis non est mirum, quia non sunt genere deleteria. At in calidis videtur impossibile. Hodie tamen circulatores quidam visuntur deuorare capita viperarū, fel, ranas, rubetas, & alia atrociſſima sine noxa. Testatur Auicenna de Napello, quam putauit esse cicutam, ex Ruffo, puellam formosam veneno adeo assuefactam, vt eius saliua enecaret animalia, & gallinæ non attingerent, quas videmus & anseres sæpe venenosa deuorare, quarum carnes homini innoxiæ sunt, & aliquando pro antidoto. 3. Simp. 18.

Consuetudo enim magnam vim habet. At putandum est, non sine antidotis huiusmodi consuetudinem fieri, vt contigisse ferunt Mithridati, qui ex vsu eius confectionis non potuit à veneno occidi. Varia autem symptomata ex venenis contingunt, tum pro varia intemperie, tum pro diuersitate particularum affectarum, cum quibus analogiam habent, neque possunt vniuersali ratione perstringi, sed commodius in singulis patebunt. Quamuis enim ad frigiditatem insequatur torpor, sopor, totius refrigeratio, liuor, nigredo: eadem tamen insequi possunt ad extinctionem calidi innati ex calore vrente in internis, sed calor incipit cum inflammatione alicuius partis, vt linguæ ex epoto Napello, internorum ex morsu dipsadis & viperæ. Spiritus citissime corrumpuntur, vnde syncop. accedunt. At humorum corruptiones fœtores comitantur. Læsis neruis conuulsiones, tremores, punctiones; venis & arteriis apertis, aut

aut rarefactis, sanguinis effusio; clausis in thorace suffocationes. Ex lxia omnes excretiones supprimuntur.

CAP. VII.

Signa veneni assumpti.

CVm iidem affectus fiant ex veneno epoto, & ex humorum corruptione sponte in corpore genita, difficile est discernere. Cogitur tamen sæpe Medicus à Iudice, vt sententiam suam afferat, vtrum quis interierit ex veneno, an alia ratione, vt mulctari iure possint, qui venenum perpetrarunt. Quamuis autem hoc Medico nõ sit necessarium: distinguuntur tamen à Galeno hoc pacto. Cum homo suapte natura probis humoribus abundans, & sanorum more educatus, derepente moritur, vt solet ex veneno, deinde corpus aut liuens, aut nigricans, aut varium est, aut diffluens, aut præ marcore fœdum molestumque odorem reddit. Hunc venenum sumpsisse significatur. At Medicus signa ante obitum quærit, vt auxilia adhibeat, melius autem est, si antequam grauia symptomata aduenerint, quando aliqua spes est salutis. Cum sapor aut odor valde ingratus sentitur, peculiares autem in singulis quærendi sunt, cum iis nausea coniuncta. Si aliqua symptomata repente aduenient sano corpori, præsertim post cibum aut potum, faucium exasperatio, tussis fœtida, sanguinis excretio per os, dolor in alto, ardor iuuenilis & vehemens, erosionis sensus, stupor, punctura, tremor, singultus, vertigo, contractio, pustularum eruptio, liuor, tumor, coarctatio, quarundam partium putrefactio, vomitus fœtidus & plenus, apparitio assumpti veneni. Prognostica. Si cito non curetur, incurabilis est. Deleteria quantitate, si cito non interimunt, vincuntur à natura, in frigidioribus naturis, & habentibus venas angustas, facilius vincuntur, ob moram diuturniorem in itinere, antequam perueniant ad membra principalia. Genere deleteria in exi-

6. loc. af. 3.

4. Simp. 15. & 18.

3. Simp. 18.

gua

gua quantitate, licet non vincantur, expelluntur cum excrementis, aut tardius enecant. Quæ non interficiunt, transeunt in morbos diuturnos, in tabem, stoliditatem, epilepsiam, melancholiam, & alios, qui non differunt à cæteris, quia vis venefica deleta est. Celsus deteriora esse intus assumpta, quam ictu illata, quia tardius cognoscũtur, & peius est incipere ab internis, quam in cute. 3. Simp. 23.

CAP. VIII.

Præseruatio.

PRæseruatio duplex apud Dioscoridem. Vna ad vitanda, altera ad irrita reddenda. Vitare difficillimum ob sagaciam veneficorum; nam etiam peritissimos decipiunt. Iis obnoxii magis Principes & diuites. Vim autem ferarum virulentarum, & fortuitum casum minus vitare possunt pauperes.

Ne dolis veneficorum quis corripiatur, non tutum est gustu & olfactu deprehendere, nam quædam eo modo enecant. Principes cauent prægustato à ministris cibo & potu. At etiam in his doli; nam fraudolenti muniunt seipsos, satius est canibus aut felibus porrigere, at non licet omnia.

Apud antiquos vasa ex electro, id est auro, cui quinta pars argenti mixta est, à natura traditur, venena patefacere, alterato colore & splendore tactu veneni. Hodie etiam arte mixtum deprehensum est idem præstare. Ideo ex hac mixtura Principes quidam omnem supellectilem parant.

Idem præstat argentum purum optime tersum, cornu pellucidũ, præ cæteris celebratur cornu vnicorni rarissimum, & pretiosissimum, & lapis quidam in capite draconis repertus, lapis Buffonis. Perhibentur hæc præsente veneno colorẽ mutare, etiamsi non tangantur. Ideo mensis apponunt sub aqua in vase aureo. Sed certiora quærenda sunt ex Dioscoride. Vbi adest veneni suspicio, vitanda sunt omnia, quæ insignem saporẽ habent, dulcem

cem, salsum, austerum, acidum, quibus occultari solent venena: item odores. Melius est cibos simplices comedere, quam conditos variis mixturis. Medicamenta etiam salutis prætextu periculosa sunt.

Non nimis sitibundi aut famelici, ne affatim bibant, ne voraciter comedant, vt prænotare sapores possint. Bonum est aquam resumere, vt satiato appetitu non auide attrahant. Vitantur casus & bestiarum vis diligentia. Non parentur cibi aut potus sub arboribus, vnde reptilia venenosa decidant: neque sub tecto, vbi latent phalangia, stelliones, seu vulgo tarantulæ sub laquearibus, tutius mensa paratur sub dio, aut sub tentorio, fructus abluere, commorsos mundare.

Vasa vinaria obturata: multa enim reptilia odore vini alliciuntur, & serpentes sæpe reperti sunt in vino suffocati. Fugantur serpentes apud Paulum suffitu cornu cerui, vngulis caprarum igni impositis, gagate, galbano. Cauernulas obstruere oportet ex allio detrito in aqua.

Sub lecto sternere nepitam, polium, abrotanum, cutem illinire ex galbano tuetur. Vt autem irrita reddantur venena, præumenda ieiunis, quæ vim veneni hebetent. Antidota eadem, quæ post sumpta sanant. At in minori quantitate, vt theriaca fabæ magnitudine. Dioscorides Mitridatum magnum, confectio ex scinco, de sanguinibus. *Ther. 16.*

Simpliciora apud Dioscoridem, napi semen drachmæ vnius pondere cum vino, calamenti folia, ruta cum nuce iuglande, caricæ duæ cum modico salis. Ante cibum maxime defendit, si caricæ cum nuce iuglande sumantur. Occludunt enim vias, ne venenum subingrediatur. Terra lemnia ex vino præsumpta non solum occludit, sed & pugnat aduersus venena: mala citria comesta. Hodie conseruas ex iis faciunt; zedoaria apud Auic. Circulatores præsumunt cibos pingues, vt ventriculi parietes muniantur, & cuomi facilius possit venenum.

Vene-

Venenis obſiſtunt peculiares quædam corporis conſtitutiones ex quorundam ciborum & potuum qualitatibus, aut vini multitudine; diſſoluunt enim vim venerorum, & priori cibo præcluſis meatibus, venenum poſt ingeſtum minus diſtribuitur in ſingulas partes apud Dioſc. Idem ſignificat Gal. cum inquit: Qui frigidiori temperamento conſtant, & venis anguſtis, minus læduntur. *3. Simpl. 18.*

CAP. IX.

Curatio.

COmmunis venenorũ curatio, ante quam pateat veneni ſpecies apud Dioſcor. quam primum euacuanda eſt veneni ſubſtantia, prius antequam corrumpat, aut penetret interius in venas. Qualitas corrumpens heberanda, meatus obſtruendi, vt penetrationem celebrem inhibeant. Euacuatio per proximum locum fieri debet, vnde venenum ingreſſum eſt: ſi per os vomitu, ſi per ictum ex vulnere. Ad venena igitur aſſumpta quam primum vomitus præcipiendus eſt ex relaxantibus & nauſeoſis, vnde genus veneni deprehendi poſſit. Bibat oleum calidum ex aqua, aut ſeorſum. Nam oleum ſimul hebetat vim veneni, aqua prohibet vſtionem, caliditas relaxat. Pro oleo butyrum, ex aqua calida, aut decocto maluæ ſeminis lini, tragi, vrticæ, fœnugræci, alicæ: nam hæc ſimul aluum ſubducunt: glaucium adeps anſerinus, iura carnium pinguium, lixiuium. Poſt vomitum clyſteres acres ex centaurio, nitro large iniecto ad reliquas, quæ inteſtinis hæſerunt. Nitrum cum hydromelite ſumptum, raphanus, vina vetera liberalius epota, iura gallinacea, piſces præpingues, vetuſtæ carnes pingueſque, & quæ adipe aut recenti butyro parantur. Nam aluum ſubducunt, ſtomachum relaxant ad vomitum, hebetant acrimonias, & obſtruunt meatus. Paulus Ægyneta poſt hæc inquit, lac potui dabimus. Hippocrates maleficorum remedia ſimplicia affert: lac, alliũ, *6. in 6. Ep.*

vinum feruefactum, acetum, sal. Sed alia multa apud Dioſc. Paulum, Aet. Gal. *in lib. de Antidotis. & de paratu facilibus. cap. 16.* Cum venena penetrauerint in venas, varia celebrantur euacuantia & alterantia: inter quæ
1. Antid. 1. alexipharmaca & antidota vocantur, quæ à tota ſubſtãtia agunt. Antidota dicuntur, quæ intus aſſumpta medentur prauis diſpoſitionibus trium generum.

Aduerſus venena aſſumpta alexipharmaca proprie dicuntur. Aduerſus venena ictu illata alexiteria, quæ & theriaca à Dioſc. vocantur, vulgo Bezoartica aduerſus morbos ex praua victus ratione ſimpliciter antidota, ſed proprie, quæ ex multis parantur. Alexipharmaca & alexiteria Galen. pro eodem accipit ab auxilio, ſiue aduerſus pharmaca, ſiue aduerſus beſtias. Latine amuleta dicuntur, ſed apud Plinium amuleta proprie accipiũtur, quæ geſtantur aduerſus faſcinationes & maleficia. Horum omnium alia euacuant, alia alterant: vtraque aut
5. Simpl. 18. per ſolas qualitates primas, aut à tota ſubſtantia. Quæ à tota ſubſtantia, vtraque media eſſe oportet inter corpus & venenum. Ratio manifeſta eſt in euacuantibus per attractionem. Si enim non ſimilia ſint veneno, non attraherent. Si omnino ſimilia, erunt omnino corpori contraria, ſic deleteria. Idem dicendum eſt de alterantibus à tota ſubſtantia. Nam quod alterat venenum, contrarium temperamentum habere oportet veneno. Si eius ſubſtantia ſit ſimilis corpori, vincetur à veneni ſubſtantia immutabili: ſi ſimilis veneno, ipſum quoque venenum erit. Medium igitur eſſe oportet, & hoc modo medium, vt ſubſtantia quidem ſit veneno ſimilis, vt perſiſtat in pugna: at temperamento recedat ab extremis, ne corrumpat corpus. Inſtabit quis. Si non excedat, vincetur à qualitate excedente veneni. Reſpondetur; ſi detur in exigua quãtitate, vt eſt veneni quãtitas, vincetur profecto, ſed ſi quantitate ſuperet, aut vna vice, aut iteratis vicibus, vincet.

Nam etiam temperatis quemcunque exceſſum temperare

petare possunt, vt Galenus docet in compositione ceræ & æruginis. Inter alexipharmaca igitur quædam substantia immutabili conueniunt cum venenis, qualitatibus primis cum corpore, cum non multum recedant à medio, vt terra lemnia, & quædam alia terrarum genera, lapis Bezaar, gemmæ. Quædam qualitatibus conueniunt cum venenis in extremo calida, vel frigida, substantia autem cum corpore, vt allium, piper, lactuca, solanum. Quædam & substantia & qualitate conueniunt cum venenis, sed mixtione & præparatione corriguntur, vt viperæ carnes. Quædam & substantia & qualitate conueniunt cum corpore, vt lac, vinum, oleū, sed multitudine & vsu diuturno hebetant vim veneni contemperando. Solis qualitatibus agunt, quorum materia est similis corpori. Tota substantia, quorum materia est similis veneno, ideo lædunt, si in maiori copia sumantur magis & minus, pro vt magis & minus pro substantia aut qualitate conueniunt. Quæ diutius persistunt in suo robore, accedunt magis ad substantiam veneni, quædam etiam superant. Nam materia metallica diutius perdurat incorrupta, quam plantarum & animalium. 2. Catag. 2

CAPVT X.

Venenorum remedia in communi, tum euacuantia, tum alterantia.

SIà tota substantia proprietates oriuntur, ad omnia venena in communi remedia petenda sunt ex iis, quæ solis qualitatibus primis vel secundis pugnant, tum euacuantia, tum alterantia. Ad singula autem, quæ tota substantia cum singulis conueniant. At quia difficile est ex tempore proprium remedium habere, excogitata sunt antidota ex multis composita, quæ singulorū propria sunt, vt idem singulis satisfaciat: quod Gale. admittit in Mitridato, & theriaca: imo vnicū remedium nō solū ad omnia venena intus & extra illata, sed & ad omnes 1. Antid. 1.

morbos graues extollit more Circulatorũ. Autoritatem dederunt Rex Mitridates, deinde Imperatores Romani.

Sed cum hodie sine methodo vtentibus non satis respondeant promissis, cauillantur ingredientia tanquam non legitima, cum tamen hodie medicamenta omnia commodius habeantur, quam apud antiquos. Arabes simili modo extollunt lapidem Bezaar, Græci terram lemniam, Hispani herbam Scorzoneram. At sine ratione vti fallax est. Hipp. inquit: Aduersus malefica plantarum succi, in quibus conueniant, id est, vt Gal. interpretatur à tota substantia, non enim omnibus omnia conueniunt. Lac ad venena erodentia; nam contemperat, & instaurat deperditam substantiam.

6. in 6. Epi. 5.

Allium ad frigida, nam odore pertinaci diu persistit, vt theriaca facit, etiam ad calida dissipans; est enim veluti ignis purgatorius, vinum feruefactum, id est, valde calidum ad mediocriter frigida, vel coctum in sapam ad contemperandam acrimoniam, vt Gal. tradit. An vinum simpliciter facit ad spiritus reficiendos, præcipue aqua ardens: nam citissime diffunditur in totum, & dissipat prauos humores, & vehiculum est cæterorum medicamentorum. Acetum ad dissecandos glutinosos succos ex fungis, & ad refrigerandum in venenis calidis, vt ad thapsiam. An præcipue valet ad grummos dissoluendos & quæcunque indurata sunt.

Ther. 16.

Celsus laudat ad sanguinem congelatũ ex ictu Aspidis Sal, vt totam substantiam maleficorum humorum, & pharmacorum consumat. Sic nitrum chalcitis, aqua marina. Paratur hodie oleum ex chalcantho per distillationem, item ex sulphuris flamma acerrimæ virtutis, quæ in exigua quantitate diluta in iure propinantur. Dioscorides inquit: Cum venenum incertum est, communibus vtendum. Communia autem sumuntur à communibus affectibus. Nam plurima venena affectus consimiles gignunt. Inter frigida communi dote recensetur sola terra Lemnia Attrahit hæc tenues humidita-

ditates sua siccitate velut spongia, si venenum inuenit, prouocat vomitum. Fiunt cum granis iuniperi partibus æqualibus catapotia ex oleo auellanæ magnitudine, superbibatur mulsa. Valet, vbi venenum in ventriculo. Idem præstat Bolus armenus, terra Melitensis, facultate emplastica, simul meatus occludunt, lapis Bezaar, fragmenta gemmarum in tenuissimum pollinem molita, auri & argenti folia, defendunt cor sua substantia incorruptibili. Non conueniunt hæc venenis crassis aut ex materia metallica. Corrigunt putredinem materia imputrescibili frigida & sicca, sed egent vehiculo ex vino, vt ferantur in venas. Similem facultatem habent inter plantas tormentillæ radix, & Bistortæ, herba scorzonera, condrilla. Inter calida pleraque amara, Homero teste, quod comprobatum est longa experientia. Nam partim euacuant digerendo & abstergendo quamcunque materiam, tam calidam, quam frigidam, partim alterant frigida. Agaricum simul euacuat vi purgatoria humores corruptos. Gentiana, securidacæ semen, abrotanum, & quæ acria sunt, vt irio, eringii radix, pastinacæ semē, calamenti semen, Nardum Gallicum, castorium, ferulæ viridis medulla, flos rhododendri. Marrubii succus, Laser, Laserpitium, Sagapenum, Peucedani succus, panacis succus & radix, aristolochia longa, rutæ syluestris semen, Betonicæ folia, singulorum drachma vna in vino polii decoctum, seseli, pix liquida lincta, Antidota, vt Mitridatum, de scynco, de sanguinibus. Hæc enim recenset Dioscorides, cum nondum esset theriaca, nisi eam intelligat per Mitridatum magnum. Alia recensentur in libro de paratu facilibus, vltimo, Auic. Zedoariam laudat, & Doronicum; recentiores angelicam, dictamum album, carlinam, quæ chamæleo albus est. Dissoluunt hæc vim veneni aut insensibiliter, aut per sudorem, aut per vrinam. Inter herbas scabiosa, gralega. Ad omnia igitur venena, siue adhuc in ventriculo fuerint, siue iam penetrauerint in venas, iudicantur eua-

2. Anti. 8.

9. Simpl 3.

5. Anti. 5.

quantia virus, & humores ab eo corruptos. Alterantia pro singulorum intemperie, Roborantia partes principes ne recipiant, sed repellant.

Euacuant virus tenue attrahentia, terra lemnia drachma vna cum vino, smaragdus grana octo, per vomitũ. Bezaar grana, 12. per sudores. Humores corruptos attrahunt agaricum, rhabarbarum, centaurium minus ad bilem & pituitam. Cyclamen, radix cucumeris syl. elaterium ad aquas. Lapis Lazuli, Armenus, Antimonium præp. ad Melancholicos. Rasis medicamentis purgantibus vritur, cum vomitoria communia non sufficiunt. Venæ sectio vbi vrget inflammatio Auic. Celsus in ictu scorpionis, inquit, quidam sola venæ sectione sanabant. Dissipantia substantiam insensibiliter ad venena, tum calida, tum frigida, acria & amara prædicta, tum simplicia, tum composita, vt theriaca sæpius in die exhibita dosi quadrupla, & quintupla. Eligenda autem, quæ tota substantia singulis conueniant. At si communis curatio sufficeret, frustra autores sigillatim de singulis egissent. Si necessaria sigillatim, videtur superflua communis. An occasio præceps antequam species veneni deprehendatur. Multa quoque latent ob variam compositionem venenorum, Paul. At confestim multa remedia adhibenda sunt, & in quibus maiora pericula, efficacioribus vtendum. Dioscor. At ignorata veneni natura, temere adhibebuntur. Celsus concedit aliquando temere agendum. At nihil temere præcepit Hipp. & si non iuuare, saltem non lædere. Pro varietate autem symptomatum remedia accommodanda pro vario temperamento & partibus læsis.

1. Antid. 1.

2. in 6. Epi. 25.

3. in 2. Epi. 9.

Quæ valde odorata sunt, ac spirituosam substantiam faciunt, vt moschus, ambra, aromata multa, camphora, aqua rosacea, lansa. His enim spiritus venenati alterantur, quia conueniunt in substantia spirituosa. Ad crassam autem venenorum substantiam remedia conueniunt crassiora, vt sal, chalcitis, nitrum. Ad humores

quæ

quæ medio modo se habent, vt amara & acria. In singulis autem quæ diuersas partes respiciunt, dicenda sigillatim in singulis. Cum venenum ad cutem delatum est, Actius frictiones adhibet ex oleo calido, balnea in hydræleo, sudatoria. Hodie ægrum intromittunt in mulam dissectam ablatis visceribus, dum calor nativus subest. Calor enim ille attrahit & contemperat. Inunctio arteriarum ex oleo de scorpionibus compositio à Matthiolo Senensi, prius fouendo loca ex vino Maluatico. Remedia igitur ad spirituosam substantiam ex odoratu sumenda sunt, aduersus humores, purgantia per aluum, vrinam, sudores aut insensibiliter. Aduersus terrestria, humectantia ex lacte, oleo, & expurgantia valida. Si lateant analogiæ, saltem iuuabunt primis qualitatibus vel secundis, & communi substantia, quam maxime immutabili. Victus requiritur non tenuis. Nam in prauitate multus conuenit ad contemperandum. Si vires grauentur ob symptomata & labores, potus & sorbitiones. Celsus inquit: Venena ieiunis no cent magis, Varietate ciborum implendi. Aet. dum venenum in ventre, Raphanus, sallamentum, allium, cæpæ. Vinum recens mari mixtum ad vomitum. Si in habitu, pisces recentes teneri, aues coctu faciles. Gallinarum iura & carnes, porcelli, vinum album vel ruffum, vetus, odoratissimum. Auic. in omnibus lac non prætermittatur. An quia si non ad omne venenum, saltem ad corrigendas noxas ex Alexipharmacis efficacioribus. Vigilent, nullo modo sinantur quiescere vt dormiant, sed clamore & risu assidue stimulentur. Auic. Frixiones ad extremas partes, ne recurrat venenum intro. Vestes suffumigijs odoratis perfusæ.

1. Aph. 17.
2. Aph. 11.
De paratu fac. vlt.

CAP. XI.

De Cantharidibus, Bupræsti, & Pytocampe.

4. Simp. 39. INter animalia venenosa cantharides epotæ inflammant & exulcerant. Renes petunt & vesicam. Constant substantia terrena attenuata: ideo in itinere acquirunt igneam naturam erodentem, contra quam piper, quod ob tenuitatem substantiæ cito incenditur & cito extinguitur, vt non transeat eius caliditas vltra iecur.

4. tu sa. 6. Feruntur cantharides ad renes, quia aquositate vrinæ facillime soluuntur, vt nitrum, & ob odorem quendam cedriæ similem, vnde à renibus alliciuntur. Ideo in parua quantitate & mixtione castigatæ vtiliter miscentur

3. Simp. 23 diureticis. Hipp. de internis affe. Cantharides quatuor abiecto capite & alis in vino albo & modico melle exhibet bis aut ter in die ad icteritiam. Et ad hydropem

4. Acu. 23. cantharides tres abiecto capite, alis & pedibus in tribus cyatis aquæ poculum componit. Scribit Gal. in Comment. Medicum quendam audacem tentasse bis nunc integras sumendo, nunc abiectis illis, sed vtrosque facto abscessu in inferioribus, quo disrupto melius habere visos esse, sed paulo post mortuos. Idem Hipp. de superfœtatione ad vterum purgandum subdit in pesso integras cantharides cum cyclamine, nitro, sandaracha & adipe. Non igitur bene Gal. tradit, integras cum alis & pedibus antidotis misceri, sed tantum in pessis. Crassior enim pedum & pennarum substantia non facile expelli potest è corpore. Dioscorides tamen inquit, à quibusdam dari pennas & pedes pro remedio ad cantharidas, quia scilicet attrahat ob affinitatem: at putandum est dari optime castigata. Extrinsecus hodie imponantur integræ cum fermento ex aceto ad vesicatoria. Signa huius veneni epoti, sensus erosionis ab ore vsque ad vesicam, inflammantur dextera hypochondria, vrina ægre redditur ob inflammationem, & subinde sanguinolentæ deiectiones strigmentosæ, vt in dysenteria, fastidia,

11. Simpl.

animi

animi deliquium, vertigines, tandem mentis alienatio. Ex bupresti sapiunt quid simile nitro; stomachi & ventris dolor, postea attollitur stomachus & venter, vt in tympanite intenditur vniuersa cutis; vrina supprimitur. Ex pityocampe statim dolor in ore & palato, vehemens inflammatio linguæ, stomachi & alui cum dolore pruriginoso, totum corpus æstuat, fastidit inter deleteria toto genere, quorum nulla vtilitas intus. Remedia horum omnium eadem. Post vomitum ex oleo, vel maluæ decocto passum ex oleo mixtum; seuum in aqua decoctum; hebetantia acrimoniam; clysteres ex cremore alicæ, tragi, orizæ, ptisanæ. Decocto maluæ, radicum altheæ, seminis lini, fænugræci in potu vinum dulce dilutum liberaliter; passum dissolutis pineolis, semine cucumeris; lac, adeps anserinus cum passo carnes, gallinaceæ, hœdinæ, suillæ, maxime pingues & tenerrimæ, incocto semine lini. Cerebella porcina, & ius vt vomar, Aet. Abluentia, nitrum cum mulsa bibitum, & per clysteres iniectum dissoluentia virus. Antidota ex aqua mulsa drachmis quatuor. Panax cum lacte Celsus. Cantharidum alæ & pedes ex melle. Gal. & Aet. Siccantia partes exulceratas; thuris cordex terra, samia drachmæ quatuor vel drachma vna Aet. cum passo, pulegium ex aqua. Vnguentum irinum, rosaceum, cum ruta decocto. Vitis ramuli recentes cum passo detriti. Extrinsecus ad mitigandos dolores non in initio.

1. Simp. 19.
2. Antid. 7.

2. Antid. 7.

Farina hordei cum mulsa decocta illita per interualla, inunctio totius corporis ex oleo calido; deinde balneum vt sudet. Priuatim ad bupreſtim post vomitum & clysteres, ficus aridæ comestæ, & earum decoctum cum vino pyrorum omne genus, lac humanum ex mamilla hauſtum. Ad pinorum erucas. Priuatim oleum melinum assumptum pro vomitu.

CAP.

CAP. XII.

De Salamandra.

SAlamandra, quæ & Stellio vocatur, ex genere lacertarum, quas in Etruria Tarantulas vocant, venenū continet calidum & humidum inter putrefacientia; humiditas est glutinosa aquea in igne diutius resistens, quē interim extinguit. Sed in loco calido & humido facile, 3. Simp. 22. putrescit, neq; in aqua neq; in igne vires amittit. Plin. inquit. Inter omnia venenata Salamandræ scelus maximum est. Nam non vnicum hominem, vt cætera icta, sed populos necare potest. Cum irrepsit in arborem, omnia poma inficiens veneno, eos, qui ederint, necat frigida vi, vt aconitum. Idem si in puteum cadat, si lignum aut pedem, quo crusta panis coquitur, tetigerit. Si eius saliua partem corporis tetigerit, vel in imo pede, è toto corpore defluunt pili. Signa huius veneni epoti, lingua incenditur, mens turbatur & loquela, tremor, torpor, horror. Exolutio liuores quosdam in corpore excitat orbiculatos, qui tandem aliquando putrescentes decidunt, quod sanitatis signum est apud Auic. Aetius inquit: Primum maculæ albæ per corpus, deinde rubræ, postea nigræ cum putrefactione & defluuio capillorum. Quæ symptomata partim caliditatem, partim frigiditatem attestantur.

Curatio eadem, quæ ad cantharidas, Dioscor. & Aet. At Auic. vt ad opium. Priuatim Resina pinus, galbanum cum melle linctum, chamæpytis decoctum, in quo nuclei pinei, oua testudinis marinæ vel terrestris cocta, ranarum ius incocta eryngii radice,

CAP. XIII.

De Rana rubeta.

RAna rubeta inter calida & humida, sanguinem corrumpit in flatum & flauam bilem. Insequitur tumor, & pallor buxei coloris, spirandi difficultas, oris halitus

litus grauis, singultus, aliquando inuita seminis profusio. Aetius inquit; febris comitatur, extremæ partes incenduntur. Auic. inquit: Qui sanantur, amittunt dentes. Curatio, post vomitum meri potio multa; harundinis vel cyperi radices, drachmæ duæ cum vino. Pix cum vino, Aet. Testudinis marinæ sanguis, leporis coagulum, & cuminum cum vino, exercitatio vehemens & cursus, ne torpeant membra. Sudatio in furno calido, Aet. Lauatio.

CAPVT XIV.

De Lepore marino.

LEpus marinus inter calida & humida inflammat, & putrefacit, illiniturad piloseuellendos, Dioſc. Potus olet piscium virus; aluus dolore afficitur, vrinæ supprimuntur, si quæ redditur, est colore purpureo, æger auersatur omne genus piscium, sudor fœtens & grauis, vomitus bilioſus, aliquando sanguinolentus. Aet. Color aquaticus, deinde plumbeus cum tumore faciei. Plantæ pedum incenduntur. Pudendum tumefactum cohibet vrinam; in progressu vrina cærulea, quãdoque & sanguinolenta, Pulmonem exulcerat. Constrictio anhelitus, tussis sicca, sputum sanguinolentum. *Ther. 4.* Auic. Nicander inquit; qui euadunt, paulatim contabescunt. Curatio, post vomitum & clysteres, mitigantia acrimoniam, lac asininum, caprinum, aut bubalinum. *2. Antid. 7.* Passum assidue potum, maluæ radicum & foliorum decoctum, sanguis anserinus calens cum passo. Cancri fluuiatiles cum vino; nam solos cancros admittunt inter pisces, si reliquos admittant, signum est salutis. Conueniunt euacuantia humores corruptos. Cyclamin. radix drachmis quatuor in vino, ellebori nigri drachma vna, Scammonii scrupuli duo cum mulsa & mali punici granis. Digerentia, cedria in vino efficax est, & cedrides contriti.

CAP.

CAP. XV.

De felle viperæ, & leopardi.

FEl viperæ inter calida & ſicca ſanguinem & ſpiritus corrumpit. Signa apud Auic. ſyncope frequens, parum confert medicina ob celeritatem. Confert vomitus ex butyro cocto, poſtea diſſipantia virus, moſcum in vino & aqua carnis diſtillatæ, diamuſcus, theriaca, Mitridatum, Bezaar, ſcorzonera. Fellis leopardi Signa apud Auic. Vomitus bilis odore & ſapore aloes, icteritia. Si intra tres horas non occidit, aliqua eſt ſpes ſalutis, curatur poſt vomitum exhibita terra ſigillata cum baccis lauri.

Coagulum capreoli, ſemen rutæ, myrrha ex melle nucis magnitudine, cuomat iterum. Balneum cum odoriferis.

CAP. XVI.

De ſanguine taurino, & menſtruo mulieris.

SAnguis taurinus recens epotus inſtar plumbi liquefacti occludit meatus inter frigida congelantia. Congelat enim, dum coagulatur, alioqui nequaquam, quia non excedit in frigore. Sed ob craſſitiem cito congelatur inſito calore expirante. Inſequitur ſpirandi difficultas, & ſtrangulatio, præcluſis meatibus faucium & tonſillarum vehementi aſtrictione. Lingua rubeſcit, dentes inficiuntur cum veſtigiis concreti ſanguinis. Proprius quoque ſanguis è venis egreſſus, ſi in aliquo ventre congeletur, vim venenoſam acquirit. Auic. Galenus quoque teſtatur, inſequi animi deliquium, colorem pallidum, pulſum paruum, obſcurum & frequentem, anxietatem, exolutionem. An quia ſimul corrumpuntur ſpiritus? Miratur, cur ſanguis maxime familiaris autor ſit tanti mali, cum è ſuis vaſis fuerit effuſus, nam putredo & marcor ſequitur, eſt enim frigidus & aſtringens, vt in angina teſtatur Hipp. Tanto magis ſi in arteriis con-

3. Hiſt. an. 29.

6. loc. af. 4.

4. Acut. 30.

congeletur, vt contingit ex ictu aspidis. Curatio ad epotum sanguinem tauri, expurgandus per aluum, non per vomitum Dioscne fauces magis claudantur. Dissoluendi sunt grummi per acetum: exhibendi grossi, lacteo succo exposca. Nitrum, coagulum quodcumque exacero. Laserpitii radix, succus: brassicæ semen, lixiuia è ficu: conyzæ folia cum pipere, rubi succus ex aceto. Aluus soluenda clysteribus pinguibus & lubricis Act. Iis qui seruantur, succedere solet alui fluxus; ideo roborandus stomachus & aluus farina hordei illita ex mulsa. Sanguis menstruus à recentioribus ponitur inter venena, hypochondriacam melancholiam parit, lunaticos facit, & amentes. Videtur inter veneficia fascinantium; nam mulierculæ exhibent ad amatoria. Prosunt margaritæ ex aqua melissæ assumptæ. Balneum tepidum. Nam margaritæ sanguinem clarificant, & cor tuentur à prauis humiditatibus.

CAP. XVII.

De Lacte coagulato.

LAc coagulatum, idest quod intus coagulatur, aut sponte, aut accepto coagulo. Sponte quidem si lac crassius fuerit, vt bubulum, vaccinum, aut quodcumq; præcalfactum bibatur priusquam coaguletur. nam refrigescens coagulatur, separato sero. Ex diuturna quoque mora in ventriculo aut coagulatur aut corrumpitur. Ad concretionem insequitur vno impetu frequens strangulatio. Addit Auicenna sudorem frigidum, syncopem, & febrem rigoris, frigus corporis, pulsum paruum: comitatur aliquando ventris inflatio. Ad corruptionem autem, pulsus afflictatio, qualis ex affectu oris ventriculi. Remedia lactis congelati, eadem quæ sanguinis tauini. Non vomitio sed euacuatio per clysteres. Dissolutio concreti lactis priuatim fit ex coagulo cum aceto. Actius inquit: proprium coaguli est recens lac coagu- *10. Meth. 11*

coagulare, coagulatum autem dissoluere, præcipue leporinum. Oppositio modo sal, lacti recenti impositum, tuetur à congelatione. Coagulatum autem magis addensat in caseum, ideo fugiendum, Dioscor. calamenti folia arida & succus laserpitium ex posca, thymum ex vino, lixiuia lutosa, id est cum suo cinere. Auicenna intelligit, cum iterato cinerem assumpsit ex ligno fici.

Ad lactis corruptionem vomitus: deinde vinum purum bibat cum Diatrion pipereon. Ventriculus fouendus ex oleo nardino.

CAP. XVIII.

De Fungis.

1. Simpl. 19. INter plantas fungi reperiuntur venenosi. Nam quidam inter deleteria genere sunt, quippe qui mixtam habent qualitatem putredinosam.

9. Simpl. Dioscor. inquit, oriuntur venenosi iuxta clauum rubiginosum, aut pannum marcidum, aut cauernulam serpentis, aut arborem noxiam. Cognoscuntur, quia continent strigmentum quoddam & pituitam concretam: hi eruti celerrime putrescunt, aperti colorem mutant, qui præterea coctione indurantur, praui sunt pili. Cæteri esui apti suauem in iuribus gratiam habent, sed largius sumpti nocent. Eorum admodum frigida & humida natura est, vt proxime accedant ad deleteria. Succum gignunt pituitosum, frigidum & crassum. Insequitur strangulatio suspendio similis, aut colera morbus, ob qualitatem scilicet putredinosam. Scribit Galen. quendam ex boletis, qui innocentissimi putantur, non satis

2. Alim. 69 coctis largius assumptis, ægrotasse, cui os ventriculi pressum, grauatum coarctatumque fuit; difficilis re-

3. Alim. 69 spiratio, animi deliquium, sudor frigidus. Celsus testatur, coctione corrigi in oleo feruefactos cum pyri surculis pari mensura. Pyrastri quoque fructus, & folia cum fungis decocta reddunt innocua. An quia siccant superfluam fungorum humiditatem. Elixi quoque & inue-

terati

tetati sale idem patiuntur. Curatio quamprimum vomitus ex oleo Dioſc. raphani aut rutæ plurimū comedere. Aet. Incidentia & abſtergentia valida: oxymel incocto origano, hyſſopo, Satureia, deinde inſperſa nitri ſpuma lixiuia è ſarmentis, vitis, aut pyraſtri ſurculis crematis cum ſale, poſca, & nitro. Fimus Gallinaceus præcipue albus apud Phylagrium ex aceto potus, aut cum melle delinctus. Fex vini cocta cum aqua, atramentum ſutorium ex aceto. Efficacius hodie oleum vitrioli cum aqua meliſſæ, meliſſa ex nitro, abſynthium cum vino & melle ſumptum, & ex aqua potum. Panacis radix, & ſemen in vino, comedat Raphanos, Sinapim, Naſturtium. Auic. inquit, muria eſt theriaca fungorum, ſæpius detur in potu poſt vomitum: acidam muriam laudat Dioſc. Succus calamenthi, diatrion pipereon, diacyminum, vinum antiquum merum, clyſteres acres. Aſſidue foueantur hypochondria. Paulus inquit, conſert in calidum deſcendere, & crudam farinam hordei hypochondriis admouere, vbi ſit inteſtinorum exulceratio, quæ contingit, vbi à ſerpente fuerint infecti. Dandum his ficuum decoctum, & abſynthii largo potu, & origanum cum melle, indeque vomendum. Deinde theriacam bibat, & in calidam aquam demittatur. Aet.

CAP. XIX.

De Aconito.

AConitum ponitur inter venena frigida ab Andromacho. Conſentire videtur Dioſcorides, nam recenſet inter anodina obſtupefacientia poſt Mandragoram. Sed Galenus reponit inter putrefacientia etiam extra impoſitum. Theophraſtus ad putrefaciendum ſcribit artificio parari, vt certis temporibus enecet vſq; ad annum, & bienniū qui miſerius intereāt tabe. An vt de fungis dictum eſt. Subſtantia frigida eſt & humida, ſed putredini obnoxia. Eius ſapor compoſitionem indicat: nam

Ther. 6.

6. Simpl. 9. Hiſt. pl. 16.

nam cum astrictione dulcescit, & tandem amarescit. Aet. Insequitur ad eius frigiditatem & astrictionem suffocatio, vt ex fungis, grauitas in pectore & præcordiis. Ad caliditatem euaporatio praua ad caput, vertigo, lachrymæ, delirium, vt Dioscorides tradit in proœmio, flatus cerebri erumpunt. Aetius addit, constrictio mandibularum, morsus oris stomachi, dolor lateris, circa vmbilicum materia quædam innititur, caput grauatur, tempora contremiscunt, oculi turbantur subeuenti, lachrymas fundunt, tandem tremor, concussio, tumor totius corporis specie hydropis.

Curatio, requiritur euacuatio per vomitum, per clysteres, & medicamentū ex chamæmela. Abstergentia & dissipantia ex origano, ruta, marrubio, absynthio, abrotano, chamæpiti cum vino. Coagulum hœdi, leporis, hinnuli cum aceto ad grummos dissoluendos. Lixiuia cum vino, incocto etiam gallinaceo, iura carnium bubularum pinguia ex vino. Ad putredinem siccantia scoria ferri, & ferrum, aurum, argentum extincta in vino, semperuiuum. Ad putridam euaporationem, opobalsami drachma vna cum melle aut lacte, addito castorio, pipere, & ruta, æquis ponderibus ex vino. Theoph. Remedium nusquam esse compertum, falso dici, quoddam aliud nasci, quod illi resistat; non enim herba, sed melle & mero & quibusdam huiusmodi seruari aliquos potuisse, & cum multa difficultate.

CAP. XX.

De Napello, & toxico.

NApellus apud Auic. in summo calidus & siccus, videtur inter Aconiti genera, quæ solis venatoribus in vsu erant, magis putrefaciens & inflammans. Insequitur potanti inflammatio labiorum & linguæ, oculi egrediuntur, frequens vertigo, syncope, crura moueri nequeunt. Qui euadunt, vtplurimum transeunt in tabem,

bem, odor quoque eius quandoque epilepsiam facit. Eius succo imbibuntur sagittæ, quæ statim interficiunt. Vnde videtur toxicum Dioscoridis à sagittis nominatum, nam de eo inquit, insequitur linguæ & labiorum inflammatio; furor, qui nequit coerceri: quare vix medicinæ locus, raroque euadunt; & qui euadunt, diu decumbũt; & cum surrexerint, stupidi totam vitam transigunt, seu vacillantis rationis, id est stolidi, vt Aetius tradit. Videtur genus lycoctoni indescriptum solis venatoribus in vsu. Napelli curatio apud Auic. Festinatio ad vomitum ex decoctione seminis napi, & rapæ, frequens potus vini cum butyro vaccino cocto; cortices glandium in vino decoct.

Bezaar principale remedium, & medicamen de mosco, & algeduar, id est zedoaria. Ex Bezaar illud præcipue genus, quod filamenta habet, vt alumen; scissile. Quidam laudant radices capparis, mus Napelli, forte significat antoram, cuius radix musculo similis prope Napellum. Ad toxicũ Dioscorides: Vineulis coercendi cogantur bibere vinum dulce cum rosaceo, & vomere. Rapi semen cum vino, priuatim quinque folii radix: sanguis hircinus aut caprinus. Roboris, fagi, aut ilicis, cortex cum lacte tritus, & mala cotonea, aut ex aqua cum pulegio. Amomum & balsami semen ex vino. Vtriusque remedia conueniunt: ad vomitum pro butyro, rosaceum semen, rapi in vtroque. Ad putredinem sistendam, siccantia, pro cortice glandium, quercus, fagi & ilicis cortex. Additur quinque folii radix, sanguis hircinus, capræ, scilicet in puluerem siccati: mala cotonea. Ad putridas euaporationes pro mosco & zedoaria, amomum & balsami semen.

CAP. XXI.

De Cicuta, Taxo, Coriandro, Psyllio, Solano, & Doryenio.

CIcuta inter obstupefacientia frigida & humida, inest & calida euaporatio fœtida, tentans caput & mentem. Insequitur vertigo, oculorum obtenebratio, singultus, delirium, extremorum refrigeratio, denique conuulsio, intercepto spiritu suffocantur. Dioſc. Comitatur segnities & liuor. Aet. Curatio per vomitum & clysteres postea potentissimis remediis. Meri potus per interualla interiecta potione lactis asinini aut bubalini, absynthium cum pipere & vino, castorium, ruta, menta, lauri folia, semen vrticæ, amomum, cardamomum, styrax, drachma vna, laser ex oleo & passo. Passum per se largius potum. Hæc partim ad dissipandũ venenum & vapores, partim ad contemperandum. Aetius, cogendi ad motum & cursum.

Ex Taxo frigus vniuerso corpori, & strangulatio superuenit, & celer interitus. Remedia eadem quæ cicutæ.

Coriandrum viride hausturn deprehenditur, fœtore, mentem perturbat vt in ebriis, vocem exasperat. His post vomitum ex oleo irino merum prodest per se, & cum absynthio potum. Oua in oleo conquassata cum muria, & ipsa per se muria. Ius salsum ex gallina & anſere. Passum cũ lixiuia. Iuuãtur vino puro & iure pingui. *2. Anti. 7.*

Psyllium toti corpori torporem cum exolutione & mœrore inducit, animum despondent. Remedia eadẽ, quæ ad coriandrum, Abstergentia cum contemperantibus. Mesues eius mucillaginem frigidam esse, seminis medullam venenum esse calidum & siccum in quarto gradu.

Solanum, soporiferum & manicum inter frigida cum euaporatione calida, mentem perturbant, maxime manicum. Iuuat post vomitum aqua mulsa copiosa potui data. Dioſc.

Doryc-

Dorycnium Diosc. inquit, quidam solanum manitum vocant; somniferum est, & copiosius haustum mortem inducit. Epotum lactis saporem refert, singultus continuos ciet, humor ad linguam erumpit, sanguinis reiectio, deiectiones muccosæ vt dyssentericis. Curatur vomitu clysteribus, aqua mulsa, lacte caprino, asinino. Vinum dulce cum aniso tepidum, amygdalæ amaræ. Gallinacea pectora, conchilia omnia, tum cruda, tum tosta, locustæ marinæ, cammari, & eorum iuscula. Lac bubulum, passum, & conchiliorum ius. *2. Antid. 7.*

CAP. XXII.

De Hyosciamo, Mandragora & Opio.

HYosciamus inter soporifera abalienationem mouet ebriis similem, sed facile medicamentis cedit. Diosc. Galenus inquit. Cui semen atrum est, insaniam & soporem affert, cui mediocriter flauum, propinquam facultatem obtinet, cui album, ad sanationes commodissimum. Aet. Insequitur cum delirio corporis iactatio, distortio; hinc animi deliquium, oculorum rubor, pruritus, deinde tremor; suntque omnino deliri, & putant se flagris corpore cædi. *8. Simpl.*

Curatio facilis. Abstergentia & contemperantia, aqua mulsa copiose data, vinum salsum cum adipe suillo recenti, & passo.

Semen vrticæ, nitrum ex aqua. Dissipantia, sinapis, nasturtium, cæpa, allium ex vino. Contemperantia, lac asininum, caprinum, bubalinum, muliebre. Decoctum ficuum aridorum, nuclei pinei, semen cucumeris cum passo, intubus syluestris. Postea sinendi quiescere, vt concoquatur veluti qui vinum hauserunt.

Mandragoras inter soporifera, Gal. frigidum in tertio ponit, radicis corticem habere aliquid caliditatis & siccitatis, poma humiditatis. Morion tertia species vsum rationis intercipit. Diosc.

Insequitur iis, qui hauserũt, confestim sopor, exolutio,

vehemens veternus non differens à lethargo. Aetius inquit, non latere potest libentem odore graui & nauseabundo: nam potio amarulenta & iniucunda. Segnes fiunt, languidi & tristes, refrigerati in veternosum soporem incidunt, si quis excitet, vix audiunt, & excitati iterum relabuntur. Quidam non incalescunt, sed mente perturbati, obliuiosi & tardi soporantur. Vtilis tamen ad multa, ad dolores, insomnes, ad tristes, anxios, ægrotos se strangulare volentes, radix in potu mane minori pondere, quam vt insaniam faciat, id est, minus quam drachma vna, ex libro de locis in homine. Ad conceptus in pessis emollientibus.

Curatio, antequam in soporem incidant, per vomitum, aqua mulsa, postea nitrum & absynthium ex vino dulci, aut passo. Capiti repellentia ex oxyrrhodino perfuso, exercitatio, olfacere acria excitantia, cupatorium, piper, sinapi, castorium, rutam in aceto tritã. Pix liquida, nidor lucernarum extinctarum inter excitantia. Si ægre excitentur, sternutatoria, & communia auxilia, Aetius inquit. Dum perturbati post vomitum, coriandrum, pulegium trita ex aqua calida: aut soluentia ventrem per clysteres. Soporatos post vomitum origanum ex aqua frigida valde iuuat.

Ad mandragoræ fructus immaturos maius periculũ. Ardor insequitur in superficie corporis, exulceratio oris & linguæ, siccitas & anhelatio. Si statim auxilium non afferatur, conuulsi pereunt. Facile curantur aqua cum theriaca & andromachi: natatio in aqua frigida. Ad insaniam antidotum est radix cum solano manico pota, Dioscorides.

Opium, id est nigri papaueris lachryma inter obstupefacientia validiora frigidum in quarto gradu. Semen tamen innoxium etiam nigri: succus inualidior, adhuc amplius capitum decoctio. Aliqua caliditas admixta ex sapore amaro, odore, & ex effectis. Erui magnitudine sumptum dolores aufert, somnum conciliat, Dioscor. 6. Simpl.

fluxio-

fluxiones sistit. Si copiosius, nocet, & lethargum inducit, Hodie tamen apud Turcas, & Indos, sumitur frequenti vsu vsq; ad drachmam vnam ad lassitudines tollendas ex labore, & animi fastidia: nam post soporem validiores & alacriores reddũtur, vt ex vini potu. Forte opiũ id non ex nigro papauere habetur, sed ex albo, vt testatur Garzias Lusitanus in Cambaia Indiæ parari: & Bellonius in Paphlagonia Cappadociæ apud Turcas & Persas aphion vocant. Aut est meconium ex tusis calicibus & foliis. Nam opium ex nigri lachryma non vbiq; habetur, quale est Tebaicum. Insequitur sopor cum vertigine, & pruritus vehemens, vt aliquando excitet: corpus redolet opium. Aetius inquit: latere non potest sumentem ob saporis proprietatem & graueolentiam, quam sentiunt & astantes exhalantem, ex toto corpore: inferior maxilla laxatur; labra tumescunt, singultus, nasus distorquetur, pallor, vngues liuidi, præcordia diuelluntur, respiratio parua, frigida, in fine etiam conuulsio; iuuentus in iis est sanguis congelatus in corde: eius curatio est vomitus ex oleo, & clysteres acres; deinde partim digerentia & incidentia, partim refrigerantia & contemperãtia, acetũ, mulsum cum sale, mel cum rosaceo calido; acetum per se calidum, nitrum ex aqua, vinum merum copiosum, cum absynthio, aut cinnamomo, origanum cum lixiuia aut passo; rutæ syluestris semen, piper, panax cum vino, castorium, satureia cum aceto mulso, olfactoria Aet. his maxime proficere, vt in cæteris omnibus theriacam cum vino, at non ante vomitum. Balnea & fomenta, ex aqua calida ad pruritus tollendos, post lauacrum iura pinguia, cum vino aut passo, medulla ceruina ex oleo pota. 1. *Antid.* 2.

CAP. XXIII.

De Sardoa herba, & Ixia.

SArdoa herba, vulgo apium risus, inter calida mordẽtia; insequitur mentis alienatio & conuulsio faciei in

ſpeciem ridentis, affecto ſcilicet cerebro & neruis ad faciem tendentibus, vnde mors cum riſu. Curatur per vomitū, & abſtergentibus, & mitigantibus acrimoniā. Peculiariter conuenit aqua mulſa, & lac liberalius epota. Extrinſecus ad conuulſiones irrigatio & perunctio à pinguibus totum corpus calfacientibus. Balneum ex hydraleo; multum perfricare & inungere, vt in cæteris conuulſionibus. Actius caſtorium cum paſſo exhiber, vel per ſe in potu. Non placent Conciliatoris remedia; vinum ad ebrietatem ſumptum, & ſuccus meliſſophylli ex aceto; quia vinum & acetum neruis inimica.

Ixia, id eſt, chamæleonis viſcum inter calida inflammantia; odor & guſtus, ocimo ſimilis. Inſequitur bibentem vehemens linguæ inflammatio, delirium, ſuppreſſio omnium excrementorum, ſtrepitus cum animi deliquio, inteſtina latrant, quia mordet & ſua viſcoſitate occludit. Non abſimilia ſymptomata fiunt ex chamæleonis potu. Actius inquit, morſus ventris & linguæ tumor cum rugitibus inteſtinorum, facies diſtorquetur, vomitus ſpumoſus, tremores, concuſſiones, conuulſiones, vocis interceptio, ſtrangulatio. Vtilis tamen eſt tum radix, tum fructus, ſapa condirus ad peſtilentiam, Carolo Galliæ regi oſtēſus, vnde Carlina vulgo appellatur. Curatur ixiæ noxa vomitu, clyſteribus, medicamento purgante ex camælea, aut thapſia, aut abſynthii, ſucco cum aqua mulſa. Incidentia & digerentia: acetum calidum potum. Abſynthium ex vino largiore, quam aqua, aut aceto mulſo; ſemen rutæ ſyl. laſeris radix, tragoriganum. Mitigantia. Lac, therebinthina, nuces iuglandes cum vino. Ad camæleonem Aet, remedia quæ ad fungos: cum euomuerint, lac recens mulctum ſæpe exhibeto: & aluum cum lubricis infuſis decocto fænugræci, altheæ, præcordiis fomenta & calfactoria adhibeto.

CAP.

CAP. XXIV.

De Ephemero, Elleboro albo, Thaſpia, Elaterio & Agarico nigro.

EPhemerum colchicum differt ab hermodactilo colore nigricante aut ruſſo. Inter calida purgantia, erodentia, ſapor ineſt dulcis non inſuauis, ſub quo vis deleteria occultatur. Inſequitur putitus toto corpore, vt punctis ab vrtica, roſio in inteſtinis, æſtus ventriculi cum ingenti grauitate: ſuccedit excretio per aluum ſtrigmentoſa, & ſanguinolenta. Suffocat fungorum more, ob inflammationem ventriculi. Curatur antequam ingraueſcant ſymptomata, poſt vomitum & clyſteres, adhibenda vehementer aſtringentia & hebetantia acrimoniam. Abſtergentia & diſſipantia. Aſtringentia, decoctum foliorum quercus, glandium, malicorii, polygoni ſuccus, Ramorum vitis, rubi, ferulæ recentis medulla, myrthus in vino, eius baccæ in aqua tritæ & maceratæ expreſſo ſucco, caſtanearum tunica media cruda in ſucco ex prædictis iniecta. Mitigantia acrimoniã: lac aſininum, bubulum, calidum, potum, etiam in ore detentum: vbi eius copia fuerit, non aliud deſideratur. Interponendũ potionibus aſtringẽtibus. Abſtergẽtia & diſſipãtia: Lixiuiũ cum origano, ſerpillũ in lacte coctũ, Elleborum album, Thapſia, elaterium, agaricum nigrum inter calida purgantia & inflammantia. Inſequitur aut ſtrangulatio, aut immodica deiectio. Vtrumque perducit ad ſyncopem, & caſum virtutis, ſudorem frigidum, conuulſionem, Gal. Exellebro pulſus ante vomitum latus, rarus, tardus, languidus. Dum vomunt & diuelluntur, inæqualis, inordinatus: qui in ſyncopem; aut conuelluntur, ſingultiunt, pulſus paruus, languidus, inordinatus, creber. Qui ſtrangulantur, languidus, inordinatus, inæqualis, non celer, nec frequens, ſed vndoſus, tenſus. Curatio ad ſuffocationem vt in fungis vomitu per oleum, aquam tepidam plurimam, clyſteres

De Pulſ. ad Tir. vlt.

acres Auic. ex colocynthide, vt descendat materia. Act. si valde vexentur strangulatione, cremoris veratri cyatos tres offerre, nam adiuuat purgationem. Si non succedat clyster acerrimus, Galbani obolos tres deuorandos, vt sedetur strangulatio aut sternutatorium forte assidue per lectum pensilem agitando pennis immissis. Si singultiunt in media purgatione, aquam mulsam aut aquā tepidam, rutæ decoctum aut adiecto oleo. Irritandus vomitus penna ex oleo irino. Si violentus singultus, sternutatoria. Cucurbitula ad spinam, vincula ad extremas partes in aqua calida. Si conuulsio, fricatio partiū ex oleo Sicionio & aliis relaxantibus, balneum ex hydrælæo. Ad superfluam purgationem, astringentia dicta in ephemera: hebetantia acrimoniam, somnus & quies, papaueris calicis parum, & gallæ in ferculis Act. Quidā theriacam exhibent, quia vim purgandi dissipat apud Gal. At prohibet inflammatio, vt Act. ex Oribasio. Præcedat vomitus ex aqua: dein ventri linteum ex vino cum oleo melino: deinde exhibeatur theriaca fabæ magnitudine ex vino.

4. Aph. 15. Ther. 14.

Hipp. ad purgationis excessum, balneum, vini fului tenuis potus ante & post.

CAP. XXV.

Ex materia metallica, de Gypso, Cerussa, & Lithargyro.

METallica omnia siccitate, quædam & caliditate enecant. Gypsum lapidescens strangulat, & aquæ succum lapidescentem continentes, abradit quoque partes adiacentes asperitate, & duritie contundit. Auic. inquit: Citius & vehementius strangulat, quam cerussa, & eadem signa ostendit. Deprehenditur colore albo circa dentes, linguæ siccitas, faucium asperitas, tussis, singultus, extremorum refrigeratio, torpor. Curatur vomitu ex oleo, & lubricantibus vias, vt facilius excernatur

tur sine abrasione. Maluæ decoctum, oleum ex mulsa, ficuum pinguium decoctum, expurgantia. Lixiuia è cinere ficus vel sarmentorum cum vino copiosiore. Origanum, thymum cum lixiuio vel aceto ad frangendum, vel passo ad mitigandum, & maluæ decocto. Auic. soluit ventrem cum Scammonio, & similibus, ad irritationem præstandam. Cerussa siccitate & emplastica viscositate occludit, deprehenditur colore albo circa dentes, palatum, linguam & gingiuas. Insequitur singultus, tussis, linguæ ariditas, extremorum refrigeratio, torpor, delirium, somnolentia, strangulatio. Curatur per humectãtia & relaxantia, vt vomant, ex mulsa, decocto Maluæ, ficuum, oleo amaracino, irino, narcissino, liliaceo, lac calidum, sesama in vino.

Lixiuium è sarmentis. Ossa persici cum decocto hordei, oua columbarum cum thure, grummi prunorum, vlmi, aut ex foliis cum aqua tepida. Medicamenta purgantia ex succo thapsiæ, vel Scammonio cũ aqua mulsa, & clysteres, prouocantia vrinam. Prohibeatur somnus.

Lithargyrus siccitate emplastica similiter occludit vt cerussa. Sed caliditatis vestigium retinet ex vstione, vnde exulcerat pondere. Insequitur grauitas in ventriculo, intestinis, visceribus, tormina vehementia, vrinæ suppressio. Corpus intumescit, color plumbeus, Act. addit. Articuli incenduntur & ardent. Voluulosa tormina, ad finem suffocatio sequitur. Auic. grauatur lingua, retinetur non solum vrina, sed & stercus. Aliquando superuenit fluxus ventris, exulceratis intestinis. Egreditur aliquando anus in superioribus inflatio, quasi glandula lapidea extuberat. Spuma in ore, constrictio anhelitus, aliquando præfocatur. Idem fieri ex limatura plumbi; at pila plumbea innoxia. Scobes autem in cerussam conuertitur.

Curatio, post vomitum & clysteres lubricantes, expurgantia & vrinam impellentia. Peculiare, hominis syl. semen & myrrha, absynthium, hyssopum, apii semen,

men, piper, liguſtri flos ex vino. Palumbi fimum aridum cum nardo & vino Dioſc. Aet. propinat cum vino & oleo. Auicenna purgat cum ſcammonio ex aqua mulſa; ſanitatis ſignum eſſe, ſi apertio fiat excrementorum & vrinæ. Si nimium profluat aluus, lauacra calida & carnes ſuillæ pingues aſſatæ, aquæ potus, & oleum in potu lactis vſus commodiſſimus, & iura pinguia, decoctio ficuum maluæ, vt in ceruſſa. Nam humectando præparat ad expurgationem. Nulla ex huiuſmodi metallicis diſſolui poſſunt per digerentia ob craſſitiem & duritiem, ſed purgantia conueniunt, vt ſimul cum humoribus detradantur.

CAP. XXVI.

De argento viuo.

5. Simp. 19. ARgentum viuum ponitur inter calida genere deleteria à Galeno. Dioſcorides inquit, erodit interanea ſuo pondere, vt Lythargyrius. Auic. frigidum eſſe tradit, non deleterium: nam plurimi bibunt ſine noxa. Sed in aure inſtillatum parit dolorem vehementem, delirium, ſpaſmum, aliquando epilepſiam aut apoplexiam ſua frigiditate. Conciliator frigidum & humidum eſſe in quarto gradu, ex hiſtoria Sæplaſiarii cuiuſdam, qui ob ſitim in febre hauſit loco aquæ, vnde congelatus interiit, & in corde repertus eſt ſanguis congelatus. Propinari vtiliter ſcrup. vnum ægre parturientibus, & grana duo milii magnitudine infantibus ad vermes necandos. An priuſquam reducatur ad actum, refrigerat vt plumbum, & vlceribus impoſitum repellit? Non reducitur autem ad actum, niſi in partes exiguas diuidatur, quod extinctum vocant. Tunc enim exhalare poteſt, eiuſque exhalatio in ſublime petit, vt patet in iis, qui ex eo cum axungia articulos inungunt, petens enim caput, pituitam liquefacit, quæ deſcendit ad os. Hauſtum autem ſæpe innoxium, quia facile labitur, ſeu ſi retinea-

tur,

tur, exedit præcipue diuisum in minimas partes. Insequuntur eadem, quæ ex lithargyro, at non obstruit.

Tormina, fœtor oris, inflammationes, vnde vrinæ retentio, aliquando deiectiones liquidæ. Ob prauam autem euaporationem syncope, tremor. Curatio apud Dioscor. eadem, quæ ad Lithargyrum, lac multum subinde potum & vomitionibus redditum. Vinum cum absynthio, apii decoctum.

Hormini semina, origanum, hyssopum ex vino, auri scobes mirabili est auxilio: nihil enim est, quod auidius argentum viuum rapiat. Auic. post vomitum exhibet myrrham cum vino, vt postea superbibatur sæpius mulsa, clysteres ex nitro, postea ex iis, quæ faciunt ad erosionem.

Ad effusum in aurem, concussio & saltus capite in eandem aurem inclinato, quidam stilo plumbeo colligunt, an satius est aureo, vel scobe intromissa?

CAPVT XXVII.

De Cinnabari, argento viuo sublimato, & præcipitato.

CInnabari seu Minium fossile, lapis est continens argentum viuum. Auic. lapidem rubeum vocat similem corallo, vere venenum vt Napellus. Inter erodentia, eius halitus strangulat Dioscor. ideo qui fodiunt, faciem obuelant vesicis. Est & cinabrium factitium ex sulphure & argento viuo vstis ad picturas. *3. Meteo. vlt.*

Curatio apud Auic. similis Napello per lapidem Bezaar. An vomitus ex oleo; abstergentia & hebetantia acrimoniam, ex lacte, vt in argento viuo. Odorata ad euaporationes corrigendas.

Argentum viuum sublimatum vehementer erodit & inflammat. Insequitur inflammatio labiorum, linguæ, & gutturis. Ventriculi rosio, & feruor, qui mitigari nequit. Sapor quidam austerus, vt ex sorbis immaturis, sitis inextinguibilis, Vrinæ suppressio, tormina, an-

mi

animi deliquium, respiratio difficilis. Curatio, post vomitum & clysteres. Mitigantia acrimoniam ex lacte, butyro, & iis, quæ ad cantharides dicta sunt. Nihil acre nec mordens. Mucillagines ex psyllio, seminibus cotonei, seminis lini, oleum rosaceum cum iure pingui. Sorbitiones alicæ, hordei amili cum gummi.

Præcipitatum est argentum viuum vstum in cinerem, corrodit imbecillius quam sublimatum. Assumitur inter purgantia. Insequitur vomitus & alui deiectio cum labore, si non fuerit optime præparatum. Simili modo Antimonium præparatum purgat, & lapis Armenus, & lapis Lazuli, quæ omnia, si non fuerint bene lota, enecant. Curantur vt dictum est in elleboro, abstergentibus, mitigantibus, astringentibus.

CAP. XXVIII.

De Auripigmento, Sandaraca, Arsenico & Risagallo.

AVripigmentum, Græce Arsenicum, & Sandaraca inter venena vrentia sunt. Auripigmentum crustas molitur cum vehementi vredine & morsu; eius generis est, quod vulgo Risagallum dicitur, efficacius, astringunt & erodunt, Sandaraca mitior est, nam vtiliter propinatur, & fumus eius in suffumigiis hauritur ad veterem tussim & purulentos. Dioscor.

Arsenicum vulgare factitium est ex auripigmento sublimato in candorem, quoddam translucidum, quod crystallinum vocatur, atrocissimum. Insequitur cruciatus alui & intestinorum cum vehementi erosione, vt ex argento viuo sublimato. Aliquando alui fluxus Auic. Curatio apud Dioscor. Præbenda sunt quæcunque per admixtionem hebetant acrimoniam, & soluunt, & aluum facilem & lubricum reddunt per vomitum & clysteres. Altheæ & maluæ succus. Decoctum seminis lini, tragi, orizæ, lac cum aqua mulsa copiosum: iura pinguia & boni

boni succi. Auic. Vomitus cum aqua calida & iuleb, aut cum oleo: deinde lubricantia, mucillagines, viscosa & vnctuosa, iura cum adipibus, & proprie cum maluis, & quæ tussim leniunt, vt iuiubæ.

CAP. XXIX.

De Calce, & aqua Saponis.

CAlx eadem efficit, insequuntur ex Auic. siccitas oris, dolor stomachi, difficultas vrinæ, solutio ventris cum sanguine, & in vrina egreditur calx, extremorum refrigeratio, vt ex gypso. At calx non cito lapidescit, sed oritur inflammatio, strangulatio & occlusio. Curatur iisdem, quibus Arsenicum. Priuatim ea quæ faciunt ad cantharides, vrina asini, fel capreoli, drachma vna cum aqua calida ad abstergendum & expurgandum, quæ congelata sunt. Aqua saponis Auic. eadem præstat quæ calx & Arsenicum, & iisdem curatur, fit ex cinere & calce, vt lixiuium. Aqua fortis ad corrodenda metalla fit ex distillatione aluminis, chalcanthi. Sal nitri vehementer corrodens, curatur iisdem.

CAP. XXX.

De Chalciti, Cuperosa, & Chalcantho.

CHalcitis, mysi, melanteria, sori, inter Cuperosas, & chalcanthum crustas moliuntur cum astrictione, leuiter erodunt, tussim vehementem concitant, vomitionem. Per distillationem oleum acerrimum extrahitur, vrens vehementer, sed admixtum cum hebetantibus, vt cum iure pingui, salutare ad dissipandam crassitiem fungorum, & sanguinem sistendum, grummos dissoluendos. Aquæ ab iis infectæ, vt in Thessalia aqua stygis, qua Antipater traditur Alexandrum interfecisse, perrumpit omnia vasa, excepto cornu. Curatio apud Auic. lac asininum, butyrum crudum, zuccharum, syrupus de hyssopo, & quæ ad tussim leniendam.

CAP.

CAP. XXXI.

De Aerugine, & Ferri Rubigine.

ÆRugo, seu viride æris inter erodentia. Insequitur apud Auic. vehemens punctura, fortis mordicatio in gutture, incisio in visceribus, vlcera & vomitus. Idem de Chrisocolla Dioscorides testatur inter medicamenta vomitoria, necem inferre potest. Curatur vt Arsenicum. Auic.

Ferri rubigo mitior ærugine, nam propinatur cum vino scrupulus semis, si amplius, concitat vomitus, prohibet conceptum Dioscor. Ferri scobes per præparationem in aceto vertitur in rubiginem.

Scoria ferri eadem præstat, inefficacior, propinatur ad Aconitum ex aceto mulso. Insequitur Auic. ad scobem ferri & scoriam, dolor vehemens in ventre, siccitas in ore, inflammatio, dolor capitis. Curatur medicamento vehementi cum lacte, deinde butyrum coctum & crudum ad sedanda symptomata, oxyrrhodinum in capite. Magnes in potu drachma vna singulis diebus, vt ferrum aggreget. Sed postea iura vnctuosa & lubricantia cum butyro. Medicamento similiter educendum, aut per vomitum, si fuerit in ventriculo.

CAP. XXXII.

De Adamante, Talco, & Amianto.

FAma est, Adamantem comminutum venenum esse, erodens absque remedio.

At non Adamas, sed Argyrodamas id efficit. Est Talcus vulgo appellatus, colore argenteo inuictus ignibus, cuius laminæ tenuissimæ, si deuorentur, hærent infixæ ventriculo, faucibus, & gulæ, ideo periculosum, nisi diligentissime atteratur. Auic. Insequitur inflammatio & strangulatio. Idem aliquando efficit vitrum comminutum, nam vulnerat angulis acutis. Et Aminatus, quod vulgo alumen plumæ & flos petræ vocatur, constat tenuis-

nuissimis aculeis veluti filamentis, qui infixi vredinem excitant vrticæ modo. Curantur glutinosis deuoratis, quibus adhæsu extrahantur, vt resina, Therebinthina, gummi, muccillagines, pinguedines.

CAP. XXXIII.

De Venenis ictu illatis, curatio communis.

AD venena ictu illata quamprimum virus educendum, vnde intrauit. Diosc. Aliquando aliunde, postquam penetrauerit. Sed prohibenda penetratio, defendendaque membra principalia, & roboranda. Vis veneni retundenda, & tandem substantia dissipanda. Educitur ex vulnere suctu hominis, at non ieiuni, præsumpto vino, oleo in ore, si nulla exulceratio in ore aut gingiuis, alioqui periculum in sugente.

Celsus inquit. Venenum serpentum & quædam venatoria, quibus Galli vtuntur, non gustu, sed in vulnere nocent. Pullus Gallinaceus dissectus viuus & impositus, eiusdem podex, hœdus, agnus, carne calida imposita. An spirituosa substantia calidi innati ob affinitatem attrahit, & contemperat? Cucurbitula & scarificatio simul cum sanguine extrahit virus, carnis circinnatio, in lethalissimis venenis amputatio, si fuerit extrema pars, vstio, si locus neque neruosus, neq; musculosus fuerit. Celsus. Medicamenta attrahentia, epithemata. Diosc. Cinis sarmentorum, aut Ficulneus cum lixiuio stillatitio subactus, garo & acri salsamento; porri, cæpæ, allia contusa aut cremata, pix liquida cum sale feruente sæpius renouata, cadmia, fimum capratum cum vino decoctum. Fomenta ex aceto calido, calaminta in vrina decocta: aqua marina, muria acida, emplastra vehementissima & calidissima, ex sale aut nitro, sinapi, cachrie, Celsus salsamentum imponit, emplastrum Diogenis. Aet. inquit, præter opinionem facit theriaca Andromach. imposita. Hodie extat oleum de scorpionibus compositū Matthioli. *3. loc. af. 7.*

Pro-

Prohibetur penetratio eorum, quæ cito permeant, statim vinculo paulo supra vulnus non vehementer astricto, ne torpeat. Celsi. Dioscorides tradit, in Affrica messores paratam fasciam pice imbutam circumdare semel aut bis arctissime duobus stringentibus; interim locum circa fasciam secare, & picem instillare, postea laqueum resoluere, & medicamenta attrahentia imponere, alioqui vinculum sinatur, donec parentur remedia. An pro vinculo bonum est locum fouere & irrigare ex posca frigidissima, vt virus aut extinguatur, aut immobile reddatur. Postea imponantur medicamenta attrahentia, interim ad partes superiores perseuerandum cum repellentibus & astringentibus ex posca cum bolo armeno. Situs autem partis sit decliuis.

Intrinsecus penetrationi resistunt, quæ arcent à membris principalibus. Terra lemnia in vino pota, & alia genera terrarum insignium, lapis Bezaar, fragmenta preciosa, aurum, argentum, quæ hebetant vim veneni, vinum meracius potum, passum, lac, paliuri, id est, iuiubarum decoctum, intubusa, scorzonera, astringentia quædam, vt erica, astragalus in vino pota, bistorta, tormentilla, platani pillulæ virides, bitumen. Quæ dissoluunt virus calida, quæ diutius permanent inuicta, vt aromata, allia, porra, cæpæ, salsamenta, origanum, pulegium, dictamus Cretensis, calamentum, fœniculum, aristolochia, eryngii radix, maxime omnium theriaca, Mitridatum, quod penetrauit ad venas, educendum per alia loca. Aliquando confert venæ sectio in plenitudine Paul. Celsi. & Auic. Qua parte inclinauerit, per vomitum ex iure anseris, clysteres, medicamenta purgantia, hiera ex colocynthide, elleborus, agaricum, rhabarbarum. Per vrinam, sudores largos. Euicto veneno, si relinquatur morbus, curandus vt cæteri.

CAP.

CAP. XXXIV.

De Morsu Canis rabiosi.

CAnis rabiosi morsus venenum infligit, quod multo tempore delitescit, etiam sanato vulnere, instar pestis contagio afficientis. *6. loc. aff. 2.*

Succedit hydrophonia, id est, pauor aquæ cum grauissimis symptomatis lethalibus, vtplurimum die quadragesimo; aliquando antea, citius in quibus multi praui humores adsunt. Aet. aliquando post duos menses, post sex aut septem, post annum, Diosc. narrant, & post septennium. An quia materia sicca tarde putredinem concipit? delitescit in partibus solidis neruosis frigidis, sed incalescens, febrem, conuulsionem & deliriuni facit, quæ rabies appellatur. At cur non prohibet consolidationem vulneris? An quia exigua admodum materia relinquitur ex dente, sed viribus valde potens, cum putruerit? Videtur sola qualitas permeare, vt odor in aere. Causa pauoris aquæ admodum occulta. Paulus ad siccitatem refert, quia tanta sit, vt respuat humectationem, aut ad melancholiam quandam, qua imaginantur lædi ab aqua, quia putant in aqua Canem adesse.

At vidimus multos mente constante, & sine febre in cæteris omnibus plane sanos, cibos bene sumere, at potum, quamuis desideratum, non posse deglutire. Si tentent deglutire, conuelli cum anxietate; idem efficere, si nitantur quodcunque liquidum sumere, vt contigit quibusdam anginosis, quibus potus per nares effluit. Hi paulo post in manifestam rabiem inciderunt, & perierũt. Putaui, iis conuelli gulam in deuoratione liquidorum agentibus villis rectis, vt circularibus, in deuoratione solidorum. Conuellitur autem interna membrana, quia ventriculus respuit, vt in nausea impetus ad vomendũ concitatur: hinc imaginationes deprauatæ sequuntur. Est proprius canum morbus venenum intra genitum,

vt pestis. Incidit autem in rabiem Dioſc. aut in æſtu flagrantiſſimo, aut hyeme frigidiſſima ob ſiccitatem, aut victu calido & ſicco cum abſtinentia potus.

Ther.16. Rabiei ſigna in cane, gracilitas, oculi rubicundi, cauda demiſſa, ſpuma ex ore, lingua exſerta, flaua; mordet quemcumque obuium ſine latratu, auerſatur cibum & potum. In demorſis nihil moleſtum contingit, præter dolorem ex morſu, vt in cæteris, facile glutinatur. Experimento autem deprehenditur, an virus inſit in vulnere antequam coaleſcat. Nuces iuglandes contritæ indãtur in vulnus, diligenter opplentur, die ſequenti auferantur, offeranturque gallo aut gallinæ, morſus, ſi ex cane rabido fuerit, non attingent, aut ſi fame vrgente attigerint, morientur altera die. Quidam panem illibunt ſanguine ex vulnere manante, & cani offerunt: ſi non attingat, venenatũ eſſe vulnus. Statuto autem tempore modo citius, modo tardius ſuperuenit difficultas bibendi, ſomnia tumultuoſa, incipit pauor, febris ardens, ſitis ingens cum pauore potus, conuulſio, rubor totius corporis, præſertim faciei, ſudor, anxietas. Quidam latrant more canum, mordent, vnde communicatur rabies: Quidam auerſantur lucem. Quidam do-

Ther.16. loribus cruciantur, mingunt craſſa, aliquando ſanguinolenta ob inflammationem. Prognoſtica Dioſc. antequam ſuperueniat pauor, curari multos. Cum ſuperuenerit, neminem ſeruatum niſi vnum aut alterum. Quendam ex ſolo comercio in eãdem affectionem incidiſſe, & poſt multos labores conualuiſſe.

CAP. XXXV.

Curatio morſus Canis rabioſi.

CVratio ad morſum canis rabioſi. Remedia ad prohibendam hydrophobiam eductio virus ex vulnere. Non deligaro vt in cæteris, quia virus non cito permeat. Sed extractio, non ſuctu, quia in parte ſolida infixum eſt, ſed ſcarificatione, ſi vlcus patuum, carnis circum-

circumcisione, quæ lacerata est, vtrique cucurbitula cū magna flamma, vt cum sanguine virus exeat. Vstio maxime omnium delet vim veneni, & quia non sinit vlcus cito coalescere. Ne coalescat, ablata crusta sal imponendum aut salsamentū, allium Syl. detritum, cæpæ, succus Cyrenaicus. Medicus: tritici grana mansa, aut per se pista post perfusionem. Si forte coalescat ante quadragesimum diem, iterum aperiatur scalpello aut inustione, aut ex cinere vitis, ficus. Cum præterierit propositum tempus, vlcus ad cicatricem ducendum, & locus emplastro è salicibus comprehendendis; postea sinapissimo. Dios. Cauenda vstio in loco neruoso aut musculoso. Si vri non potest. Sanguinem mittere, & imponere, quæ vehementer exedunt, post quæ nullo nouo magisterio eget. Sed carne implendum. Vsto vulneri imponenda, quæ cæteris vstis. Quidam protinus post morsum in balneum mittunt, diuque patiuntur desudare vlcere adaperto, vt virus extillet: deinde multo meraco vino excipiunt, quod omnibus venenis contrariū est, si per triduum id factum est, tutus esse à periculo videtur. Aet. vlcus perfundit ex decocto chamæmeli, radicis oxylapati, oxalidis. Quidam sola oxalide vtūtur in potu, perfusi, & foliis impositis. Galenus picis bruttiæ lib. vna. Opopanacis vnciæ tres, Aceti l. vnam & semis. coquantur ad consumptionem aceti: vtere ad dies quadraginta, & sexaginta. Theriaca ex oleo rosaceo, potamogeton cum sale. Ad virus quod intrinsecus penetrauit remedia intrinseca, etiam si interna adhuc non afficiantur, vt neque vlcus. Conueniunt hebetantia & dissoluenia ad solam qualitatem cum pauca materia. Proprium remedium Dios. in initio, non si post multum tempus. Cancri fluuiatiles capiantur post canem luna decima quarta, aut quocunque tempore, vt Aet. vsui vrārur sarmētis vitis albæ in patella ænea. Eorū cinis mirabilis tum solus, tum cum gentiana & thure, multo potentius etiam in vlcere. Dios. recipit cineris cancrorum

III. Simpl.

rum cochlearia, id est drachmas duas, gentianæ drachmam vnam, vini meri cyathos quatuor: bibātur quatuor diebus: si post duos vel tres dies inceperit, duplicato vel triplicato pondere. Galenus per dies quadraginta, singulis diebus cochleare vnum exhibet cum aqua. Recipit cineris cancrorum partes decem, gentianæ partes quinque, thuris partē vnam: & si inceperit post multos dies, duplicato pondere. Victus Dioscor. vini meratioris potus, passi, lactis ad obtundendam acrimoniam Allium, cæpæ, porra, quia vix abolentur. Theriaca, mithridatum, & quæ recipiunt aromata multa. Nam viribus & substantiis ægre permutantur. Si in initio prætermissa fuerint auxilia, nulla ex prædictis iuuant, & frustra vlcus exasperatur, quia quod penetrauit; non satis euocari potest per eam partem, sed euocandum aliunde diuerso curationis modo.

Ad eos igitur, qui post multos dies curationem incipiunt, virus extrahendum per medicamenta purgantia sæpius ob multam materiam corruptam. Hiera ex colocynthide elleborus efficacissimus est: sanauit aliquando incipientem pauorem aquæ sæpius repetendum vsque ad quadragesimum diem & vlterius. Lac istam simul deiectionem mouet, & venenum donat, cibi acres & potus meraciores quotidie, sudores ante cibum & post exercitatione vel balneo: dropacismi & sinapismi, ad totum corpus alternatim. Ad præsentem pauorem aquæ, licet paucissimi effugiant, traduntur tamen aliqua remedia. Celsus inquit vnicum remedium: ægrum non opinantem ex improuiso dimittere in piscinam, vt demergatur, & bibat: nam simul sitis & aquæ metus tollitur, si ob frigus conuellatur, protinus à piscina in oleū calidum dimittendus & antidotum sumat, si non potest ex aqua, per cataporia. Aetius antidotum ex nucibus solum conciliat, conunit etiam iam febricitantibus. Recipit sagapeni, opii, vtriusq; drachmas duas: croci scrupulum vnum & semis, lycii Indici drachmas quatuor;

carnis

carnis nucum iuglandium vncias quinque. Excipe & exhibe drachmam vnam cum aqua pluuia calida ad noctem post vigorem febris. Manecantidotum ex cancris, vesperi ex nucibus, aut cyphi. Humectatio saltem fiat per clysteres. Simplicia ad pauorem aquæ apud Aet. hepar mergi assatum cum modico oleo & sale comestum: hippocampus marinus assatus comestus & vulneri impositus ex aceto acri. Venenum enim in ventre habere traditur, quod aquæ desiderium inducit. Catuli recens nati coagulum ex aqua potum. Chamæmelum non solum aquæ insperſum, sed & fundo populi illitum cupiditatem aquæ restituit. Bitumen iudaicum, scrupuli vnius pondere cum aquæ cyathis tribus. Lycium indicum Cortex virgultorum fici syluestris siccatus & tusus, alysos à rabie appellatus. Cynorhodi radix cum lacte Plinius tradit ostensam somnio. Victus nec plenus, nec tenuis ex iis, quæ corrigunt. Volucres montan. extremæ partes animalium eorum gelu pro potu, cum potum respuunt: lac coagulatum, quod schistum vocatur. Cum liquidum non admittunt, Cancri, Herinacei cum vino mulso cocti. Cichorium syluestre, asparagus, brassicæ cauliculi, radiculæ, crithmum ad mouendam vrinam, fœniculum, vinum album non valde vetus. Qui conualuerunt singulis annis appropinquante tempore morsus, purgatio conuenit ex hiera; & instante die theriaca. Alter modus sanandi ex sactis, ad templum S. Donnini, id est, Dyonisii. Prohibēt, ne per dies quadraginta, vel per annum, tangant ligna corni, virgæ sanguineæ, scopæ, & fraxini. Hæc enim tacta recidiuam facere.

CAP. XXXVI.

De ictu Serpentum, lacertarum marinarum, & insectorum, curatio communis.

SErpentum & lacertarum, insectorum & marinorum virulentorū ictus, communi curatione maxime tol-

luntur, aut non multum distante. Celsus inquit. Eadem in omnib. maxime proficiunt; quamuis antiqui singulorum alia tradiderint. Omnibus deligatio supra vulnus, deinde extractio per scarificationem, suctū, aut per cucurbitulas, aut vstionem, aut medicamenta attrahentia. Mitioribus autem mitiora conueniunt, intrinsecus maxima spes est in aliquo antidoto. Multa traduntur à Gal. *2. de antid. 8.* Si id nō est, meri potio cum pipere, vel quidlibet aliud calorificum, quo intus coire humorem non patiatur: omnia vrinam mouētia. Ad Italos serpentes tanquā minus noxios quam peregrinos in locis æstuosis degentes, satisfaciūt Betonica, Cantabrica, id est, flos Cariophillus vulgo appellatus, à quibusdā altera Betonica, & recentiorib. tunica vocatus, præcipuum remedium ad venena. Centauriū, Agrimonia, Chamædrios, Personata, Pastinaca marina, id est, Staphilinus, aut singulæ aut duæ tritæ, in vino potæ, & impositæ. Plurimis aduersatur saliua hominis. Arist. *8. Hist. an. 29.*

CAP. XXXVII.

De ictu Vesparum, Apum, Stellionis, Salamandræ Lacertæ Chalcidicæ, Musaraneo.

VEsparum & apum ictus omnium mitissimus: nam præter dolorem nihil notatu dignū efficit. Deprehenditur rubore & tumore circa partem ictā. Ex apib. relinquitur aculeus, ex vespis nequaquā, sed omnia intensiora. Aet. Curatio, vtriq; malua illita, hordei farina cum aceto, lac ficus instillatū, fotus muriæ aut aquæ marinæ. Lutū aut cimolia cū posca. Stercus bubulū, sesama: in potu lauri folia tenera drachmæ duæ cū vino austero. Desēdit à lęsione maluæ foliū cū oleo illitū, eruca eodē modo.

Stellionis seu tarantulæ morsus in quibusdā Italiæ locis exitialis est, assidue dolitat, locus liuidus. Iuuatur statim cataplasmate ex cæpis & alliis. Imponitur sesamum aut melanthium, aqua multa affusa. In cibis allium & cæpæ, vinum merum superbibat. Auic. inquit. Relinquit

in

in vulnere dentes acutos exiles, nigros, vnde dolor continuus: eximuntur oleo & cinere, aqua calida.

Salamandræ morsum sequitur dolor vehemens, & crusta. Curatio eadem. Lacertæ Chalcidicæ morsu tumor oritur pellucidus nigrore in ambitu & putrefactio. Curatur vt muris aranei morsus.

Mus araneus idem quod talpa, vulgo topa cieca, morsum infligit cum vestigio dentium quatuor ordinibus, in Italia venenatum, non vltra Apenninum. Plin. emanat primo sanguis, paulo post sanioſus: nam occidit putrefactione. Bullæ insurgunt, quibus disruptis apparet caro fœculenta fissuris disparata, sequitur inflatio. Insidiatur præcipue testiculis nō solum hominis, sed & brutorum. Dioscorides inquit.

Circa morsum inflammatio, nigra pustula, diluta sanie, proximæ partes liuēt. Rupta pustula vlcus depascens serpit, intestinorū tormina, vrinæ difficultas, frigidæ aspergines. Curatio. Super vulnus galbanū ex aceto, hordeacea farina cum aceto mulso, mus ipse, qui morsum intulit, dissectus. Strato, scarificetur, & murem araneū combustum cum aceto cataplasma imponito aut sinapi tritū ex aceto. Porra & allia contrita, & aquæ calidæ fotus, malipunici acini dulcis decocti. Intrinsecus abrotani decoctum, potū in vino, serpillum, galbanum, eruca vino madefacta, cupressi pilulæ virides cum aceto, cyclamen ex aceto mulso, pyretrum, chamæleonis rādix in vino.

Panax, Capparis radix, Gentiana, verbenaca recta cum vino & impositio cataplasmate, Antidoti magnæ.

CAPVT XXXVIII.

De Phalangio.

PHalangium idem cum araneo apud Arist. Plura genera. Mordax, & quæ nullum aut exilem inferunt morsum. Mordacis duo genera. Vnum paruum, simile lupo, varii coloris, procax, salax. Alterum maius, nigrum, cruribus prioribus nigris, tardum. *9. Hist. an. 39.*

Lupi dicuntur, qui aut nullam telam intexunt, aut

exiguam & aſperam. Act. morſu venenato recenſet araneæ genus, quod dolores continuos inducit, ruborem circa præcordia, vrinæ difficultatem, aliquando & ſuffocationes. Tetragnatum Phalangii ſpeciem, ex cuius morſu ſymptomata fiunt ſimilia ſcorpionis ictus, plaga continue dolet, ſubalbicans, tumor in facie & capite, membra gracileſcunt, & adepta ſanitate ſuccedunt vigiliæ intenſæ. Phalangium, cuius ſex ſpecies recenſet. Rhagium, Lupus, quæ duo ſunt ab Ariſtotele poſita, Myrmecion formicis grandioribus ſimile, Sclirocephalon capite ſaxeo, Cranocolaptes, quia caput tentat, Scolecium à ſimilitudine vermis. Omnium affectus iidem, differunt magnitudine & paruitate. Morſus tenuis vix conſpicuus, per cutem large & late communicatur. Tumor liuidus, quibuſdam rubicundus; frigiditas circa genua & lumbos, ſcapulas, aliquando grauitas totius: dolor continuus: tremor, pallor, vigiliæ, tentigo pudendi quibuſdam, & pruritus circa caput, ſuras, oculi lachrymoſi & caui: venter eleuatur inæqualiter. Intumeſcit totum corpus & facies, circa linguam, ſermo impeditur. Quibuſdam vrinæ difficultas, cum pudendi tentigine & dolore. Vrinæ aquoſæ aliquando excernuntur ſimilia telis araneis cum vrina, per vomitum, & aluum. Leuari videntur ex balneo calido, ſed poſtea ſuccedit pudendi dolor continuus, & ſeniotibus valde laxatur. Ex Cranocolapte caput magis dolet. Vertigo, frigus continuum, Delirium, iactatio, ſtomachi punctura. Dioſcorides inquit, Locus quaſi ab impacto aculeo rubet, non intumeſcit, nec calidus, ſed modice tumeſcit: vbi refrixit, tremor conſequitur, diſtenſiones poplitum & inguinum ſimiles conuulſionibus. Collectio in lumbis, ſtillicidium, conatus in reddendis excrementis, ſudor frigidus, lachrymæ, caligo.

Ex hoc genere videtur eſſe, quæ in Apulia, vulgo Tarantula appellatur, potius Terrantula dicēda, quia in terra latitat, Ariſt. aut nullam texens telam, aut exiguam

prope

prope terram. Nam Tarantula in Hetruria intelligitur ſtellio inter lacertas. Hoc genus Phalangii facit incontinentiam neruorum, vt quieſcere nequeant, niſi dormiãt. Neruorum incontinentiam teſtatur Hipp. fieri ex nimio vſu calidorum. *5. Aph. 16.* Symptomata igitur ex Phalangio partim frigiditatem teſtantur, partim caliditatem & morſum neruoſarum partium. Curatio. Vulneri poſt ſcarificationem attrahentia, & ſiccantia tenuem humiditatem, ſuperpone cinerem ficus cum ſale & vino. ſylueſtris punicæ radix tenuiſſime trita: Ariſtolochia cum farina hordei ex aceto, ablutio ſæpius ex aqua maris decocto melliſſæ, & folia imponenda toti corpori lauacra perpetua ad digerendum & temperandum ſpiritus corruptos ſubcutaneos mordentes. Intrinſecus abrotani ſemen, aniſum, ariſtolochia, cicer ſylueſtre, cuminum æthiopicum, cedrides, platani cortex. Trifolii ſemen ſingulorum drachmæ duæ in vini hemina. Decoctio fructus myricæ, camedreos: cupreſſi pilularum viridium admixto vino, ad hebetandam acrimoniam, cancrorum fluuiatilium ſuccus expreſſus cum lacte & ſemine apii, Celſus præter chirurgiam æger ſæpius dimittatur in ſolium, propinandum myrrhæ Staphiſagriæ par pondus ex Paſſi hemina: ſemen radiculæ, aut lolii ex vino, ſuper vulnus furfures ex aceto cocti, intemperanda quies. Variæ compoſitiones opiatæ valde digerentes, & ſine opio recenſentur à Gal. & ab Actio. *2. Anti. 13.* Auxiliatur eis allii eſus, balneum & vinum. Quidam ad mitigandam neruorum incontinentiam ex Terrantula imponunt torpedines viuentes in ceruice & aliis partibus tremulis. nam torpore quieſcunt. Peculiare auxilium repertum eſt Muſica ex liræ ſono, aut aliorum inſtrumentorum, quo alliciantur ad ſaliendum: ſic enim ſudore oborto virus diſſipatur. Iuuat aqua ex floribus arbuti pota.

CAP. XXXIX.

De Scolopendra & Scorpione.

SColopendra inter insecta recensetur, terrestris & marina, pedes vtrinque habet 22. Auic. quidam centipedem vocant. Sed alius est apud Plinium centipes, millepes & multipes, onos & onifcos dictus. Hæc flauo colore ostenditur sub saxis latitans: flexuosa incedit, vt serpens; in vtramque partem Nicandro. Marina contactu pruritum gignit; ex oleo illita pilos euellit. Terrestris morsu liuorem in ambitu facit & putredinem, raro fæculentiam & ruborem, à morsu exulcerario maligna fere remediis inuicta, toto corpore pruritus: marina Paul. tumorem aquosum & pellucidum facit, venenum calidum & siccum putrefaciens partes carnosas, differt à musarani morsu, quia cum sanie fæculenta.

Curatio vt in musaraneo. Inspargitur vulneri sal leuissime tritus ex aceto; ruta syluestris imponitur. Fouetur muria acida, cinis ex aceto. In potu Aristolochia cum vino, serpyllum: calamentum; ruta syl. Aet. imponit salem cum pice liquida, cedriam cum melle; allium, fici folia, cuminum, eruum vinum In potu absynthium & mentha cum vino; asphodeli flos & semen, præter ea quæ in musaraneo.

Scorpio venenum infigit simile phalangio. Locus statim inflammare incipit, durescit; tensus rubet, dolor vehemens per interualla, nunc exæstuat, nunc friget, labor repentinus, aliquando mitescit, sequitur sudor, horror, tremor; extrema frigida, inguina attolluntur: aliquando in axillis ex ictu in superioribus. Flatus pet sedem: capilli eriguntur, pallor per vniuersam cutem, dolor vt ab acu pungente, veluti à grandine percuti videntur. Aet. grauius percussis ardor circa plagam vt in ambustis: verrucæ formicis similes erumpunt circa labia: facies distorquetur, sordes glutinosæ circa oculos, lachrymæ viscosæ, articulorum dolores; anus procidit

3. lo. aff. 7.

cum

cum egerendi cupiditate. Spuma circa os, vomitus largus, singultus, opistotonos. Venenum calidum vrens neruos mordet, & spiritus inficit. Curatio super vulnus lac ficulneum instillatum, scorpio ipse tritus per se vel cum sale, semine lini, & althæa. Quidam contritum cum vino bibunt assatum Dioscor. Quidam eius fumo vulnus suffumigant veste circumdata, cum vstum superponũr. Cels. Oleum è scorpionibus Matthioli. Sulphur viuum cum terebynthina, galbanum splenii modo, calamintha & farina hordei ex vino decocto rutæ. Trifolii semen, allium cum ruta ex oleo, furfures ex aceto, ruta syl. Sal tostus cum melle. Cochleæ hortensis cum sua testa trita. Stellio dissectus scorpiuros, herba etiam pota. Cels. In potu efficacissimis vtẽdum. Recip. *Castorei, succi Cyrenaici, piperis singulorum drachmas quatuor, costi, spicæ nardi, croci, succi centaurii sing. drachmas duas, mellis despumati quantum sufficit.* Datur nucis auellanæ magnitudine cum vino diluto, detrahit succos venenosos in corpus digestos. Aristolochiæ cortex drachmæ duæ in vino. Gentiana, pulegii decoctum, lauri baccæ, calamentum in posca decoctum, cupressus, cum vino & ruta, lac ficulneũ, lasirpitium, peucedani succus: trifolii & ocymi semen. Præter opinionem facit Elaphoboscus tum viridis comesta, tum sicca in potu. Pastinacæ syl. semen. Nuces ponticæ, quæ & gestatæ in zona non patiuntur percuti à scorpione; cancer fluuiatilis cum vino & lasere: calamentha iuxta aquas, id est sisimbrium, imposita confestim dolorem tollit: verbenaca recta viridis pro cataplasmate, sicca in potu. Frequens lauatio vtsudor euocetur, & vini diluti potus vicem omnium prædictorum pensant. Cels. Quidam sola venæ sectione ex brachio,

CAP

CAP. XL.

De Marinis, Scorpione, Dracone, Murena, & Pastinaca.

SCorpius marinus non ob figuræ similitudinem cum terrestri, sed ob punctura̅m. Pungit aculeis firmis in dorso & in capite. Plagæ color ex ruffo nigricat, vt ex terrestri. At scorpæna rubicundior est, vterque in cibis assumitur. Ictus molestos cruciatus parit, aliquando Nomas. Remedium, ipse dissectus vulneri impositus, & mulus eodem modo. Sulphur viuum cum aceto illitum, Rondellet. eiusdem hepar impositum, & in ambitu lentiscum contusum sic puerum sanasse. Intus absynthii, salu̅æ aut sulphuris ex aceto triti potus: lauri baccæ tres tritæ in potu.

Draco marinus seu Dracunculus Plinio, vulgo Trachina inter paruos pisces frigitur in cibis. Aculei in dorso & ad branchias vergentes ad caudam. Ictus similis scorpii, locus attollitur cum vehementi cruciatu, & si negligatur, tendit in gangrænam. Remedia eadem. Ipsemet dissectus impositus, & mulus. Piscatores confugiunt ad lentisci folia. Galenus experimento tradit, optimum esse sulphur ex aceto. Lentis elixæ cataplasma, si in gangrænam tendat, scarificanda pars, caro & aceto fouenda. Caput muli salitum imponendum, eiusdem recentis cinis è capite etiam aduersus omnia venena. Albertus putauit, Draconem marinum beluam Draconi similem, quæ dentibus venenatis piscatores & alia animalia subito interficit. Videtur significare murenam, de cuius morsu Aetius inquit, eadem præstat quæ vipera, & eadem remedia exposcit. Fama fuit coire cum viperis. Idē apud Plinium videtur porcus marinus inter venenata, nam pinguescit in viuariis sapore pinguedinis porcinæ, quod patet in Murena. Remedia, cinis ex capite eiusdem impositus curat eius morsum, strumas tollit, Murenarum muria. Dato & fici succum cum serpillo.

9. Simpl.

Pasti-

Pastinaca marina, seu turtur, quam alis expansis imitatur inter pisces planos. In cauda, quæ radicem Pastinacæ refert, radium robustum & prælongum gerit denticulatum aduersis dentibus, quibus retinet transfixos pisces. Eo nihil execratius in mari. Plin. nam infixus non solum homines & cætera animalia necat, sed etiam arbores. Ex eius ictu protinus accedunt molesti dolores, assiduæ conuulsiones, lassitudo, imbecillitas, mentis vacillatio, obtumescentia, caligo oculorum, locus percussus denigratur, & vicinæ partes obstupescunt amisso sensu. Si quis premat, exit sanies atra, crassa, maleolens, tandem omnia quæ in morsu viperæ.

Aet. Locus ictus manifeste apparet, quia aculeus acutus & firmus in altum valida vi impulsus neruos fauciat: vnde dolor pertinax & totius corporis stupor, in aliquibus subita mors, conuulso toto corpore, comitatur. Venenum mortificans, calore extinguens calorem insitum, vnde stupor & gangræna, nisi subita mors principio neruorum communicata affectione.

Curatio eadem, quæ ad viperæ morsum. Peculiaria, quæcunque ad marinum scorpionem & draconem, Aet. vulneri furfures aceto cocti pro cataplasmate, & ipsum acetum perfusum. Sed vbi stupor & refrigeratio totius, calefacientia & extrahentia, quæ tenuium partium vt in altum penetrent. Sulphur viuum vrina veteri irrigatum marrubium, lauri folia, echium, panacis radix, saluia & similia, fermentum acidum cum liquida pice mirabiliter auxiliatur, emplastrum piscatoris, & pastillus ex Brionia impositus, & potus ex vino.

Pastinaca ipsa diuulsa & imposita. In potu lauri decoctum succus Cyrenaicus erui magnitudine, cum myrrha fabæ magnitudine, & piperis modico ex vino. Fici guttæ quinque cum serpilli tribus ramulis. Rondell. Pastinacæ iecur quam primum imponendum, dum vritur eius radius. Nam dolor sedatur, & tumor minuitur. Postea cinerem radii cum aceto imponendum, quo venenum extra-

extrahitur, & vlcus siccatur. Celsus eodem cinere vtitur cum resina ad dolorem dentium.

CAP. XLI.

De Serpentibus mitioribus, Cæcilia, Parea, Pelia, & Elape.

INter mitiores serpentes apud Aetium Cæcilia, latine Typhlinus ab Aristo. quia cæcus, vulgo Lucignola, æqualis per totum, vt caput à cauda non distinguatur. Quæ repit in vtramque partem Amphisbena, bicipitem Galenus tradit. Morsus obscurus vix apparet, velut punctura muscarum, non lethalis; solum inflammationem inducit, vt ex ape aut vespa. Curatio quoque similis. Si prægnans supergreditur, abortit. At quæ in Chalcide, morsum similem viperæ infert, & similiter curatur. Hanc Dioscorides accipere videtur per Scytalam & Amphisbenam.

Ther. 9.

Parea seu Parous in Syria colore æris, vel nigro.

Spathiuros iuxta Chalcidem ex crasso in tenuem caudam, lato capite, mures venatur. Morsus vtrique non lethalis, solam inflammationē faciens. Curatur vt Cæcilia.

Pelias tanquam notus non describitur. Morsus dolorem circa locum & putrefactionem facit non periculosam. Insequitur vexatio & oculorum obfuscatio. Curatur succo ptisanæ cum oleo in potu, oxylapatho decocto, & simplicioribus remediis ad ictericos: oculi procurantur lotiō pueri Venerem non experti, deinde admixta muria caput ex iisdem perfundatur, & purgato corpore oculos illine ex opobalsamo cum melle & collinis visum acuentibus, & rarefacientibus, vt lachrymæ excitentur interiectis mitigatoriis.

6. Simpl.

Elaps similiter notus. Ad morsum insequitur tormen voluulosum. Curatur communibus auxiliis, præcipue iis, quæ leniunt tormina, & vrinam cient.

CAP.

CAP. XLII.

De Serpentibus pernicioſis, Vipera, & Dipſade.

PErniciores ſerpentes ſunt, quibus dentes canini prælongi inſunt. Vipera nota eſt in Italia. Ex morſu corpus intumeſcit, ac vehementer inarefcit ſub albido colore. Ex vulnere ſanies primum ſub pinguis, mox cruenta, aut è cõuerſo Aet. Puſtulæ aduſtis ſimiles, vicus depaſcẽs per ſumma, & in profundo. Gingiuæ cruentæ, inflammatio circa iecur, tormina. Vomitus bilis. Sopor, tremor. Vrinæ difficultas cruenta, ſudor frigidus. Aetius inquit. Fœminæ morſus deterior mare, cognoſcitur vulneribus quatuor, mas duobus. Nam tot dentes canini. Ex vulnere primum ſanguis, deinde ſanies ſanguinolenta & oleoſa. Tumor bilioſus, feruidus, bulloſus, ſubruber, deinde liuidus, denigratus, & ſerpens. Os exiccatum, ardor, exolutio, horror, frigus, aliquando bilis vomitus, tormina, capitis grauitas, vertigo. Pallor, ſingultus, febris, crebra reſpiratio, color plumbeus, ſudor frigidus. Mors in ſeptem horis, ad ſummum tribus diebus, præſertim ſi à fœmina. Venenum calidum corrumpens ſanguinem, extinguens calidum innatum. *Ther. 13.*

Curatio, poſt communem ſcilicet deligationem, ſcarificationem, ſuctum, cucurbitulas, tritam earum carnem impone. Aetius. Caput eiuſdem abſciſſum adhuc calens volſella exceptum, aut gallinam diſſectam vel pullos imponito frequẽter alios repetendo, fraxini folia contuſa, vt eorum ſuccus bibatur cum vino, ſales theriaci meliores quam theriaca. Fimum caprinum cum vino tritum, galbanum ſplenii modo adiecto lauro, abrotano, origano viridi, erui farina vino ſubacta, raphani cortex tuſus, ſcilla toſta, chamæmelum, farina hordei ex aceto mulſo cataplaſma, adhibito prius fomento calido ex aceto. Intrinſecus vinum frequenter bibatur, allia in cibis, cæpæ, porra, ſalſamenta acerrima, leporis coagulum, oboli tres in vino, antequã cruẽta vrina appareat. Aet. Anchuſa *Ther. 10.*

tenui

tenui folia. Meliſſæ ſuccus, ruta ſyl. Rubus in vino cerebella gallinacea, cancri fluuiatiles cum lacte, teſtudinis ſanguinis ſiccatus cum cumino ſyl. lapis hæmatites. Carnes viperæ coctæ & comeſtæ. Theriaca Andromachi. Hæc & alia multa partim diſſoluunt, partim contemperant. Antidota multa deſcribuntur à Galeno.

2. Anti. 14. Dipſas à ſiti dicta, ſpecies & viperæ in maritimis degens Aet. Marſi in Libia reperiri, non in Italia. Ad eius

11. Simpl. morſum inſequitur tumor ſolutus non conſtrictus, ſitis intolerabilis, quæ non extinguitur potu, neque potus excernitur per vomitum, neque per vrinam, neque per ſudores, ſed venter diſrumpitur aut circa inguina, aut in imo ventre, vt in hydrope. Idem contigiſſe aliquando ex eſu carnis viperæ teſtatur Gal. Venenum calidum &

11. Simpl. ſiccum detrudens ad cutem, ideo facere ad elephanthiaſin, quorum cutis abſcedit, gignit pediculorum copiam. Ex Dipſadis morſu reliqui affectus oriuntur, qui ex vipe-

Ther. 3. ræ morſu, ſed ponitur omninò lethalis. Curatio eadem, quæ ad viperam, proprie conueniunt potiones vrinam cientes. Aluus per clyſterem eleuatur. Vomitus ex oleo.

Super vulnus poſt cucurbitulam, ſectionem, gallinacei impoſitionem calx viua cum oleo imponatur, & emplaſtra attractoria & theriaca. Dioſcorides inquit, non habere propria remedia, quia putata eſt incurabilis. Sed pugnandum communibus efficaciſſimis. Scarificatio, vſtio, & ſi locus patiatur, amputatio, cataplaſmata acerrima, cibi acres maxime è ſalſamentis, potiones meracæ, lauacra repetenda interiecto breui tempore, antequam genus morbi eruperit; tunc enim nulla Medici opera tollitur. Auic. ſurdos ſerpentes vocat, quorum nō ſunt remedia. Cur ſitis non tollitur aquæ frigidæ potione, vt in cauſone? An quia virus non tollitur?

ſed eget diſſipantibus, & alternatim contemperantibus.

CAP.

CAP. XLIII.

De Hæmorrho, Dryino & Hydro.

HAemorrhoius mas, hæmorrhois fœmina, à sanguinis fluxu appellati. Insequitur ad morsus vehemẽs cruciatus corporis, coanguſtatio & constrictio præ continuo dolore. Ex plaga sudor copiosus, & vbicunque cicatrix fuerit, sanguis emanat; cruenta excrementa, per tussim & vomitum, moriuntur sine remedio. Aet. color icti loci cruentus, mali coloris & nigricans, in principio nihil effluit nisi aquosum quid; stomachi dolor, difficultas spirandi; deinde sanguis è naribus, & ex morsus foraminibus, & vbicunque cicatrix fuerit, rumpitur. A fœminæ morsu etiam anguli oculorum sanguine manant, gingiuæ & vnguiũ radices, & tandem per omne corpus, dentes excidunt. Eadem confirmat Galenus. Vidi aliquando eadem fieri in febribus malignis, in iuuene & in æstate, reddito scilicet sanguine ichoroso, & venis relaxatis. Curatio. Quamuis à plerisque tanquam deplorati relinquantur: tamen communibus remediis vtendum, vt de dipsade dictũ est: priua im vitis folia decocta & cum melle trita ad sanguinis profluuium pro cataplasmate & in potu: portulaca cum polenta. Antequam prodeat vrina sanguinolenta edant multum allium, & vinum dilutum bibant, coganturque ad vomitum, & confestim detur theriaca. Edant pisces multos allis mixtis cum oleo, panem, vuam passam, deinde vino diluto multo hausto, vomant. Plaga proluatur aqua frigida, vesica spongiis calidis foueatur. Ad terra sigillata, bolus armenus, lapis hæmatites, testudinis sanguis siccatus, exaceto poti sanguinem manantem sistunt vi emplastica & astrictoria. Antidotus de sanguinibus. Cochlearum caro contusa valde tuta, cum vino nigro calido pota, aut cum succo cichorei in remedijs Asclepiadis ad hepaticum fluxum oleum distillatum ex electro cum succo cichorei guttæ duæ vel tres. *Ther. 8.*

Dryinus à quercu dictus, vipera quercina. Auic. In Helleſponto magis reperitur, in quercuum radicibus fœtens, vt tranſeuntes fœtorem ſentiant, redolet ſtrigmenta corii, quod purgatur, intra eius ſquamas muſcæ quædam inhabitant, à quibus conficitur. Eſt tam malignus ad perdendum, vt eius, qui ſupergreditur, cutis à pedibus excorietur, tota crura œdemate intumeſcant, & manus quoque curantium eodem modo pericliteńtur. Si quis aggreditur eum perimere, olfactu mulctari, vt quemlibet gradum odorem prauum exiſtiment, nec alium ſentire queant. In Italia odor Moſchi. Ex morſu puſtulæ & moleſti dolores accedunt, diluta ſanies, eroſio, tormina. Aet. tumor nigricans, nome, delirium, corporis ſiccitas, ſingultus, vomitus, vrinæ ſuppreſſio, tremor, vocis interceptio, ſtupor, ſciſſura & mortificatio loci percuſſi. Plurimi intereunt venenum calidum & humidum, putrefaciens carnes magis.

Ther. 8.

Curatio adhibitis communibus remediis, vt in viperæ morſu.

Propria diſſipantia, Ariſtolochia in vino pota, trifolium, Aſphodeli radix eodem modo. Siccantia & aſtringentia ad putredinem. Fructus omnium glandiferarum, ilicis radix in vino pota & illita parti ictæ poſt extractum virus.

Hydros & hydra fœmina vocatur, quamdiu in aquis degit, innocentior ob victum humidum. Cherſydros idem in ſiccis degens, ſæuior. Similis aſpidi paruo. Demorſus vlcus dilatatur, liuidum & ingens euadit. Sanies multa atra, malcolens, vt in vlceribus, quæ ſerpunt. Aet. Tumor, dolor arſiuus continuus, locus liuidus fœculentus, vertigo, exolutio, vomitus bilioſi, fœtidi: quædam per ventrem inordinate feruntur, & per totum corpus. Mors intra tres dies venenum eſt putrefaciens. Quod Poetæ fingunt Hydram Lernæam multis capitibus, quorum vno abſciſſo, alia renaſcebantur, ſignificat affectum repullulantem. Curatio,

2. Hiſt. an. 29.

poſt

post communia, digerentia & siccantia, origanum tritum & aqua subactum, lixiuia cum oleo indita, aristolochiæ cortex, radix quercus & hordei farina cum aqua & melle, in potu aristolochia drachmæ duæ cum posca cyathis duobus, marrubii succus cum vino, fauus mellis recens in aceto. Aet. Cupressi pilulæ drachma vna, myrthi baccæ drachma vna cum melle rosaceo, aut vino mulso in potu. Super locum calx viua cum oleo, & similia. Paulus inquit, eius curatio in temporis progressu fit, & vix procedit. Præter remedia Dioscoridis, imponit cinerem quercus ex oleo, in potu farina hordei cum melle, nasturtium syl. Asphodeli semen & flos, tœniculum ex vino.

CAP. XLIV.

De Scorzone, seu Ammodite, Ceraste, & Auontia.

SVnt inter serpentes, qui feriunt lingua, quibus ea prædura est: vibrant enim omnes serpentes linguam bifurcatam & acutam. Quibus igitur ea desinit in aculeum prædurum, ferire necesse est, instar scorpionis aculeū in cauda gerentis. Inter hos est scorzonus seu scorzus in Hispania appellatus, de quo Monardes Hispanus tradit, frequentem reperiri in Catalonia. Longitudo eius est palmi cum dimidio à tenui cauda crassescens, vsque ad caput, quod crassum est, quadratum ore magno & lato. Lingua nigra acuta, qua ferit instar scorpionis, dentes tenues habet, viperæ fœminæ similes, ideo duplici modo ferit; color eius cinereus maculis nigris, incessu pigro. Morsus deterior vipera, intumescit confestim cum dolore magno, ascendit ad cor, non cædit remediis neque theriacæ. Sola herba scorzonera reperta est, cuius radix figura persimilis est, sanat in potu & cibo, & herbæ succus. Videtur apud Aet. Ammodites

dictus à colore arenæ maculis nigris cubitalis, non maior, cauda dura superne discissa, vnde & Cerchria non Cenchria, vt Hermolaus notat, vocata est: maxillas habet latiores vipera, cui persimilis est in cæteris, sed vipera subflaua est. Ex eius morsu vtplurimum mors festina. Quibus sanguis exit ex vulnere, prorogatur mors ad tertium diem, aliquando ad septimum, qui bene dispositi sunt. Vulnus intumescit, & paulo post sanies exit, sequitur capitis grauitas & animi deliquium. Quod autē inquit de cauda dura superne diuisa, videtur significare bifidam linguam superne ex ore egredientem; nullus enim serpens bifida cauda adhuc repertus est.

Curatur apud Aet. post remedia communia, mentha cum aqua mulsa potata: castorium, cassia, artemisiæ succus cum aqua: ad plagam attrahentia, & cataplasmata ad Nomas facientia.

Cerastes ex hoc genere videtur esse, à cornu dictus: nam in capite duas eminentias habet veluti cornua, prorepit per obliquum non recta, corpore arenoso. Percussis locus attollitur cum duritia instar capitis claui pustulosus, è plaga sanies nunc atra, nunc pallidior. Aet. vini colore, aut nigricans maxime per ambitum, vt in cruentatis & suggillatis. Genitale intenditur, mens turbatur, caligo oculorum, tandem conuulsi moriuntur, ad summum vsque ad nonum diem supersunt. Nulla medicina, quia virus basiliscisimile, sanguinem conuertit in atram bilem. Curatur sola amputatione membri cita, aut confestim carnem circumcidere oportet, & super reliquias vrentia medicamenta, Dioscor.

Acontias quasi iaculum vulgo Saettone in Sicilia, de quo Galenus inquit: Serpens, vbi se multum extenderit, ceu iaculum quoddam corporibus insiliens sic perimit. Videtur autem lingua acuta & prædura id efficere. Cenchrus à Dioscoride vocatur, qui & Cenchrites & Cenchrius à Milii similitudine dictus est. Aetius describit bicubital. colore viridi maxime iuxta aluum milium referens,

rens, cum floret milium, fortiorem fieri, veluti iaculum inuolat, & eo modo verberat, vnde Acontias dicitur. Morsus viperino similis, putridum vlcus sequitur, antea carnes præhumidæ, vt in hydrope defluunt, lethargus superuenit. Ex Erasistrato, iis qui pereunt, inuentum iecur & omnia intestina corrupta, Aetius inquit. Insequũtur omnia, quæ ex ictu viperæ, atque etiam grauiora, vt etiam putrefactiones & carnium defluxiones, ac grauior item mors succedat. Remedia eadem, quæ ad viperam. Curatio apud Dioscor. Auxiliatur lactucæ fructus, id est, semen cum semine lini illitum, Satureia trita. Ruta syl. serpillum cum Asphodelo. In potu Centauri radix drachmis duabus cum vini cyathis tribus, aristolochiæ radix, Cardamomum, & Gentiana.

In hoc genere videtur esse draco, ex cuius capite extrahitur lapis draconites apud Plin. inter gemmas. Hunc Albertus magnus testatur se vidisse extractum ex capite serpentis magni in Suecia. Testantur hodie in Germania, linguam esse serpentis cuiusdam magni, cuius ictus lethalis est; sed lapidem abscissa cuspide gestatum ab omni veneno tutum reddere.

CAP. XLV.

De Sepe, Aspide, Basilisco, & telis venenatis.

SEps apud Aet. serpens est bicubitalis, alius à lacerta Chalcidica, albis maculis: ex morsu sanguis manifestus, dein sanies graueolens, tumor, dolor languidus, putrefactio, per corpus maculæ albæ, defluuium capillorum, mors intra dies tres aut quatuor. Curatio eadem, quæ ad viperam & ammoditem. Priuatim portulaca multa in cibo, & vinum Myrthites meracum. Spongia ex aceto calido ad vulnus. Butyrum cum melle illitum: milium cum melle, paleas cum terra exustas illine.

Aspis vna Prias dicta, quia expuit venenum è longinquo, ceruicem exporrigens, & interualli metita longitu- *Ther. 2.*

gitudinem ac si rationalis esset, minime aberrans venenum corporibus inspuit, qua Cleopatram sibi mortem conscivisse, bicubitalis cinerei coloris viridis ad aureū inclinat. Altera Chersea, id est, terrestris maior vsque ad cubitos quinque, cinerea, aliquando subuiridis. Tertia Chelidonia, colore hirundinis circa fluminum ripas, præsertim Nili, cubito maior, esse & breuiores palmi longitudine, quæ citius interficiunt Nicandro. Omniū morsus vulnus prorsus exiguum facit, quasi ab acu sine tumore, à quo sanguis exiguus, sed ater, caligo oculorum velox, labor in totum corpus multiplex, omnino lenis non sine voluptate, vt Nicander cecinit. Vir perit absque labore virens atque discolor, stoachi dolor mediocris. Frons perpetuo conuellitur, Genæ contremiscunt, quasi sine sensu in somno vacillant, hos mors tollit ad diei trientem non delata. Hypnalem Solinus vocat necantem somno. Aetius bina vulnera ex masculo, quaterna ex fœmina, citra magnum dolorem, à quibus nihil effluit, nisi violentum animal sit, Consequitur stupor, pallor frontis, refrigeratio, assidui hiatus, nictatio, colli inclinatio, capitis grauitas, segnities, collabi in somnum profundum, tandem conuulsio. Mors ex Chersea in tribus horis; ex Chelidonia præsentissima, ex Priade tardior, ad conspuitionem insequitur caligo oculorum, cordis dolor, faciei tumor, auditus corruptio. Venenum videtur frigidum obstupefaciens, quo celerrime sanguis cogitur in arteriis, vt ex basiliſci veneno, & sanguine taurino apud Dioſc. Celsus humorem intus spissescere à frigore, vt in plerisque venenis. At puerum tradit ab aspide ictum siti vehementi cruciatum partim ob ictum, partim ob æstus.

Et Arist. inquit ex aspide angue, qui gignitur in Africa, medicamentū illud putrificum cōponitur, cuius ictui nullum remediū est, significat igitur calidū esse & vrens.

Auicenna aspidem inter surdos esse, morsus eorum non curantur, quoniam sunt surdi vehementis acuitatis,

tatis, non transcendunt tres horas, sola præcisione & vstione tolli possunt. Symptomata igitur frigiditatis, vnde frigidum venenum putatum est, insequuntur extinctionem calidi innati, at non à frigore, sed ab vrenti calore. Curatio apud Dioscoridem eadem, quæ ad Cerastē, id est, sola chirurgia, amputatio, circumcisio, vstio. Nulla pharmaca vincere possunt, quia celerrime sanguinem cogit in arteriis. Celsus casu repertum remedium, acetum bibere. Nam puer quidam, cum ex ictu sitiret, & ex æstu, neque alius potus adesset, aceto poto liberatus est; idq; non refrigeratione, sed incisione & dissipatione humoris inspissescentis. Aetius, auxilium ab aspide præsertim à Ptiade morsis, acetum acerrimū dandum quousq; aceti qualitatem sentiant ad hypochondrium dextrum peruenisse; quia hepar primum sensu priuari putant. Prænotio an victurus sit æger, si pota cētaurea trita cum vino non euomat pharmacum. Vomatur autem venenum distributum in corpus per allia trita cum zito sumpta, donec nauseabundus fiat; aut opopanax cum vino diluto, origanum cum vino, post vomitum theriaca. Super plagam post scarificationem & cucurbitulam, centaurium cū myrrha & opio. Rumex in cataplasmate, theriaca. Excitandus assidue vellicationibus & motibus, aqua marina calida pro fomento aspersa.

Basiliscus quasi rex virulentorum. Aristoteles sacrum vocari inquit: serpens minutus ad cubitum accedens, quem angues præmagni fugiunt, hirsutus, quicquid momorderit, continuo circum putrescit. Est præterea in Indica regione serpens paruus, cuius vnius remedio carent incolæ. Nascitur in Africa eodem agro, in quo laser, serpēs quidam pusillus, cuius remedium lapis est, quem ex sepulchro cuiusdā regis antiqui accipiunt, eoque perfuso ex vino bibunt. Lapis ille videtur ex conditura cadauerum nobili constare, quam vulgo mumiam vocāt. De Basiliseo Dioscoride ex Erasistrato inquit. Vulnus ad auri colorē efflauescit: auxiliatur Castoriri

8. Hist. an. 29.

drachma in vino pota, item papaueris succus. Aet. describit palmorum trium subflauum, acuto capite, in quo tres eminentiæ. Vis inest maxima superomnia reptilia, vt nulla vel sibilum possint sustinere. enecare etiã aiunt conspectu, omnia aufugere eius præsentiam. Interfectos ab eo nullum animal comedere, nam similiter enecari. Percussi toto corpore ardorem sentiunt, liuor aduenit, confestim capilli defluunt, & in instanti mors sequitur. Ideo nulla medicina ob celeritatem. Plinius Munstellam solam aduersari Basilisco. Eadem videtur catoblepa apud Aethiopas pusillus serpens. Si quis eius oculos intueatur, confestim expirat.

Ther. s.

Ad sagittas & tela venenata; remedia communia, vt ad ictus animalium virulentorum, extrahentia ex vulnere, & si quid intro communicatum est; antidota dissipantia, & hebetantia.

CAP. XLVI.

De Venenis spiritu illatis, & Fascinationibus.

SPiritu venena inferuntur ex halitu virulentorum, siue per inspirationem, siue per arterias, permeante in corpus aliquando per oculos aut aures, vt Basilisci intuitus & sibilus, & effascinantium veneficia. Quæ etiam solo contactu inficiunt, vt Ptiadis sputum, ranæ rubetæ saliua venenum in spirituosa substantia intromittunt. Eodem modo fiunt illitiones quædam venenatæ à sceleratissimis hominibus, vt nostris temporibus contigisse compertum est Venetiis, peste communicata solum illitis ostiorum anulis, quibus contactis venenum hauriebatur. Ex hoc genere videtur fuisse linea vestis, cruore venenato imbuta, qua Hercules interiisse traditur; asseruatur enim rabifica vis etiam siccato lintco, vt iterum exhalare possit, cum à calore corporis fuerit excalfactum. Seruantur etiam hoc modo contagia pestilentiæ in pannis, quanquam ablutis, atque aliis vtensilibus longo tempore. Ideo recta ratione præcipiunt, omnia huiusmodi

modi in igne comburi; solus enim ignis delere potest totam veneni cuiusque substantiam. Spirituosa substantia etiam per aliud corpus intermedium communicari potest, vt de torpedine patet, manui torporem inducente per retis contactum. Sic quidam serpentes hasta transfixi enecant, vt Dryinus. Per medium autem aerem quæcunque fœtida communicant, seu cadauera putrescentia, seu paludes, seu subterraneæ euaporationes, & suffumigia venenosa. Curatio fit per remedia prauos halitus dissipantia, & bonos reficientia, citissime adhibita. Dissipant castorium cum aceto potum, opobalsamum, diamoscum, diambra, theriaca, aromata omnia. Reficiunt odores suaues, vt in syncope acetum rosatu, vinum & in potu & ad nares, ad tempora, ad arterias carpi, pedum, testiculorum, & cordis regionem, epithemata ex aqua rosacea, lanfa, ex floribus citri, Melissæ, addito aceto, vino odorato, speciebus epithematis cordialis, Croco & mosco. Potus vini meri cum allio, & post multum vini potum venæ sectio, nam cum sanguine spiritus prauus efflabit.

Ad calidas euaporationes subterraneas ex antro, foueis diu conclusis, fumo carbonum in conclaui, aut vbi tormenta bellica exonerata sunt in angusto loco non perflato. Reficit aeris frigidioris inspiratio, & aquæ frigidæ aspersio. Experientia compertum est, in spelunca quadam, quæ inter Neapolin & Puteolos suffocantes halitus emittit, homines reuiuiscere, si statim mergantur in propinquo lacu. Eodē modo in syncope aquæ frigidæ aspersio reuocat spiritus dissipatos ad cor, & calidos ac siccos halitus contemperat. Fodinæ quorundam metallorum enecant, præcipue æris, argenti viui, & suffumigia ex cinabrio, si negligenter fumus hauriatur, aut suffocāt, aut anhelationes pariūt, paralysin, & phthisin. Remedium ad imminentem suffocationem inspiratio aeris frigidi, & insperſio aquæ rosaceæ & aceti. Deinde ad affectus inductos remedia propria, præcipue lac.

Fascinationes ex iis sunt, quæ spiritu venefico ex oculis effascinantium immisso lædunt, præcipue infantes, siue naturaliter hæc contingant, vt quarundam vetularum aspectus faciunt & quibus binæ pupillæ in oculis sunt, vt Plinius tradit, præcipue si iratis oculis intueatur. Siue ex arte Magica, opera dæmonum. Alio modo lædunt lippientium oculi, lippitudines communicando per contagium; læsio enim in his non vltra oculos pertingit. Ad fascinationes multa remedia inter amuleta apud Dioscoridem reperiuntur, & apud Plinium. Sed plurima desumpta videntur ex arte magica. Naturaliter resistunt, quæ spirituosam substantiam efflant odoratam. Ruta pueris circumuallata ea ratione defendit à fascinatione, præsertim sylvestris, saluia, sclarea, & fœniculum; hæc enim præcipue oculos tuentur. Peonia etiam suspensa collo, vt Gal. fatetur, à casu epilepsiæ defendit, corallium, succinum gestata euaporationes ad se alliciunt. Balsamum ob fragrantissimum odorem suæ substantiæ, tum inunctione, tum potu. Flos Gariophillus, quæ Betonica altera putatur apud Dioscoridem, & tunica à quibusdam vocatur, inquit Dioscorides. Animos hominū & corpora custodit à maleficiis & periculis. Alchermes confectio Mesues, & quæcunque recipiunt odoratissima, ambram, moscum, cinnamomum, nardum, Gariophillos, lignum aloes, & alia huiusmodi, theriaca, Mitridatum ex aqua ardente diluta, cum aqua rosacea, aut aceto. Eadem faciunt ad quæcunque maleficia. Sed ad infectiones Dæmonum remedia ex diuinis tantum haberi possunt.

CAP. XLVII.

De venenis in corporibus nostris genitis.

VEnena in nobis genita non proprie venena dicuntur, vt Aconiti & viperæ, quæ à natura condita sunt, sed similia venenis ob quandam corruptionem, vt menstrua retenta, & semen; æquant enim veneni qualitatem

6. loc. af. s.

titem & vires. Aura quædam frigida in epilepsia sanguis in grummos conuersus in ventre, atra bilis, ex qua cancer, elephas, lepra. Pituita corrupta, ex qua morbus Gallicus, pilorum casus, corrosiones, putredines, flaua bilis, æruginosa, vnde dolores vehementissimi, anxietates, Hipp. de veteri medicina. Inducunt eadem symptomata, quæ ex venenis, vnde vix discerni possunt, nisi quod non repente aduenium in homine sano. Assimilantur magis naturalibus venenis, quæ ex oculis effascinantiũ egrediuntur, & sputum veneficum, quod puella quædam traditur ex vsu venenorum contraxisse. Oriuntur autem hæc aut ob prauam victus rationem, inter morbos sporadicos, id est, sparsim apprehendentes, ex cibis & potibus prauis, vt carne morticina, tritico semiputrido, aquis putrescentibus, atque aliis, quæ aliquando in fame coguntur homines sumere, vnde febres pestilentes oriuntur, aut ob aeris qualitatem, communes, vnde Epidem. appellati, inter quos pestis est epidemia, scilicet pernicioſa. Non redduntur autem hæc pernitiosa, sine excessu primarum qualitatum in materia rebelli, quæ nequit à calore innato vinci, vt venena proprie dicta. Hoc enim modo lædunt secundum totam substantiam qualitatibus & materia, non vt reliqui morbi, qui per coctionem solui possunt. Sed venena quæcunque alexipharmacis egent, aut euacuantibus, aut dissipantibus, aut contemperantibus. Contemperatio fit per admixtionem substantiæ contrariæ in qualitatibus, vt vini cum aqua, quæ crasis vocatur, non per solam alterationem. *Hipp. de veteri medicina.* Sic aspora cum leuibus, tenuia cum glutinosis, sapores contrarii pro humorum vitio. Euacuant similitudine substantiæ, non temperamenti, sed materiæ attrahendo. Dissipant qualitatibus primis aut secundis, sed & in his analogia quædam & materiæ similitudo quæritur, vt in venenis proprie dictis ostensum est.

1. Sem. 18.
6. loc. af. 4.
2. Nat. hu. 3.
1. dif. fe. 3.
1. Acu. 9.
Ther. 16.

CAP.

CAP. XLVIII.

De peste.

1. in 1. Ep. 1. 2. Nat. hu. 3. Ther. 16. Pestis definitur à Galeno. Est communis morbus eadem tempestate affligens, pernicios us ex aere instar veneni alterato. Nam tanquam bellua non paucos interfecit, sed ciuitates totas, & prouincias, quippe praua quædam efficitur aeris ad corruptelam prompta mutatio, quod periculum euitari nequit ob necessitatem respirandi aerem tanquam venenum. Est autem morbus

1. dif. fe. 4. in intemperie calida & humida, quia putredo magna, vt in febribus pestilentibus. Cum enim aeris temperatura à naturali habitu ad calidum & humidum immodice fuerit conuersa, pestilentes oriri morbos est necesse, quo-

3. in 3. Epi. 55. rum summa ipsa putredo est. Quamuis autem pestis non omnis sit cum febre, vt testatur Hipp. l. tere tamen potest putredo in aliqua particula antequam cor afficiat: cum autem ad cor peruenerit, confestim interire necesse est, extincto calido innato, antequam febris sit manifesta. Dicitur autem communis morbus, quo dif-

1. Acut. 9. fert à sporadicis. Eadem tempestate affligens, quo differt ab endemiis, qui perpetui quidem sunt alicuius regio-

2. in p. Ep. 25. nis, vt Romæ semitertianæ, Constantinopoli exantemata, locis palustribus hydropes: in libro de aere, aquis & locis. At non multi eodem tempore. Pernicios us, quo differt ab epidemiis non pernicios is. Ex aere, quo differt à communibus pernicios is ob alias causas communes, vt ex aquis palustribus, fœrentibus cibis insuetis in obsidione & fame. Instar veneni alterato, quo differt ab epidemiis pernicios is ob quasdam prauas constitutiones, non tamen venenosas, vt in siccitatibus febres

3. Aph. 7. acutæ, in pluuiarum multitudine apoplexiæ anginæ; in æstate febres ardentes, in autumno morbi acutissimi

3. Aph. 9. exitiales. Ideo non omnis epidemia pernicios a est pestis. Qui ex aere veneno'o in speluncis, aut fodinis argenti viui, aut ex animalibus venenosis, aut cadaueribus morbi

perni-

pernicioſi fiunt, non communes ſunt, quia aer ille non communis eſt. Communes præterea intelliguntur morbi, qui omni ætati, ſexui, viuendi inſtituto, cum eodem tempore eodem morbo corripiuntur plurimi, cuius cauſa communiſſima eſt aer ambiens. Non ſi pueri tantum vt variolæ & morbilli: Senes ſtillicidia, aſthmata. Aer autem dicitur tanquam venenum, quia non proprie venenum eſt, vt quod à natura conditum eſt, ſed propter affectionem.

CAP. XLIX.

Cauſæ peſtis.

CAuſa materialis peſtis proxima eſt venenum intra nos genitum, id eſt, putredo magna, quæ à natura vinci nequit: quo differt à venenis proprie dictis, quæ extra à natura fiunt. Gignitur ex cibis & potibus prauis putredini obnoxiis, ex aere ambiente calido & humido, ſiue præceſſerit conſtitutio valde calida & ſicca adurens, ſequatur autem humida, vt in Taſo contigiſſe ſcribit Hipp. ſiue è conuerſo conſtitutio adurens inueniat humores putredini obnoxios, vt in peſte à Tucidide deſcripta; ſiue ſtatim in ambiente fuerit putrida euaporatio ex paludibus putridis, cadaueribus in bello, locuſtarum multitudine corrupta, vt traditur contigiſſe in Africa, & Gallia, aut ex ſubterranea euaporatione in terræmotu & quibuſdam conſtitutionibus euaporationem gignentibus, vel commouentibus, ſpeluncis venenum expirantibus; aut halitu hominum, qui peſte correpti ſunt, aut eorundem ſordibus aerem inficientibus. Cauſa vero efficiens magnam putredinem, eſt quælibet occaſio calefaciens, vt obſtructiones, motus, & reliqua calorifica. Latent enim aliquãdo humores venenoſi, & rerum putridarum ſordes, antequam putredinem excitent, vt in demorſis à cane rabioſo. Cauſa remotior cœlum in frequentia eclipſis, in coniunctione multorum Planetarum, præcipue Martis, & Saturni, vt Aſtrologi putant, ob

1. dif. fe. 4.

3. in 3. Epid.

1. dif. fe. 4.

ob proprietates quasdam occultas, sed verisimilius est ob conturbationem ab iis inferiorib. excitatã, vnde mutationes temporum fiunt, vt Hip. innuit in libro de aere, aquis & locis. Multarũ enim plantarum coniunctio non solum quæ supra terram sunt, conturbat, sed & subterraneas euaporationes commouet. His omnibus adiungenda est causa ex diuinis petita, quæ licet egrediatur medicinæ limites, non tamen negligenda est. Nam & antiqui Deos eorũ, seu potius Dæmones referebant, quos in curatione consulebant, vt testatur Gal. Sed circa hæc dubitationes contingunt. Prima, si pestis aliquando fit à cibis prauis, vt Gal. testatur, & ex historiis sub Iuliano apostata, sub Valentiniano III. & sub Tito in obsidione Hierusalem. Et Athenẽsibus ob prauos humores putredini obnoxios apud Thucididem; non ergo semper ab aere ambiente tanquã veneno, vt supposítum est. Quod concedere videtur Gal. cum inquit: Magna ex parte fieri pestẽ ex inspiratione aeris vitiati à putrescibili euaporatione in pestilenti aeris statu. Fit tamen aliquando ob vitiatos humores ad putredinem paratos ex breui occasione extrinseca, quasi sit pestis sine pestilenti aeris statu, vt febris pestilens sine peste. Secunda. Contingit aliquando pestis in vno solo homine, aut in vna familia, vt cõtigit Venetiis ex aperta capsula, ab exteris delata, quæ continebat vestes pestilentia infectas, qui si statim separati fuissent, combusta capsula, morbus non euasisset communis. Tertia, si in pestilenti statu aer est tanquam venenum, quomodo differet pestis à venenis proprie dictis; in vtrisq; enim à veneno externo inficiuntur interna? Pro solutione supponatur, in peste adesse contagium ad distantia, quod non fit sine intermedii aeris infectione. Cum enim contagia quædam fiant solo contactu, vt in fructibus putrescentibus, & scabie communicata quadam sanie: quædam etiã per medium aerem aut aliud corpus. Conseruãtur enim in multis corporibus, veluti sordes rerum putridarum, quæ materiam putrescibilem adepta putredinem simi-

lem

lem accendunt, præcipue in corporibus similibus ob symbolum, in peste vtrumque contingit, & medio aere communicari, & per contactum non solum laborantis, sed & vestium, vasorum, & parietum, à quibus omnibus etiam aer inficitur, vt ab odore pertinaci fieri videmus: non enim elui possunt sordes huiusmodi, sed solo igne deleri. Compertum autem est, per multos annos conseruari in vestibus pestilentiæ sordes, quod in causa est, vt postquam inceperit pestilentia à quacunque causa per multos annos perduret, etiamsi cœli constitutio mutata sit. Annis quindecim perdurasse, mirantur apud Philostratum, annis duodecim in tempore Iustiniani Imperator. cæpisse ab Aethyopia, & diffusam in vniuersum orbem. Tandem cessasse supplicationibus. Vnde instituta fuit solemnitas purificationis beatissimæ M. Virg. Hinc patet differentia inter pestem & reliqua venena. Quamuis enim reliqua venena, aut per contactū, aut per medium aerem inficiant, non tamen ex vno infecto vis venefica transit ad alios, vt in peste. Sed vis illa venefica deletur corrupto corpore. At in peste ex relictis sordibus noua putredo accenditur ob similitudinem substantiæ, ex qua orta est in homine, qua ratione diffunditur ad finitima, & tanquam sobole propagatur ob vim contagii. Hinc soluta est tertia difficultas, quomodo pestis differat à reliquis venenis? Ad primam dubitationem respondetur. Nihil prohibet, pestem oriri ab aliis causis dictis præter aerem ambientē, sed ratione contagii, necesse est aerem venosum reddi. Ad secundum, si pestis cōtingat in vno homine, aut familia, vndecunque inceperit, non ob id neganda est pestis esse, si ex eo sequatur prædictum contagium, vnde fit communis. *Ther. 16.*

Longe igitur deterior est pestis, quam venena cuiuscunque beluæ, quia ob vim contagii non paucos homines, sed populos & totas prouincias delet,

CAP.

CAP. L.

Pestis differentiæ.

DIffert pestis à peste sæuitia, analogia diuersa, & symptomatis. Sæuissima est, quæ occidit & serpit ob contagium. Mitior, quæ occidit quidem, sed non serpit. Colligere autem possumus, fuisse quasdam pestes absq; contagio. Nam in ea, quæ describitur à Tucidide, inquit, forte ex Aethiopia fluxere quædam contagia ventis asportata in Græciam, quasi sine iis pestis esset ob alias causas, nec contagio vnius ad alterum. Quamuis enim à fœtore aeris aliquando incipiat, siue ex cadaueribus, siue ex locustis corruptis, siue ex paludibus. non tamē est necesse contagiū subsequi. Mitior igitur huiusmodi est, quia cessante fœtore, vnde ortum duxit, cessabit & pestis. At ea, quæ serpit, ob contagium non cessat, ante quam semina omnia deleantur. Adhuc mitiores sunt, quæ non ex putredine aeris nascuntur, sed ex aliis causis putrefacientibus, vt sunt constitutiones calidæ & humidæ, qualis in Taso describitur ab Hipp. Nulla enim ibi fit
Epi. mentio contagii, & quæ ex cibis prauis, dummodo non sequatur contagium prædictum. Huiusmodi autem nō vere pestes dicuntur, sed pestilentes: retinent enim naturam pestis, quia communes sunt, & pernicioſi, sed
9. quia aer non redditur venenosus, discedit à vera peste, quæ λίμος græce dicitur, sed limodes, id est, pestilentes appellantur. Huiusmodi sunt febres pestilentes, siue inter sporadicos, siue inter communes: similes enim sunt pesti in pernicie. Contigit præterea è conuerso morbum quidem non pernicioſum esse, sed communem, atque contagioſum, vt variolæ & morbilli, qui similiter inter pestilentes recensentur. Nulla vero ex his pestis dicenda est. Differunt præterea pro varia analogia: quædam enim pueros magis tollit, quædam iuuenes, quædam seniores, alia mulieres. Idem cernere licet in cæteris

anima-

animalibus: quædam enim aggreditur pecora, quædam jumenta, cæteris autem parcit. Varietas enim putredinis variam corporis dispositionem requirit. Ob hanc causam in peste aliquando oculi affliguntur, aliquando genitalia, aliquando fauces, aut pulmo, aliquando intestina, aut alia pars corporis. Ex symptomatis quoque differunt. Quædam enim absque vlla expulsione anxietatem & syncopen inducunt, & cito rapiunt, quædam excretiones moliuntur, aut ad aluum, vnde fœtida & colliquationes exeunt: ad vrinam, quæ conturbata & subiugalis excernitur. Ad cutem sudores fœtentes, exanthemata, quæ reliquiæ sanguinis sunt in vena caua putrescentis. Ad emunctoria, bubones, parotides, sub axillis, qui non concoquuntur, ad partes diuersas carbunculi, erysipelata, putredines, ex quibus magis sanantur, inde expurgata pestilentia. Quædam ad internas partes, per distillationes ad fauces, aut thoracem, quem vulgo appellant Mal del Castrone. Quædam sine febre manifesta, in qua neque calor, neque pulsus, neque vrina ostendunt, quam hecticam pestilentem putauit Galenus. Sed contingere potest, quia venenum in aliqua particula latitat, vt patet in morsu canis rabiosi: manifestari autem oportet, cum petit cor. Quæ cum febre manifesta accedit, aliquando calorem exterius mitem habet, sed interius affligit cum extremorum refrigeratione, humoribus frigidis putrescentibus prope cor. Aliquando vehementem calorem ostendit, putrescentibus scilicet humoribus biliosis. Hi in hecticam transeunt, nisi prius vi morbi intereant.

5. Meth. 12.

3. in 3. Epi.

3. Pras. 4.

CAP. LI.

Signa pestis.

FVturam pestem denunciant causæ, & quæ causas comitantur, at nulla necessitas est. Probabiliora signa sunt, quæ ex causis proximis petuntur. Magnam putredinem portendunt constitutiones supra modum calidæ

& humidæ, aut coniunctim aut seperatim, vt diuturnæ siccitates & pluuiæ. Magnas siccitates comitantur cometæ, multæ impressiones ignitæ, aer caliginosus, pulueruleutus, atræ nubes sine pluuia, deteriores, si hyeme aut vere. Pluuias diuturnas comitantur inundationes, aquarum stagnantium putredines, generatio multorum reptilium. Coniunctim, austri cum multa caligine sine pluuia, sine ventis, hyeme: significant enim euaporationem calidam & humidam, putredines.

Subterraneas euaporationes ostendunt terræmotus, animalia suas cauernas relinquentia. Aerem prauis vaporibus repleri ostendunt aues fugientes. Præcedit aliquando brutorum interitus, puerorum variolæ. Incipientis pestilentiæ signa obscura. Nam eadem quæ in febre pestilenti sine peste, si appareat contagium, signum est certissimum. Si multi eodem tempore intereant ex eodem morbo, epidemia est pernitiosa, quæ tamen potest esse sine contagio, status scilicet pestilens, non dum pestis exquisita, non enim ob id aer venenatus dicendus est. Signum verò aeris venenosi est, fætor siue ex causis manifestis, siue ex occultis, vt ex euaporatione subterranea, si plures in eadē domo corripiantur, contagii signū est, si sparsim in eodem tempore, constitutionis potius sig. est. Ex ipsis morbis signa quædā sumuntur à Galeno. Fœtor quidam anhelitus, color oris & faciei erysipelatosus, aluus turbata, colliquationes, cibi fastidiū. Vrina conturbata, tenuis, sublimamentum subluidum, veluti tela araneæ, aut vt lana congesta. Exanthemata vlcerosa aut maculæ nigræ, in dorso magis & pectore. Nam variolæ & morbilli in vultu, Carbunculi, erysipelata, abscessus ad emunctoria, qui non suppurantur, aut in putredinem tendunt diuersam à pure. Partium putredines vermes intestinorum, deliquia, delirium, sopor, imbecillitas omnium virtutum, pulsus languidus. Prognostica, biduo aut tribus diebus interficere solet, producitur, quibus sudor largus. In certo ordine moriuntur sine crisi; pleri-

2. Probl. 23.

3. Præs. 4.

3. in 3. Epi. 55.

5. Meth. 12.

3. in 3. Epi. 24.

plerique tamen cirea iudicia. Euasuris pustulæ nigræ toto corpore confertim vlcer. plurimis, omnibus certe siccis etiam si non criticæ, iuuant tamen absessus in suppurationem tendentes, qui non suppurantur, lethales, præsertim si delitescant. Euadebant magis, quibus erus aut alia pars denudabatur ex putredine. Desinunt status pestilentes in contrariis temporibus. Sed pestis non desinit, quam diu contagium persistit, ideo per plures annos, repullulant vere & autumno, 3. in 3. Epi. 25.

CAP. LII.

Præseruatio.

PRæseruatio à peste vna est ad populum defendendum, altera ad singulos. Illa ad Principes spectat, altera ad Medicos. Tollenda est causa communis correctione aeris venenosi. At videtur impossibile hominibus, saltem vt Hippocrates traditur fecisse Athenis, igne vbique in ciuitate accenso: nam vstio omnem putredinem delet. Ne autem contagium vnius ad alterum fiat, qui peste correpti sunt, relegandi extra ciuitatem, assignato loco, vnde non exeant in publicum. Si quis autem in ciuitate deprehendatur peste correptus, statim prohibeatur egressus è domo, & ne quis domum illam attingat, donec omnes exierint in locum destinatum, & omnis supellectilis igni tradita fuerit, & domus purgata. Similem diligentiam legimus in sacris obseruatam fuisse apud Hebræos aduersus leprosos: nam lepra per contagium serpit vt pestis, Qui autem per quadraginta dies immunis à peste fuerit, reuocari posse.

Neminem admittere neque res ex locis infectis pœna capitali.

Huius gratia institui custodes & speculatores non solum ad ciuitatis portas, sed & procul ad eius regionis fines, qui transitū prohibeant, nisi fidem secum ferant ex locis salubribus aduetare. Hoc modo nostris tēporibus

diligentia Magni Ducis Hetruriæ factum est, vt pestis quæ Liguriam & Mediolanum afflixit, in reliquam Italiam non serperet. Quæ omnia inutilia omnino fuissent, si aeris malitia à cœlo penderet, vt quidam putant.

In statu præterea pestilenti cum legibus prohibeatur commercium, quod plerique etiam sine lege aufugiunt: altera miserrima calamitas contigit ex victu & ministerio, quibus omnibus prouidendum est institutis, qui victui ægrotantium præsint, qui curationi, qui sacramentis, qui mortuorum sepulturæ. Mirandus est Aretii Magistratus, Fraternitæ appellatus, in quem non admittuntur, nisi nobiliores; hic efferendis ad sepulturã mortuis constitutus est. Compertum vero est, in tempore pestilentiæ neminem eorum, qui huic officio tam laborioso & periculoso incumbunt, peste periisse, neque ex eius familia quemquam, qui etiam ministrant in tanto periculo, diuinitus inspirati videntur non spe lucri, nam tota supellectilis igni tradenda est, præcipue panni & pelles, nam hæc corpora maxime omnium seruant sordes putridas diutius, præsertim si in loco clauso asseruentur, ablutione non tolluntur, sed igne, aut in sole feruenti & aeri diutius exposita: aurum tamen & argentum in aceto madefacta luem amittunt, magis si præcalfacta fuerint.

Singulorum autem præseruatio fit auferendo causas tum internas, tum externas. Ad arcendam igitur aeris malitiam, vt publice sic domi per ignem fit, vt putredo dissipetur, præsertim lignis odoratis ex iunipero, abiete & cupresso, quibus etiam vestes suffumigentur. Sed postea aer calfactus refrigeretur odoribus frigidis & humidis, vt ex aqua rosacea & aceto cum aqua frigida aspersa, & ventiletur, sed arceatur ventus australis, aut si quis spiret ex locis putridis. Non opórtet ieiunum aerem externum haurire, sed præsumere antidota odorata potius refrigerantia & varia singulis diebus. Naribus spongia aceto madefacta & aqua rosacea, & sandalis. Conficitur

pila

pila excauata ex ligno cupressi aut iuniperi foraminulenta, in qua recipiantur varia corpora odorata.

Ad causas internas iubet Galenus. Corpora humida omni via exsiccanda, quæ sicciora sunt, in antiquo habitu conseruanda, in quibus superfluitates adsunt, purganda. Obstructiones aperiendæ & abstergendæ. Sed hæc non omnino videntur consentire cum Hippoc. qui contulit, contraria adhibenda esse constitutioni, non immutandum victum consuetũ, vtputa qui non sit causa morbi communis, sed efficiendum, vt corpus minime tumeat, & debilissimum sit, auferendo de cibis & potione, quibus vti consueuerat paulatim, ne ex immutatione quid grauius contingat. Et Cornelius Celsus inquit: *Neque ieiuno, neque cenato vomendum est, neque mouenda aluus, atque etiam si mota est per se, comprimenda est. Si plenius corpus est, abstinendum potius est: nam periculosa quæcunque commotio est, ne putredinem accendat.* Quæ igitur à Galeno præcipiuntur, non in statu pestilenti facienda sunt, sed antea futurum statum præuidendo purgabat. Neque siccitas omnino confert ad prauas euaporationes, sed in constitutione calida & sicca frigidis & humidis vtendum. Rasis victum refrigerantem & siccantem instituit, cibos assos exacto & agresta conditos, punicam. Celsus alternis diebus in potu aqua vtendum, non defatigandum, cibis consuetis vtendum, leuiter ambulandum ante æstum, aut gestari. Bonũ peregrinari, nauigare, vt non semper eodem aere fruatur. Vitandum balneum, & sudor, cruditates, venus, frigus & calor. Multo magis continere prodest à victu pleniori. Si qua grauitas in corpore sentiatur, tum neque mane surgendum, neque nudis pedibus ambulandum. Vitandus somnus meridianus. Vt autem quis tuto versari inter infectos, & contrectare possit res pestilentes, hodie compertum est remedium extrahens euaporationes virulentas, si applicetur ad arterias in carpo, & ad regionem cordis, puluis auripigmenti, aut sublimati addito croco,

1. dif. fe. 4.

2. Nat. hu. 4.

aut Gariophillis, aut cinnamomo, aut similibus inclusis omnib in sacculum sericum, ne partem exulcerent. Antiqui prædicant hyacinthum gestatum tophatium, saphirum, acatem, rubinum. Alii emissarium parant in crure, ne superflua recipeantur.

CAP. LIII.

Curatio.

CVratio pestis consistit in eductione virulentiæ quã primum in extinctione caloris putredinalis, & correctione symptomatum. Eductio incipiente putredine prima die per venæ sectionem ex brachio ad ventilandum, & vapores putridos in venas attractos euacuandum. Hanc Celsus magis laudat, quam medicamenta purgantia. Rasis in magna plenitudine, si vires constent, ex pulsu, si putredo in venis, quod colligitur ex vrinis rubeis & crassis; sanguinem extrahit vsque ad animi deliquium. Noceret, si extra venas, vt contingebat in peste, quæ in tota Italia fuit anno 1528. Si putredo multum inualuit, non est mittendus sanguis, vt Galenus animaduertit. Ideo recentiores verentur in omnibus. Sed tunc satius est, aut nihil extrahere, aut parum ex venis inferioribus, saphena, hæmorrhoidibus, in dorso per cucurbitulas, in pueris per hirundines ad venas brachii. Medicamenta purgantia altera die, ante quam humores erumpãt in aliquam partem, vt in materia turgente. Aut prima die, cum timetur venæ sectio. Non lenientia tantum, sed efficaciora, rhabarbarum, agaricum, cum decocto tamarindorum, pil. cocchiæ, de lapide Lazuli, de lap. Armeno, antimonium præparatum. Postea corrigere abluendo ex sero lactis cum aceto. Celsus inquit, in morbo præcipiti etiam cum quadam temeritate auxilia rapienda sunt, vomitu pectus purgare.

Si abscessus eruperint, aut exanthemata, cauere tum venæ sectionem, tum purgantia. Si plenitudo venæ sectionem requirat, cucurbitula ad emunctoria intumescen

ſcentia, ſic venam ſecare proximam, aut paritiri prius ex diſtanti, poſtea ex propinqua. Si prauitas humorum medicamenta purgantia, ſuper abſceſſum galbanum, ad exanthemata frictiones ex oleo chamæmelino ad cutem. Extinctio duplex. Ariſtoteles de vita & morte, aut vehementi frigiditate ad incipientem putredinem & febrem: aut exurentibus factam putredinem, & diſſipantibus poſt principia. Frigida actu, potus aquæ frigidæ ex niue, quam laudat Ráſis magis in putreſcente bile, & Galenus inquit: Duo maxima remedia omnium febrium continuarum, venæ ſectio, & aquæ frigidæ potus. Celſus inquit. Non ante diem quartam, vbi in ſummo incremento, vrgente magna ſiti, bibat vltra ſatietatem, vomat, veſte operiatur, dormiat, ſi ſudor ſuccedat, optimum. Repetit Raſis poſt dimidiam horam bis & vomat. Galen. in colliquantibus, ſtatim, non expectanda coctio; omnia actu frigida exhibeantur, etiam extrinſecus. Celſus & Auic. Si ardens febris extorret, nulla medicamenti potio danda, ſed refrigerandus in ipſis acceſſionibus oleo ex aqua frigida conquaſſato, donec albeſcat. Folia vitis in aqua frigida tincta ſuper ſtomachum, leuibus linteis velandus, non pannis ſtrangulandus, in conclaui aerem multum & purum inſpiret, ſtratis virentibus. Si dolores affuerint, ſi præcordiorum tumor, aut in thorace, pulmone, faucibus, ſi tuſſicula, vlcus, animi defectus, deiectio, non aquæ frigidæ potus, ſed alia remedia. Potentia frigida & ſicca ad omnem putredinem, bolus armenus in vino mero, aut diluto pro febris vehementia. 9. *Simpl.* 5. vt remedium feratur in venas. Lapis Bezaar eodem modo, fragmenta precioſa tenuiſſime leuigata ſuper lapidem porphyritem: margaritæ, auri & argenti folia, tormentillæ & biſtortæ radix, acida & acerba incraſſantia ſanguinis ſubſtantiam Raſis. Celſus omnia glutinoſa, etiã carnem huiuſmodi laudat, puto, quia minus corrumpuntur, & prohibent, ne venenum cor petat. Non timenda ob-

9. Meth. 5.

10. Meth. 11

structio ex iis ob factas euacuationes & ob febrilem calorem attenuantem. Acetum, citri acidum, omphaciũ, mala punica, cydonia, rhus, acetosa, oxys, sonchus, intubus, psyllii mucillago, rosæ lactuca, capita papaueris, solanum, scorzonera, flos Gariophillus succõ constans glutinoso, zizipha, hordeum, lenticula, ex quibus sorbitiones fiant, aut pastilli solubiles in aqua frigida, aut aquis distillatis, iuleb. Rasis inquit. Cum non succedit expulsio per aquæ frigidæ potum sæpius exhibitum, prouocetur sudor ollis ex aqua feruente ad dorsum & ad pectus, vt interim paulatim sorbeat aquam frigidam ad propulsandum extra, & frigidum aerem inspiret, postea in potu sumat decoctum caricarum, vuæ passæ enucleatæ vel addito semine apii, fœniculi, & stragulis operiatur, vt sudet, aut erumpant tardantia exanthemata. Si prauitate magis quam multitudine lædant, conueniũt antidota dissipantia, cum inclinauerit febris vel sponte, vel vsu refrigerantium.

Paulus ex Ruffo inquit: Vbi interna vruntur, externa frigent, requirunt calefacientia, vt calor per totum distribuatur. Frictiones ex oleis calefacientibus, laterculi calidissimi vino irrigati ad manus & pedes. Pilulæ *Ruffi*: recipiunt aloes, ammoniaci singulorum drachmas duas, myrrhæ drachmam vnam, ex vino odorato contrita exhibeantur dimidiæ fabæ magnitudine singulis diebus. Neminem esse, qui hoc potu non superauerit. Arabes pro Ammoniaco crocum sumunt drachmam vnã. At in febribus odores replentes lædunt. Galenus theriaçam laudat in peste, est enim veluti ignis purgatorius, *Ther. 10.* Mitridatum, antidotum de sanguinibus, ex vino, efficacius ex aqua ardente, Oleum ex baccis iuniperi expressum & cum aqua ardente atque aliis Alexipharmacis distillatum pondere drachmarum duarum cum aqua acetosæ temperatum in potu citissime calorem reuocat, & pulsum. Simplicia discutientia putredinem pestilentem, scordium, scabiosa, Gralega, Betonica, Calendula,

dicta-

dictamum album, dictamum Cretense, gentiana, Carlina, Angelica Zedoaria, Aristolochia, semen thlaspi, citri, cardui benedicti, cornu cerui, ex quibus pulueres, electuaria, & aquæ distillatæ fiunt. Extrinsecus digerunt epithemata & inunctiones ad cor & pulsus oleum ex seminibus citri, hyperici. Nardinum cum vino cretico. Oleum Matthioli aduersus venena. Sed parcius, nam vehementer calida & valde odorata dissoluunt vires cordis. Vbi eruperint absessus ad emunctoria, imponendum galbanum cum vino, cataplasma ex radice altheæ, cucumeris syluest. Cum satis eruperit, scarificatio, inustio ex ferro ignito, apertio. Ad carbunculum cataplasma ex prunella herba tusa cum farinæ flore & oleo rosaceo, feruorem extinguit, & concoquit. Alioqui conuenit inustio.

Victus indicaretur tenuissimus, sed contra indicat humorum corruptela, quæ victum requirit pleniorem, vt Gal. testatur, & Hipp. Nam illi euadebant, qui viriliter comedebant. Ideo parum & sæpe nutriendi. Sorbitiones ptisanæ, lentium cum succis acidis. Carnes contusæ, gelu expressum ex carnibus assis, gallinaceis, vitulinis, castrati, non iurulenta nec pinguia. Celsus inquit, minime vtile est, aut fame, aut medicamentis vti, aut ducere aluum, & Hipp. Purgationes multos offendebant, quia plurimis venter male habebat. Vinum calidum & meracius. Cels. sed vrgente febre potus refrigerantes.

1. Aph. 17.
3. in 3. Epi. 58.
3. in 5. Epi. 56.

Finis tertii libri.

ANDREAE CÆSALPINI ARTIS MEDICÆ

LIBER IV.

De morbo Gallico, & iis, qui in cute, glandulis, & articulis.

CAPVT PRIMVM.

MEdicinæ scientia in eam amplitudinem extenditur, vt ad inueniendam multorum seculorum decursu opus fuerit; ad perdiscendam autem, quæ iam inuenta est, vix totius vitæ curriculum sufficiat. Quantum enim temporis impendimus in primis disciplinis ad hanc scientiam necessariis? Quantum præterea in cognitione corporis humani? Quantum in iis, quæ præter naturam illi & singulis partibus contingũt, morbis, causis, & symptomatis? Tandem relinquitur curandi ratio innumeris pene indicationibus constans, desumptis partim ab iis, quæ secundum naturam singulis insunt, partim ab iis, quæ præter naturam: necnon ab iis, quæ medio modo, vt anni tempore, constitutione, regione, ætate, sexu, consuetudine, & multis aliis huiusmodi. Neq; id sufficit, sed oportet remediorum copiam habere, vt singulis accommodentur ex innumerabili materia, siue ex plantis, siue ex animalibus, siue ex metallicis, vt nihil intactum relinquatur. Deterreret porro id discipulos, vtpote qui vel summo labore eoque perpetuo tam vastam rerum multitudinem desperent mente concipere, nisi ab Hipp. Gal. aliisque præstantioribus Medicis tradita esset Methodus, qua perstringi in pauciora capita multitudo possit. Quanquã & id non vnicuiq; facile. Cum enim actiones singularium sint, non sufficit vni-

vniuersalia tenere, sed oportet vsq; ad singulares differẽtias descendere, quod valde operosum est: multitudine enim diuisionum quasi obruitur intellectus tendens pene in infinitũ. Verum enimuero ex methodo resolutiua, quam secutus est Arist. ex singularib. in principio ars facilis redditur, & absq; errore, vitaturque infinitum. Cum enim occurrit ægrotus aliquis ex hac aut illa ægritudine curandus, facile est eius ægritudinem in sua principia resoluere, & quascunq; indicationes particulares in eodem intueri, & remediorum materiam illi accommodatissimam eligere. Quod patet in nouo morbo apud antiquos nunquã viso, qui Gallicus appellatur, de quo agere instituimus. Quamuis enim nulla extaret eius tractio, Medici rationales ex traditis apud antiquos, tum morbi essentiam & causas, tum curationem adinuenerunt. Quod & nos Deo dante, pro viribus nitemur.

CAP. II.

Morbi Gallici descriptio.

MOrbus Gallicus dicitur, quia Gallos prius inuasit, cum Neapolim oppugnarent sub Carolo VIII. Rege anno 1495. Ab iisdem cum in Galliam reuerterentur, eodem anno in totam Italiam disseminatus est. Galli Neapolitanum vocant, quia Neapoli contraxerunt. Germani Hispanum, quia in eodem bello cum Hispanis militantes infecti sunt: aut quia creditur, in Hispaniam primum delatum fuisse ab India occidentali Christophoro Columbo, inde viros & mulieres asportante. Lues venerea à quibusdam vocatur, quia in coitu per contagium communicatur. Et morbus verecundus, quia pudet patefacere obscœna, quæ primum læduntur: aut delicta venerea. Forma non eadem, nec sæuities semper fuit, licet eadem ratio contagii. Præcipuum contagium fit per partes obscœnas, aliquando per vbera pueris lactantibus, aut toto corpore condormientibus, aliquando solis linteis, vt in scabie. Ex concubitu

pustu-

pustulæ inflammatæ in pudendis oriuntur, masculis in glande inde bubones in inguinibus. Puerulis lactantibus pustulæ in ore, nutricibus in mammillis, à pustulis vlcera maligna succedunt. Quæ in pudendo vulgo taroli appellantur, quia continent sordem quandam albam crassam figura vermiculi, qui ligna erodit, vulgo tarlo, qua ablata alia similis subnascitur, erodit aliquando totam glandem, inflammat præputium, vt neque detegi glans possit, neque tegi. Succedunt paulo post pustulæ in capite, inde in alias partes crusto'æ subalbidæ aut subnigræ, initio paruæ, quæ augentur similitudine & latitudine vasculi glandium, emanat mucus, albus, fœtidus, larga copia, quamuis aliquando sicciores sint & minores, vulgo bollæ franzese, papulæ magnæ dici possunt, vt Hippocrates vocat. Ex pustulis aliquando vlcera maligna, exedentia carnem subiectam, totum pudendum & labia, tuberosæ inæqualitates in capite, facie, brachiis & cruribus, nunc crudæ perpetuo perseuerantes, nunc suppuratæ mucum glutinosum album effundentes, super ossa tibiarum, ad clauiculas, costas, caluariam congelationes quædam, quas vulgo gummas appellant, aliquando cum dolore tenso periostio, nunc sine dolore. Dolores acerbissimi in lacertis ad partes musculosas & neruosas, & circa articulos, in capite, vulgo doglie franzese, affligunt noctu magis & in nouilunijs, austrinis flatibus. Defluuium capillorum, superciliorum & barbæ, vulgo pelaia. Distillationes graues corrumpentes particulas, ad nares, vnde cartilaginum corrosio, nasus depressus, dentes corroduntur, gingiuæ putrescunt, ad palatum ossis perforatio, vnde coguntur loqui ex naribus. Ad fauces, exesio vuæ gutturis, vnde impeditur vox & deuoratio. Ad pulmonem, vnde asthma, & phitilis. Ad ventriculum, dolores & ciborum corruptio. Ad spinam, dolores dorsi, lumborum gonorrhæa. Initio vigebant pustulæ, vlcera exedentia, tuberositates faciem deturpantes, dolores lacertorum. Post

annum

annum quadrageſimum omnia mitigata ſunt, pauciores puſtulæ, gummoſitates plures, dolores ferè nulli aut multo leuiores. Sed cæperunt pilorum defluuia, dentiũ corruptiones & caſus. Noſtris temporibus poſt annum octuageſimum, diſtillatio magis virget, & vlcera intra pudendum, vnde ſanies continue emanat, putatur gonorrhæa, & mulierib. fluores albi. Eadem ferè aut plurima ex his contigiſſe in quadam peſtilentia teſtatur Hipp. vbi inquit. Ex ſuppurationibus carnis multũ neruorum & oſſium decidit. Non puri ſimile effluebat, ſed alia quædam putredo multa & varia. Quibus caput tentabat, caput totum glabreſcebat, mentum & oſſa denudabantur. Quibuſdam deſcendebat, denudabantur brachia, femur, tibiæ, pes totus, latera, dorſum, pubes, pudenda, cuadebant plurimi. Quibus autem non fiebãt huiuſmodi abſceſſus, moriebantur, os aphris vitiatum, vlceratumque. Fluxiones ad pudenda multæ, exulcerationes, tubercula foris & intus ad inguina; papulæ magnæ, tabidi multi. *3. in 3. Epi. 23. vſq; 26.*

CAP. III.

De cauſis.

CAuſa affectuum, qui in morbo Gallico contingunt, difficilis cognitu eſt. Quamuis enim ſinguli antiquis cogniti extiterint, atq; eorum cauſæ traditæ fuerint: hoc tamen nouum eſt, ex contagio potiſſimum rei venereæ contrahi. Sed fortaſſe nihil nouum eſt, ſed omnes morbi in diuerſis temporibus aut regionibus pullulant. Teſtantur enim, hunc morbum in India occidentali repertum eſſe, vbi Buam vocant. Alii aliam in noſtro orbe extitiſſe, putantes elephanthiaſin eſſe. Ideo in initio cœperunt ob ſimilitudinem remedia adhibere tanquam ad elephanthiaſin. Sed poſtea euentus redarguit. Vtilius remedium inuenerunt lignum Guaiacum ex eadem India aduectum, quo remedio ad Buam illi vtuntur. Si igitur in noſtro orbe nouus eſt morbus, & nouum remedium,

cauſam

causam quoq; eius nouam esse putandum est. At vero ars medica omnium morborum notitiam profitetur, tum eorum, qui fuerunt, tum eorum qui futuri sunt, & in qualibet regione, vt docet Hipp in libro de aere, aquis & locis: ars enim vniuersalium est. Oportet igitur & morbum Gallicum, quamuis apud nos nouus sit, cognosci à Medico rationali, & quæ sint eius causæ; hoc autem modo inuestigantibus patebunt. Primum igitur contagium putredinem arguit, calorem scilicet extraneum in materia putrescente, sed pertinaci, vt non facile deleatur. Ideo similem sibi putredinem in alio excitat, non in spirituosa substantia, quia non in longinquum transit, neque in tenuibus humoribus, quia non cito communicatur, nam delitescit post contactum aliquando per mensem vnum aut duos, vt solet rabies canina; sed in crassis præcipue pituitosis, argumento est mucosa substantia emanans ex pustulis, vlceribus, tuberculis; præcipue in excremento seminali, quia per coitum. Deinde, si putredo est, est igitur morbus in intemperie calida & humida, sed cum materia frigida & crassa. Quoniam vero corrumpit, in excessu esse necesse est: propter excessum enim primarum qualitatum corrupio fit. Sed quia nõ cedit remediis, ad solam intemperiem facientibus, aliquid subesse oportet, quod huiusmodi intemperiem conseruet, materiam scilicet crassam & viscosam elui difficilem. Quod est secundam totam substantiam lædere, id est, qualitates excedentes, & materiam pertinacem, sic enim piper & allium effugerunt genus deleterii, quia ob tenuitatem substantiæ facile commutari possunt à calore nostro, & extingui, quod in venenis non contingit. Quidam putant, putredinem hanc secundum totam substantiam inimicam esse hepati & facultati naturali, hunc primo affici, deinde ad cæteras partes transire. Argumento, quia in initio bubones apparent, quæ sunt hepatis emunctoria. At non est necesse, prius enim oritur vlcus in genitali ex contactu,

ex

ex vlcere autem bubo, vt in cæteris fieri solet non per expulsionem ab hepate. Rationabilius est primum affici caput, quia membrum est pituitosum, & in coitu maxime afficitur. Indicio sunt pustulæ post genitalia primum in capite apparentes. Quoniam autem contagio prior est causa, quæ morbum contagiosum efficit, huiusmodi causa morbi Gallici quærenda est. Quidam tribuunt occultis stellarum influxibus: præcessisse enim tradunt triũ Planetarum superiorum coniunctionem. At si id esset in causa, morbus esset epidemius, ex aere scilicet contractus non solum Neapoli, neque solum in exercitu Gallorum, à quibus per contagium diffusus est. Causa enim adeo vniuersalis non vnicum locum sibi perscribit. Neq; rationi consentaneum est, Neapoli incepisse ex contagio delato ab India: prius enim incepisset in Hispania, aut apud eos, ad quos Christophorus accessit, non inter Gallos. Aliam historiam habeo veriorem ab iismet traditam, qui interfuerunt ex milite Aretino, qui in eo bello militabat cum Hispanis. Is referebat, Oppidum in monte Vesunio, quod summa dicitur, vbi copia est vini generosi, quod Græcum appellatur, clam noctu ab Hispanis derelictum, obsidentibus Gallis, sed vino infecto admixto sanguine, quem extraxerant ex iis, qui in Hospitali S. Lazari laborabant. Ingressos igitur Gallos, atque eo vino expletos cœpisse laborare comparentibus sæuissimis symptomatis, elephanthiasin referentibus. Non igitur mirum, morbum Gallicum communicabilem esse per coitum; materia enim seminalis labem contraxit ex elephanthiasi. Qui enim eo morbo laborant, impetum intensum habent ad coitum, vt testatur Aet. ideo vt plurimum in pubertate oritur, non in Eunuchis. Non tamen eius morbi vitium est in semine, sed in humore melancholico. At Melancholici libidinosi sunt apud Arist. ob multos flatus. In morbo autem Gallico virus elephanthiasis per vinum Græcum transiuit in pudenda, & semen infecit.

CAP.

CAP. IV.

Causæ singulorum affectuum.

PVstularum in pudendo causa est putredo in materia seminali, extrinsecus in glande, quia hæc pars atteritur, & prior labem ex vtero contrahit, intrinsecus ex proprii seminis labe, vnde Gonorrhæa prope glandem magis, quia inibi ob angustiam impingit exiens.

2. Gen. an. 5. 4. Prob. 2. Succedit affectio in capite. Nam sedes maxime seminalis. *Arist. & Hipp. in libro de genitura.* Ad cutem capitis, deinde totius, transmissa materia extra cum sanguine: ideo pustulæ inflammato simul sanguine. Crustulæ albæ pituitam vincentem, liuidæ melancholiam significant. Exulcerationes vstionem humorum sequuntur. Tuberositates cutis inæquales, vt in elephanthiasi ob crassitiem materiæ cum sanguine particulis imbibitum, gummositates abscedente materia pituitosa & concrescente exhalata tenuiori parte, præcipue iuxta ossa & tendones, quia earum partium excrementa crassiora sunt. Dolores lacertorum & neruosarum partium, vitiata tertia coctione, quia alimentum albarum partium vitiatum est, mordens, aut flatu distendens; ideo partes fibrosas & membranosas infestat, præcipue capitis. Noctu magis ob frigiditatem, & in nouiluniis interdiu minus, quia perspirat materia. Defluuia capillorum, erosis radicibus ab aeri exhalatione, non vt in alopecia ab humore: nam in cute non semper apparet vitium. Distillationes debilitato cerebro, & materia non vergente ad cutem, sed ad partes internas, aut anteriores, ad fauces, pulmonem, ventriculum, hepar, vnde vitiantur coctiones prima & secunda; aut posteriores, spinam & lumbos, vnde Gonorrhæa, cum ex vlcere in pudendo fluxus excitatur à lumbis. Bubones in inguinibus ab eadem causa, sed vna cum sanguine, ideo inflammantur.

Initio vigebant magis pustulæ & tuberosæ inæqualitates, & vlcera exedentia, minus dolores, quia ob caliditatem

tatem materia vergebat extra, & magis elephanthiasin præ se ferebat, ob propinquitatem originis. Labentibus annis dolores magis infestabant & gummositates, materia frigidiore & crassiore reddita, ideo non ad cutem. Postea transiuit in capillorum defluuium calore mitigato non corrumpente in profundum crassos humores, sed in superficie tantum vapores putridos attollente. Bubones quoque non valde exitiosi, quia materia per eam partem facile expurgatur. Sed distillationes adhuc perseuerant, quia hominis natura est iis maxime obnoxia: mitiora tamen omnia sunt, quam annis elapsis, quia vis venefica mitigata est, & minus contagiosa. Inueteratus quoque minus contagiosus est, quam recens. Nam sunt, quibus ossa sunt erosa, aut gummositates patiuntur, vxores tamen non infecerunt. Facilius autem contrahunt corpora calida, & humida, & rara. Huius morbi differentiæ colliguntur pro diuersitate affectuum prædictorum & partium affectarum. Item pro ætate, in puero si ex vtero matris, aut nutricis lacte vitioso, in iuuene, in sene; pro natura diuersa, in corpore pituitoso, aut sanguineo, bilioso aut melancholico. Variantur enim ex his curationes.

CAP. V.

Signa.

SIgna facti morbi manifestissima sunt ex affectibus prædictis habitis per contagium aut veneris, aut alio contactu. At fientis obscura sunt; non enim omnes affectus initio manifestantur; singuli autem contingere possunt in aliis morbis. Quod autem propriū est ipsum contagium non omnes fatentur, aut quia pudeat, vt apud eos, qui castitatem profitentur, aut quia lateat alius contactus, vnde sunt, qui asserant, hunc morbum aliquando sponte oriri. Cum incipit, languor aduenit totius corporis, membrorum grauitas, præcipue post somnum, dolor capitis leuis, qui incipit vesperi, pigritia,

somnolentia, sed somni breues, amant decubitum, quæ significant affici caput. Insequitur mœror, iracundia, assidua inappetentia, pallor, macies, vola manus rubens, febricula aliquando, sed raro, sine manifesto incremento & declinatione, sine siti, quæ vtplurimum ex pustulis inflammatis, aut bubone exoritur; quamuis aliquando ex interna putredine partium solidarum, vnde hectica excitatur. Sanguis, qui ex venæ sectione extrahitur, impurus est & mucosus. Vrina crassior & pinguis, diuulsa, subrubra, quo solo signo absente febre deprehendi potest, egestiones tardæ siccæ, mucosæ, vergente ad habitum materia. Pudendi vlcera non calloſa nec liuida, sed subalbida, bubones diu crudi, pustulæ & rubores primum circa frontem, quia pudenda anterioribus respondent, defluuium capillorum, at non lethale, vt in phthisi. Aliquando capitis dolor diuturnus nullis remediis cedens, in fronte magis, descendit sæpius ad clauiculas, brachia vix attolli possunt. Distillationes ad dentes, fauces, exulcerantes. In toto corpore aut pustulæ aut dolores. Tumor in facie inæqualis, vnde fiunt deformes & horribiles aspectu. Inueteratis gummositates exoriuntur, aut vlcera serpentia, ossium caries, præcipue caluariæ. In vola manus & planta pedis crustæ duræ & calloſæ, fissuræ. Discernuntur autem pustulæ Gallicæ à reliquis, quia humorem emittunt album, vt albedo oculi, aut subrubrum cum quadam liuiditate. Idem ex abscessibus, & vlceribus. Simile quid ab Hippocrate traditur, vbi inquit: Erat autem illa fluxio, quæ collecta erat, non absimilis puri, verum alia quædam putredo, ipsaque fluxio multa & varia. Prognostica, morbus non lethalis, sed pertinax, plerunque comitatur ad mortem, quia inuadit solida. Primis temporibus ob sæuitiem cita mors, occidit autem magis, cum vergit intro, ad cerebri membranas, ad spinam, ad fauces, ad pulmonem: nam moriuntur aut ex suffocatione, aut phthisi, aut marasmo. Salubriores pustulæ, pilorum

defiu-

defluuium. Tubercula externa, suppurata, bubones, vlcera. Idem testatur Hipp. inquiens: Formidabiliora erant, quam deteriora. Caput totum glabrescebat, mentum, ossaque denudabantur, ac decidebant, multæque fluxiones, quibus suppurabantur, superstites erant, quos inflammatio reliquit, & sacer ignis, nec absessus fiebat, hi vtplurimum perierunt. Multis brachium vel solidus cubitus decidit; quibusdam anteriora latera vel posteriora; nonnullis totum femur vel tibiæ denudabantur, pesq; totus. Erat omnium grauissimũ, cum pubẽ & pudenda vrgeret, quia facilime hæ partes putrescunt, & partes superiores afficiunt, vt Gal. testatur, adde propinquitatem veticæ. Defluuium pilorumin extenuatis malum; at in principio mitiorem ægritudinem significat. Crassiores pustulæ & pinguiores minus malignæ. Dolores difficiliores, difficilimæ gummositates. Cum iam inficit ossa, pro desperato habetur, nisi ossa vri possint. In habitu melancholico omnia grauiora, post in bilioſis, minus in pituitosis, minime in sanguineis. In ætatibus seniores magis pereunt, sed iuniores vehementius laborant. *1. de morbis.* Febres ex bubone malæ, non enim ephemeræ, sed insequuntur putredinem. *5. in 3. Epi. 25.* *5. Aph. 11.*

CAP. VI.

Curatio.

CVratio morbi Gallici. Vis venefica extinguẽda est, sed id cito fieri nequit, interim defendendũ est corpus, ne inficiatur, qꝑ pertinet ad pẽseruationem. Id quod iã infectũ est, auferendũ, ne cæteras partes inficiat. Tandẽ ad diuersas affect. & symptomata propria curatio adhibẽda

Præseruantur vt in peste corpora humida siccando, sicca conseruando, excrementa euacuando, & reliquas causas putredinis auferendo, obstructionem, humorũ multitudinem, prauitatem. Tollenda multitudo venæ sectione parcius, vt vires seruentur. Aduersus sordes putridas statim à coitu abluere totum pudendum aceto & aqua rosacea, aut vino incocto absynthio, rosis, sandalis, *1. dif. fe. 4.*

lalis, in balneo totam cutem abstergere, aut sub tentorio ex lixiuio puluere iridis cum melle. Extinctio venenositatis fit aut vehementer frigidis, aut vstione, sed frigida non conueniunt, quia materiam relinquunt magis rebellem, vstio in partibus quidem externis fieri potest, non in internis.

Ideo seliguntur alexipharmaca, quæ medio modo se habent inter venenum & corpus; metallica, quorum materia imputrescibilis, qua conueniunt cum venenis, quia vincunt, non vincuntur. Hæc si qualitatibus non excedant, conueniunt cum corpore, vt gemmarum fragmenta, terræ aurum; si excdant, corrumpunt vt venena, nisi mixtione & præparatione corrigantur, vt argentum viuum, quod præcipuum remedium in hoc morbo comburens seminaria putredinis, omnibus admiscenda odorata, quia partes principes roborant, tuentur calidũ innatum, & pugnant aduersus fœtorem. Celebrantur & antidota ex variis composita, theriaca, mithridatum, sales theriaci, trochisci de vipera, ipsa vipera in vino suffocata, quia comperta est elephanthiasin sanare.

Quidam aquam ex carnibus viperinis distillatam exhibent vino & aromatis correptam. Alii ex medulla panis imbuta in vino generoso & inspersо puluere sulphuris per distillationem aquam eliciunt, cuius dosis vnciæ tres per plures dies post purgationes, nam sudorifica est. Sed satius est incipere à refrigerantibus & siccantibus, vt margaritis & fragmentis, aut boloarmeno ex vino aut aquis odoratis & aceto, vt ferantur intro, & aliquando interiectis quibusdam diebus inter potiones calidas, vt earum noxa corrigatur. Ablatio eius, quod infectum est intus, & extra ad partes affectas. Intus sensibiliter fit per medicamenta purgantia, præcipue pituitam, adhibitis prius quæ præparant, pro humorum diuersitate, & quæ respiciant partes genitales & genituram, calida & humida, vt genera gummi, sagapenum, ammoniacum, laserpitium, opopanax, galbanum, bdellium, turbith, her-

hermodactyli, satyrium, palma Christi. Extant pilulæ ex iis compositæ, vt fœtidæ, de hermodactylis, de colocynthide. Incipiendum à mitioribus, vt est diaphenicon. Recentiores purgant ex argento viuo præcipitato granis quatuor cum succharo rosaceo drachmis duabus, aut antimonio præparato cum vino in potu. Antiquiores ad humores crassos vtebantur lapide Armeno, & lapide Lazuli, quorum extant pilulorum compositiones. Quidam præcipitatum præparant, ne laboriosam purgationem faciat, lauetur cum aqua pluuiali trigesies, post cum aqua rosacea vigesies. Postea siccatum irroretur decies ex succo citoniorum, in quo solutum fuerit gummi arabicum, sicceturque singulis vicibus, dosis grana quatuor vel quinque pro robustioribus cum masticches optime triti scrupulo vno & sacchari rosacei drachma vna, fiat bolus, qui deuoretur post assumptum ferculum, ex pane decocto in aqua, cum butyro & emulsione amygdalarum dulcium & saccharo. Confert non solum in morbo Gallico, sed in qualibet epidemia. Paulus Ægineta prædicat in colicis & iliacis, in capite de hydrargyro. Alii corrigunt incoquentes argentum viuum cum auro mixtum ex aqua acuta aut oleo sulphuris, deinde affatum in puluerem, lauetur vt dictum est. Dosis eius mensura denarii Veneti.

CAP. VII.

Remedia interna Luem Gallicam dissipantia.

INsensibiliter euacuãt digerentia & siccantia, ad quæ transeundum, cum purgationes non sufficiunt, laborantibus partibus solidis. Non conueniunt frictiones, neque balnea. Compertum est à balneis etiam naturalibus lædi. Iuuari solum à victu exsiccante & potu decoctionis ligni Guaiaci, aut radicis salsæ parillæ, aut cinnæ, aut ligni sassafras, quibus omnibus Indi vtuntur: sudorifica enim sunt. Simili modo reperio apud Hippocra-

poctatem, ad siccandas fluxiones in vsu fuisse lotum & rhædam, incoctis ligni ramentis in aqua, quod & Dioscorides tradit.

Sed omnium præstantissimum repertum est lignum Guaiacum, quia resinosum valentius abstergit & corroborat, & minus vetustatem patitur, quia densum præcipue medullaris pars, quæ nigra est, cuius plurimum habet caudex vetustior, & rami crassiores, vt pro vetustate arboris ætatibus diuersis accomodentur, pueris rami nouelli, vetustiores adultis. Cinna tenuiorum est partium, minus calefacit, vt etiam febricitantib. dari possit, sed cito euanida fit, & cariem sentit. Salsaparilla minus exsiccat, magis emollit, non astringit, ideo ventriculo noxia, sed facit magis ad gummositates.

Sassafras odoratius & calidius, incidit magis & digerit. Fit simplex decoctio scobis ligni Guaiaci vnciæ decem, corticis eiusdem vnciæ duæ, nam amarior est. Aquæ fontanæ aut pluuiatilis libræ duodecim, vt pro singulis vnciis libra vna aquæ sumatur. Infundantur per horas viginti quatuor. Postea coquantur lento igni, donec octo partes aquæ absumantur, pro syrupo mane & vesperi. Fit & secundaria decoctio, eadem mensura aquæ addita, vt coquatur ad consumptionem librarum quatuor pro potu in cibis. Sed cibi sint panis biscoctus cum obsonio vuæ passæ, aut amygdalarum, aut nucleorum pineorum per dies quadraginta. Iis, qui non possunt hunc victum ferre, concedendæ aliquando carnes auium assæ, & pro biscocto panis optimus. Quidam & decoctioni addunt pullum gallinaceum, quo eius siccitas temperetur.

Alii hordeum, aut herbas varias, respicientes aut caput, aut hepar, ventriculum, renes. Sed quo simpliciot decoctio, eo efficacius luem Gallicam delet. Variatur etiam eius efficacia diminuto vel aucto aquæ pondere & coctione longiori aut breuiori, & in potu aliquando vinum conceditur eadem decoctione lymphatum. Sal-

sæ pa-

ſæ parillæ decoctio eodem modo paratur, ſed pondere vnciarum duarum vſque ad quatuor in libris duodecim aquæ. Secundaria quoque eodem modo fit, ſed eget magis vino corrigente noxam ventriculi.

Cimna in tenues taleoſas diuiſa vncia vna in libris octo aquæ coquitur ad conſumptionem tertiæ partis, qua vtatur & pro ſyrupo, & pro potu, vt ſingulis diebus renouetur decoctio. Nam facile amittit vires. Lignum ſaſſafras in raſuras comminutum vncia dimidia in aquæ libris duodecim, & coquitur vt Guaiacum, & fit aqua ſecundaria eodem modo. In radice maior virtus inest, quam in caudice, ideo pondus augendum aut minuendum. Sunt qui commiſcent ſaſſafras cum aliquo prædictorum ad gratiam odoris. Decoctionis loco propinatur aliquando puluis ſalſæ parillæ in vino. Recipe *Salſa par. vncias duas, corticis ligni guaiaci vnciam vnam, Sena orientalis vnciam dimidiam, fiat omnium puluis, cuius doſis drachma dua in vnciis quatuor vini auſteri odorati diluti cum decoctione ſalſa parilla.*

Ex decoctione quoque ligni guaiaci inſpiſſata in paſtillos cum ſaccaro ſimiliter ſumitur ex vino.

Non laudo vini ebullitionem cum ligno, quia ſpirituoſa eius ſubſtantia euaneſcit, & ingratam potionem reddit, & magis tentat caput, vt patet in vinis coctis. Recentiores pro medicamentis ex India allatis acceperunt varia apud nos orta, pro guaiaco lignum buxi, nam valde ſimile, præcipue cortex. Alia eſt arbor, quam in Hetruria Ermellinum vocant, quidam guaiacum noſtratem, quia eius nothæ admodum reſpondent Indico, at deeſt reſinoſa pinguedo. Alii lignum viſci quercini; hoc enim manifeſte ſudorificum eſt. Pro ſalſa parilla accipiunt radicem ſmilacis aſperæ, quam Dioſcorides laudat ad omnia venena. Pro cinna habemus radicem arundinis valde ſimilem, cui Dioſcorides vim attractricem tribuit, & remedium eſt aduerſus venenum buffonis, quod ſimili modo afficit gonorrhæam, indu-

cens, vt morbus Gallicus. Sed huius decoctioni addendus est iuncus odoratus, aut cyperi radix.

Oportet autem, cum hæc remedia sumuntur, vt per interualla detur aliquod medicamentū purgans, vt mos est octaua vel decima die, quo tempore non victu siccante vtatur, sed humectante ex carnibus elixis, & potu vini ad vires instaurandas. Alii clysteribus vtuntur alternis diebus.

CAP. VIII.

Remedia externa.

EXtrinsecus conueniunt suffumigia sudorifica. Simplicissimum post assumptionem potionis ex ligno Guaiaco calentis, aut cæterorum, quæ prædicta sunt, si sponte sudor non erumpit. Apponantur ad pedes lateres calidissimi irrorati vino generoso, & linteis inuoluti, alii ad dorsum, & quiescant duabus horis, postea induant linteum suffumigatum ex thure, & prandeant post duas horas, idque per dies quindecim cauentes aerem externum. Efficacius post purgationes, aut potiones sudorificas prædictas: paratur tentorium crassum in thalamo calido. Ingrediatur æger præsumpto modico panis in vino generoso, vel duobus ouis sorbilibus, super prunas imponantur pulueres ex thure, mastiche, aloe, myrrha, styrace, cinnamomo, cortice citri. Sudet per dimidiam horam, si inspirationem fumi perferre nequit, os extrahat, & olfaciat ex ampulla vinum maluaticum aqua rosacea dilutum: postea sudorem abstergat, & in lectulo sudorem finiat, sufficiunt dies decem. Aut pro tentorio paretur in eodem lectulo arcus, sub quo iaceat. Aliud sandalorum rubeorum, citrinorum, alborum, singulorum drachma vna, nucis muscatæ, squinanti, Gariophillorum, Camphoræ, Asari, singulorum drachma semis, corticum siccatorū, mali Appii drachmæ duæ. misce pro suffumigio. Nobilius ex Belzoi, ligno aloes, Gallia muscata, carabe, gummi elemi, ladano, squinanto, cin-

to, cinnamomo, animæ albo. Empyrici addunt cinabriũ efficaciſſimum liquandis humoribus craſſis, & gummoſitatibus, ſed hauſtum periculoſum eſt, tuto ad pudendum adhibetur, & ad partes externas. Vidi tamen per os hauſtum ſuffocantes tumores in faucibus diſſoluiſſe. Recipe cinabrii ſubtiliſſime puluerizati vnciam vnam, & ſemis ſtyracis vnciam vnam, ladani drachmas ſex, ligni aloes vnciam ſemis, Galliæ muſcatæ ſcrupulos duos, miſce, & fiat puluis pro ſex vicibus.

Simili ratione ſanat inunctio ex argento viuo. Remedium deſumptum ex Meſuæ, qui eo vrebatur ad ſcabiem craſſam hoc modo: Recipe axungiæ vncias quinque, olei laurini, argenti viui extincti cum ſaliua, cæræ, thuris, maſtiches, ſingulorum vncias duas, ſalis vncias octo, ſucci plantaginis & fumiterræ quantum ſufficit ad linimentum præſtandum, eo inungit palmas fortiter fricando veſperi per dies octo.

Hodie ad morbum Gallicum luna decreſcente poſt cœnam quatuor horis, vel matutino tempore, inungũt carpum & cubitum vtriuſque brachii, & ſtuppa obuoluunt apud ignem, fricatis prius partibus, & ſtatim exhibent iuſculum.

Mirum videatur, ex hac vnctione liquari magnam humorum copiam in capite, & per os exire, ſed ſuccedit ſæpe linguæ tumor; adeo vt ex ore promineat, & deuorationem impediat: aliquando faucium exulceratio, animi deliquium: vergit aliquando ad alui fluxum, & qui liberantur à morbo Gallico, multi poſt aliquod tempus incidunt in tremores, aut anhelationem, & palpitationem cordis, niſi auferatur noxa ex argento viuo contracta. Egent poſt huiuſmodi curationem multa exercitatione, ſuffumigiis & lacte. Perſeuerant autem in prædicta vnctione, donec minuatur pituitæ defluxus. Si vires ſint debiles, interpolandum.

Paratur vnguentum benedictum maſſæ hoc modo. Recipe axungiæ porcinæ libras duas. argenti viui libram

vnam, thuris vncias tres, ceruſſæ vncias duas, lithargyri vnciam vnam, confice in mortario lapideo, plus minus de argento viuo, ad minus vnciæ duæ in libram axungiæ. Pro nobilibus axungia præparatur cum vino, Gariophillis, nuce muſcata, iride, granis iuniperi, aſaro, calamo aromatico, cortice citri incoctis in vino ad vini conſumptionem. Additur terebynthina cum odoratis abluta, tandem Gallia muſcata, & metallica oleis odoratis irrigata.

CAP. IX.

Remedia ad diuerſas partes.

AD vlcera pudendi: aliquando adeſt ſola excoriatio ob frictionem, ſufficit puluis roſarum inſperſus, ablutio ex aqua plantaginis, aut vrina propria. Aliquando ex equitatione aut labore vlcuſcula parua alba, ſuccus plantaginis, ſolani, puluis ceruſſæ, roſarum.

Quæ ex contagio, inæqualia, circumcirca alba, in medio liuida, alicubi rubra, inflammata, alicubi pallida, viridia, ſerpunt: his conueniunt ſiccantia vehementer, *de morb.* alumen ex aqua plantaginis. Flos æris inſperſus, quod eſt genus ſquamæ, quod laudat Hippoc. ad vlcera pudendi, & in faucibus. Hodie præcipitatum cum vnguento roſato. Sedanda inflammatio ſolani ſucco, ſuffumigia ex cinnabrio cũ aromatibus. Extincta malignitate, curantur vnguento de ceruſſa, de tutia. Ad præputium tumefactum: ablutio ex decocto roſarum plantaginis, abſynthii, gallarum, foliorum myrthi ex aqua roſacea & vino auſtero. Si adeſt inflammatio, ex decocto fœnugræci, hordei, maluæ, ſuffumigia. Ad vlcus intra meatum, ſerum in potu præſumpta, terebynthina lota ex aqua roſacea pondere duarum drachmarum vſque ad quatuor. Cum vrget acrimonia, recipe aquæ plantaginis vncias quatuor, ouum vnum crudum recens, ſeminum communium drachmas duas bibat. Aliud,

liud, aquæ rosaceæ vnciæ tres, oui albumina duo, conquassentur simul, & bibat. Instilletur per syringam succus plantaginis, solani cum aqua rosacea & albumine oui. Mitigato dolore adde tutiam præparatam, sarcocollam, aut thus, myrrham, aut squamam æris. Interim lumbi refrigerentur ex infrigidante, vnguento sandalino. Si caro in meatu supercrescat, stillicidiu parit, quod exterere oportet, sed ob morsum exterentium dolor & inflammatio suboritur. Sunt, qui medicamentum celant, quod sine dolore exterit. Facit hoc modicum argenti viui cum vnguento rosato & squama æris, intromissum ex linteolo cum specillo, vt permaneat, & cum opus est, extrahatur. Purgato vlcere, sanandum ex eadem squama cum vnguento rosato.

Ad bubones cauendum, ne retrocedant, non venæ sectio nec medicamenta purgantia, nec inedia, sed exercitatio & victus plenior, vt ad eam partem ferantur humores. Si vrgeat necessitas ob febrem, mittendus est sanguis ex talo interno eiusdem lateris, aut cucurbitulæ applicandæ in parte interna femoris, & sic vena interna brachii secanda. Deinde super bubonem galbanum imponatur dissolutum cum aceto & addita pice, aut cataplasma ex sinap, spatula fœtida dictamo Cretico, oleo liliaceo, terebynthina. Cum valde intumuerit, molienda est suppuratio, exradice altheæ, semine lini, fœnugræco, efficacius addita radice lilii, cucumeris syl. ammoniaco, pinguedine porcina, butyro. Prope maturationem perfectam super locum incidendum, axungia salita cutem extenuat. Incisus diutius seruandus est apertus, vt inde expurgetur totum corpus; emplastro diachilon magno, & linamentis intromissis ex terebynthina & oui vitello, postea vnguento Apostolorum, vt mordeat.

CAP.

CAP. X.

Remedia ad defluuium.

AD pilorum defluuium ob priuationem alimenti restitui nequeunt in Caluitio: ob prauitatem alimenti in morbo Gallico, corrigenda prauitas purgationibus prius totius, deinde cutis capitis, & alimentum attrahendum, vt Gal. monet in alopecia. 1. Catat. 1. 2. Catat. 2.

Defluuia capillorum, quæ fieri solent in fine quorundam morborum, & venenis, solo alimento egent, & cutis mediocri astrictione, qua defendantur, ne decidant, & alimentum trahant. Post totius purgationem & capitis per nares antequam cutis vitiata sit, roboranda mediocriter astringentibus, inunctione ex ladano dissoluto in oleo lentiscino, aut myrthino omphacino in calidioribus, frictione prius adhibita, vt perspiret prauus halitus, & attractio fiat alimenti. Abrasio etiam melior est, vbi licet. Non licet in superciliis & palpebris, sed illinenda tantum. In frigidioribus & hyeme ex oleo nardino, ladano liquefacto in duplici vase, vel adiecto adianto aut absynthio, baccis iuniperi, additur & vinum austerum. Ablutiones ex dulci lixiuio incoctis rosis, capillo veneris, ligno guaiaco, spica nardi, stœchade, cum sapone moscato, adiecto in fine vino austero.

Valde astringentia periculosa sunt, nam catarrhos excitant, vt quidam faciunt è nucibus viridibus cum alumine & oleo sub fimo putrefactis. Si cutis vitiata sit, & pili valde putrefacti, qui non regignantur, remedia conueniunt tradita ad alopeciam & ophiasin, valde digerentia, & tenuium partium, vt penetrent intra cutem crassiorem capitis. 1. Catat. 2.

Euphorbium, thapsia, sinapi, nasturtium, sed ne vrāt, neque exulcerent, mitigata oleo antiquo, aut cicino & aqua, adarce, sulphur, nitrum, elleborum vtrumque, semen crucæ, oleum laurinum, arundinis radices vstæ, cortex, pix liquida, cedria, adeps vrsinus, leoninus, anserinus,

anserinus, thusaceto acerrimo diutius tritum. Mitioribus mitiora, fortioribus fortiora. Eadem præseruant adiecto vino. Illitiones, ablutiones, fricationes punctiones ex acuum fasciculo.

Quidam addunt & sublimatum, aquam è theriaca distillatam, suffumigia ex cinabrio cum aromatis, & auripigmento. Recipe cinabrii, auripigmenti, carabe, ligni aloes, styracis, sandalorum citrinorum, thuris singulorum drachmam vnam, picis colophoniæ vnciam semis, fiat pulvis, de quo sume vnciam semis super carbones. Excipiatur fumus tantum ad partes depilatas sub tentorio, sed respirando aerem externum per arundinem. Ad tardantes in mento, & ad caluitiem præter ætatem, attrahendum alimentum confricatione, & illitione per menses duos & amplius admirabilis compositio ex sorano verbis quibusdam occultante, sed à Galeno explicãtur. Pleraq; vsta, lana ouina, filicis radix, arundinis cortex, castaneæ cortex hispidus, musca- 1. *Catal. 1.*
rum capita, mures, capillus veneris, polytricum, erinaceus terrestris, marinus. Excipiuntur melle, ladano, pinguedine vrsi, vino, aqua distillata ex melle; apes vstæ, vel fauum cum apibus distillatum, vstis facibus.

CAP. II.

Remedia ad Pustulas totius corporis, ad dolores, gummositates, faucium erosionem.

AD pustulas totius corporis non balnea, vt in lepra & scabie, nulla madefactio conuenit ex aqua, quia 3. *Catag. 2.*
neruis inimica, imo & pituitæ. Sed pinguia. Decoctio Guaiaci pinguis: resinosum enim est. Non abluant manus neque faciem ex alia aqua. Illitiones ex styrace liquido, butyro, pinguedinis gallinæ vel anserinæ, oleo amygdalarum dulcium, terebynthina partibus æquabilibus. Ablutiones ex decocto Guaiaci incocta manu, efficacius addito calamento, nulla repellentia.

AD

Ad dolores, qui solent ex retrocessu humorum fieri, purgationes iteratæ ex pilulis fœtidis, de hermodactylis, addito satyrio, sudoris prouocatio per suffumigia dicta. Tandem inunctio ex argento viuo, præsertim ad rebelles dolores capitis, Corrigitur noxa, assumpto lacte, præsertim vaccino, suffumigiis ex aromatis absq; metallicis.

Ad gummositates, quæ vtplurimum in tibia excruciant, lacerato periostio, emollientia, spuma decoctionis guaiaci, medullæ, pyrites ignitus & extinctus in decocto guaiaci & aceto, quo foueantur. Emplastrum ex radice cucumeris syl. iridis, decoctis cum Guaiaco, & ad libram vnam additis ammoniaci, sagapeni, galbani, styracis liquidæ, pinguedinis, vrsi, butyri, singulorũ vncia vna, & omnium quarta pars argenti viui. Si exulceretur, vratur cum ferro ignito vsque ad os, vt abscedat crusta; deinde sanandum vlcus. Idem in caluaria faciendum.

Ad erosionem gutturis, aut faucium, aut narium ex acri distillatione, euacuato toto corpore & capite, extrahentibus vtendum per cutim externam, cucurbitulis, inustione, sinapismo, in vertice & brachiis. Defendendæ partes repellentibus gargarismis ex diamoron, dianucum cum aqua plantaginis, decocto cytrinorum, alumine, fæce aceti, bolo Armeno admistis. Tangere loca erosa bombice infusa in aqua incocta ærugine, sandaraca, alumine. Præstantius ex aqua distillata ex theriaca, aquavitæ & aceto causticum ex gutta olei vitrioli, aut sulphuris. Mitigetur vsus ex butyro, oleo amygdalarum dulcium, mucillagine psyllii.

CAP. XII.

Victus ratio.

VIctus requiritur extenuans, non tamen tenuis, nec plenus. Exsiccans quidem, at non quando purgandum

dum est. Humectata enim facilius obediunt medicamento, neque quando inunctio fit ex argento viuo, aut suffumigium, nam viribus consulendum est. Conuenit exsiccans, cum per digerentia curamus ex potione ligni guaiaci, vt virtus comitetur remedium, quantum vires ferre possunt. In corporibus siccioribus & extenuatis mitius agendum est. Qui vtuntur cinna aut salsa parilla, aut sassafras, non egent vehementi exsiccatione, vt qui guaiaco vtuntur. Non enim quærimus nutrimentum solidarum partium absumere, sed humorum lædentium, quod à vi medicamenti fit, non à victu. Victus igitur correspondere debet medicamento, ne humores adaugeat. Nam si victus humidior adhibeatur, destruetur exsiccatio à medicamento facta; si siccior, absumet humiditatem partium, non adiuuabit vim remedii. Non frigidus, quia sedes morbi in humore frigido est, nisi alia insit contra indicatio. Non valde calidus ob putredinem. Cibi optimi succi. Panis biscoctus aliquando suspectus est in corporibus siccioribus, quia absumit solidarum partium nutrimentum. Carnes nunc assæ, nunc elixæ pro oportunitate.

Hœdinæ, vitulinæ, veruecis, non ouillæ, nec suillæ, volucres non ex paluſtribus, aliquando pisces saxatiles, minus oua aut lac, quia facile corrumpuntur, nisi post purgationes, & in extenuatis, & puerulis, & qui tali victu vti consueuerunt, quibus pro potu exhibenda aqua distillata ex decoctione ligni guaiaci. Non olera, nec fructus fugaces, sed quæ ad condimenta solum quæruntur. Non salita, nam præ cæteris sal inimicus est, quia in humido humescit, & mordet, potus vini tenuis modice austeri, vt promoueat excretiones, non tentet caput, aut neruos, commodum vt feratur ad cutem. Fugiendum in dolore capitis & neruorum, sed decoctum guaiaci aut reliquorum. Exercitatio post purgationes, non antea nisi mollis. Imo si paulatim du-

can-

cantur ad cursum, luctam, labores, optimum remedium. Sic enim melius dissipantur cum robore virium humores crassi: oppositum faciunt pigritia, somnus diuturnus, nam augent gratuitatem. Hippoc. aliquando curat sine pharmacis sensim imminuendo cibos, & augendo labores, vt etiam sensim reuertantur ad consuetum. Somnus nocturnus necessarius est, at sæpe turbatur ob molestias. Ideo cogimur aliquando opiatis vti, sed parcius. Venus in morbis pituitosis aliquando iuuat, præcipue in morbo Gallico, nam seminis prauitas eget euacuatione, sed nō ante totius euacuationem, neque dum adsunt vlcera in pudendo. Reliquæ excretiones alui & vrinæ conferunt. Non ira, nec tristitia, sed hilaritas, nam siccant cor non primo habitum corporis. Aer ambiens desideratur siccus & modice calidus, inimicus austrinus, pluuius, hyemalis.

Corrigitur suffumigiis ex rosmarino, thure, styrace, belzoi. In thalamo clauso quamdiu sudorificis vtitur, aut purgationibus. Ad remedia autem perficienda eligitur ver, aut autumnus. Nocet plerunque hæc curandi ratio, in quibus non pituita dominatur, sed bilis aut humor melancholicus, & quibus hepar valde calidum est, noxa in progressu cognoscitur. Nam aut febris superuenit, aut vigiliæ inappetentia sitis & macies. Hi minus lædunter à cinna & victu humidiori.

CAP. XIII.

De Elephanthiasi.

ELephas, elephanthiasis & elephantia morbus à similitudine dictus. Similitudo in manibus & pedibus. Nam vbi vectus est, digiti in manibus & pedibus sub tumore conduntur, vt Celsus inquit. Auic. Elephantiam vocat tumorem pedum, vt varices venarum. Alioqui hunc morbum lepram vocat Aetius, elephanthiasin dictam à magnitudine affectionis & diuturnitate & cutis aspe-

asperitate, leontiasim, cum frons leonina cum quodam tenore laxior, satiriasim, cum attolluntur malæ cum rubore, & maxillarum musculi conuelluntur ad similitudinem ridentium, & ad coitum vehemens alacritas, quales Satyri pinguntur. Arist. Satyria morbus, in quo præ abundantia fluxionis, aut flatus crudi in partes facici decumbentis facies animalis diuersi redditur, & Satyri apparet. Vulgo morbus Sancti Lazari, est veluti totius corporis cancer. Paul. in libro Definitionum. Est affectus, qui cutem crassam atque inæqualem reddit, liuoradest, tum cuti, tum oculorum albis, exeduntur partes manuum ac pedum summæ, ex quib. sanies liuida, fœtida, contagiosus est ob putredinem, aut vlcerum, aut anhelitus. Act. Grauis morbus tum ipsi ægro, tum aspicientibus, intolerabilis, ob fœtorem omnes auersantur, etiam domestici & necessarii deuitant eius conuersationem ob contagium. Hodie instituta sunt hospitalia extra ciuitatem. Consistit in mutatione partiũ solidarum, & cum humor melancholicus ad cutem vniuersam expellitur ex victu melancholico, vt lentium, in regione calida, plurimi in Alexandria, in Germania pauci, in Scytia nulli neque lactis potatores. Act. etiam oriri in regione vehemẽter frigida ob congelationem. Cels. ignotus pene in Italia, frequentissimus in quibusdam regionibus. Plin. non ante Pompeium Magnum incepisse, veluti lenticulam in nare. Apprehenduntur viri magis, quam fœminæ. Qui crassum, viscosum & multum sanguinem gignunt melancholicum, & qui pituitam multam salsam aut acidam, qui victu crasso & ægre coctibili vtuntur, ocium. Qui potant assidue aquã ardentem, elexir, aurum potabile, & vinum, aut aquam in vasis æneis, nam virus æruginis elephantiasin gignit, & vina factitia cum sulphure & calce. Auic. leprosos fieri quosdam ex vtero, si concepti fuerint, dum menstrua eiumpunt, ob impuritatem. Et qui vtuntur exercitationibus vehementibus inordinatis. Qui cibos assi-

14 Met. 17.
2. Gl. 10.
1. Ali. fa. 18

 _due

ue in ventre corrumpunt. Iuuenes præcipue cum pu-
pescere incipiunt. Non Eunuchi, ideo multi castratione
liberantur. Duæ species apud Paulum. Subrubicunda
ex sanguine melancholico, fœculentiore veluti limo
adusto, mitior, vel potius minus maligna. Altera ex bi-
le flaua vehementer adusta, malignior, in qua totum
corpus fœdatur vlceribus, & extrema decidunt. Idem
ex pituita salsa adusta. Quædam vniuersalis, quædam
in pede tantum. Signa initio obscura. Aet. Nam princi-
pia generationis eius ferme sunt ignota, cum nullum
adhuc vestigium in superficie, sed intus in visceribus e-
minentiæ oboriuntur in processu, apparent in cute. Præ-
cedunt segnities, spiratio tarda, spirandi difficultas,
motus difficilis, assidua alui constrictio, vrinarum excre-
tio vt iumentorum, anhelitus grauis & fœtidus, ructus
continui etiam ipsis ægris molesti; appetitus non obtu-
sus, neque vehemens impetus ad Venerem intensus.
Ex causis, si versatus sit cum Elephanticis. Si eius paren-
tes infecti. Si victu melancholico diutius vsus sit. Cum
progressus fuerit ad cutem, malæ primum crassiores
fiunt, & mentum; deinde rubescunt non florido, sed
liuido rubore. Sæpius incipit in nare velut lenticula,
mox per totum corpus maculæ variæ; sub lingua venu-
læ varicosæ fiunt, & nigrescunt, quod signum etiam
viscera simili constitutione esse, qualis in porcis grandi-
nes vocatæ. Sanguis ex vena secta arenosus. Eminentiæ
quandoq; per totum corpus, præcipue iuxta summam
frontem & mentum. Corpus ip sorum magnum esse vi-
detur, cum sensu grauitatis intolerabilis. Neq; potu neq;
cibo admodum delectantur, quia sentiunt magis grauari. Cels. totum corpus afficitur, vt ossa quoq; vitiari di-
cantur. Summa cutis inæqualiter crassa, tenuis, dura,
mollis, squamis quibusdam exasperata. Corpus ema-
cescit, os, suræ, pedes intumescunt, lentor per totū co-
pus veluti per vnctum, vt si abluatur, non madefiat. Pu-
sillanimes ad omnia, ægritudinem nō possunt generoso
animo

animo perferre, neque vitam contemnere, veluti se ipsos condemnantes se occultant, & notos homines vitant. Quidam circa somnos quasi strangulantur ob tumores coarctantes. Prognostica apud Paul. & Aet. vt cancer vnius particulæ incurabilis, tanto minus qui in toto corpore. At si recens malum, vt nihil ex summis deciderit, nulla exulceratio neq; eminentiæ tuberosæ plurimũ exurgunt: sola autem facies aspectu ingratior fit, & quodam modo deformior, sed non admodum indecora. Curationem experiemur, longis annumeratur. Vbi vetus morbus est, & digiti in manibus pedibusque sub tumore conduntur, febricula oritur, quæ facile tot malis obrutum hominem consumit.

CAP. XIV.

Curatio.

CVratur elephanthiasis purgatione atræ bilis, sæpius repetita, & interim victus ratione optimos humores gignente. Quod si ætas & virtus permiserit, sanguis prius mittendus. Celsus, protinus inter initia sanguis per biduum vel triduum mitti debet. Aet. paulatim ex vtroque cubito, quo reuiuiscat calor; nam vbi multus & vitiatus sanguis, parum genuini sanguinis inest. Post detractionem paucis interpositis dieb. nouem Paulus, aluus inferne subducenda est catapotiis ex colocynthide duobus diebus aut hiera Archigenis, Celsus elleboro nigro. Post dies aliquot, id est, nouem vel decem, sero lactis scissi vtendum, præcipue asinino, non minus heminis tribus, non vltra quinque. Admiscendum aliquando ellebori nigri oboli tres, scammonii scrupulus vnus cum modico sero ieiunis: deinde ipsum serum per se paulatim exhibendum, sæpius repetendum. Interposita inedia quantum sustinere possit. Deinde vires reficiendæ cibis extenuantibus, boni succi. Vomitus post cibũ vel ieiuniis à decocto Raphani. Postea elleborum decoctũ, deinde bulbos ipsius, confusos vltimo ra- 2. Gl. 10.

menta contusa. Nos tutius pilulas de lapide Lazuli, de lapide armeno, antimonium præparatum. Eadem repetenda quater in anno, vel ter, sed dimissa venæ sectione, incipiendum à hiera, desinendum in elleboro albo. Paul. bis in vere, semel in autumno. Commodum vt tota miscella corporis liquefiat, & alia veluti ex integro reficiatur. Aet. quidam castratione immutant totum habitum corporis. Paul. Nonnulli haud pauci sola capitis adustione multos, qui inceperant hoc vitio laborare, inhibuerunt quinque crustis in capite excitatis, vna in priori parte supra sinciput, altera paulo supra frontem, vbi pili desinunt; alia in occipitio, duabus iuxta ossa squamosa supra aures dextra & sinistra, atque ita pluribus squamis detractis, & copiam, & crassitiem humorū ex alto detrahunt. Sed cauendæ futuræ. Simile remedium Hipp. tradit, inquiens: Vbi capitis cutis crassescit, capite purgato medicamento deorsum trahente, crustas octo capiti inure, duas circa aures, duas in occipitio hinc atque hinc, duas in naso circa angulos, venæ circa aures vrendæ sunt, donec pulsare desinant.

Ad humores in cute neque venæ sectio, neque medicamenta purgantia, Paul. sed euocantia metasyncritica, siccantia & astringentia.

Intus quæ citissime in totum corpus diffundātur, attenuantia & purgantia. Aet. ex Archig. aceti optimi, & cedriæ & succi brassicæ singulorum cyathum vnum mane ieiunis præbeto. Robustioribus mane & vesperi. Vtere per annum semel in hebdomade. Brassicæ decoctum quotidie potandum, cum cedria non datur, cyrenaicus succus erui magnitudine, calamenti succus à cyathis tribus vsque ad sex.

Diacalamintes. Sideritis siccæ folia drachma vna ex vino austero, trifolium bituminosum, cornu cerui, ebur, ex aceto scillitico quotidie post deambulationē. In India quotidie clysterem adhibent ex vrina asini. Crocodili terrestris caro assata in fermento drachma vna quotidie

tidie pota. Aselli sub aquario vase, qui & millepedæ vocantur, numero quinque aut sex poti cum hydromelite cyathis tribus faciunt, præcipue suspiriosis. Scyllæ semen ex melle semicocto delinctum drachma semis. Pastilli scyllini drachma vna ex vino austero. Theriaca per modica interualla post purgationes etiam extrinsecus illita. Pastilli theriaci drachma vna in vino. Sales theriaci inspersi cibis. Viperarum carnes elixæ cum copiosiore aqua, oleo modico, sale, porro, & anetho, quarum vsu squamæ sæpe abscedunt. Actius ius exhibet in sole sedenti capite velato sæpius. Galenus casu vinum, in quo reperta est vipera suffocata, bibitum sanauit elephanticos cucurbitulæ ad os ventriculi, hypochondria inanibus. Eædem partes dropace illinantur ex pice, resinis ad extrahendum. Exercitationes primo molles, voce, deambulationibus, aut sub dio, aut sub porticu vsque ad stadia triginta; postea cutis illinatur ex faba cocta aut ptisana cum succo mali citrii & lauetur. Facies illinatur cerato rosaceo. Plantago illita corpus tuetur. Smegmata varia, dum lauatur, quæ ad Alphos descripta sunt. Pumice, testa sepiæ ex aceto, nitro, sapone. Sed ad tumores inflammatos halica, vel farina ex succo plantaginis, polygoni, portulacæ. *11. Simpl.*

Marrubii. Ad tumores non inflammatos, emollientia & digerentia valida, ammoniacum ex aceto impositum, sulphur, pyrites, auripigmentum viscum, herba Milesia cum axungia, id est, alcyonium, quod Milesium cognominatur, nam rubificat impositum. Sed alternatim mitigandus feruor rosaceo, succo plantaginis. Iterum exerceatur concitatiore cursu; postea potionem aliquam ex prædictis sumat.

Deinde tecta vtatur, aut folle, vt sudet, detergeatur, & illinatur ex adipe vrsino, aut vulpino: lauetur ex aqua marina aut sulphurea, aluminosa, ferrea, vt albulæ, lauacrum sit actu frigidum, non calidum, nisi cum vtendum sit psilothro. Celsus balneum rarum esse debet,

potius vtendum sudatoriis siccis. Plinius celebratum balneum ex sanguine humano, quod propositum ferũt Constantino Imperatori, sed ob crudelitatem recusatũ. Cibus sine pinguibus esse debet, sine glutinosis, sine inflantibus, lac, oua sorbilia, pisces saxatiles, auiculæ. Vinũ non in primis diebus, sed vbi vires recolligẽdæ sunt.

CAP. XV.

De Lepra.

LEpra dicta à Græcis aut quia lepidas, id est, squamas fert, aut à verbo Lepriin, quod significat scabrũ esse. Est cutis mutatio in habitum præter naturam, cum asperitate & pruritu, doloribusque, nonnunquam & squamis decidentibus, interim vlcus plures corporis partes depascitur. Hippocrates inter affectus cutis, qui turpitudinem magis quam morbum faciunt, numerat, lepram, pruritum, scabiem, impetiginem, vitiliginem, alopeciam.

Distinguuntur autem varie ab auctoribus, vnde aliqua confusio orta est. Apud Paul. & Aet. Lepra & scabies, quæ Græce psora dicitur, est asperitudo cutis cum pruritu, in qua corpus absumitur colliquaturque ex humore melancholico. Differunt autem. Nam lepra altius cutim orbiculatim depascitur, & squamulas piscium modo mittit. Scabies summa potius infestat varie figurata, furfuraceaque remittit. Celsi lepræ non meminit, sed sub scabie comprehendit agriam, id est, feram scabiẽ vocans, quæ asperior est, & magis pruit, eadem siccior est. Alcera humidior, ex pustulis exit sanies, fit aliquando continuata exulceratio, serpit in quibusdam cito, in aliis ex toto desinit, in aliis certo tempore anni reuertitur; cutis dura, rubicunda, ex qua pustulæ vel humidiores vel siccio res. Impetigo græce lichen, vulgo volatica Orbiculatim ad vicinos locos serpit. Aet. fit ex serosis humoribus tenuibus acribusque permixtis cum crassis, ideo faci-

facile in scabiem & lepram transit. Cels. quatuor eius species tradit. Oriuntur in pedibus maxime & manibus, vngues quoque infestant. Hodie plurimæ in facie visuntur. Prima similis est scabiei, durior, exulcerata, roditur, pustulas habet similes varis, vnde squamæ, certis temporibus reuertitur, minus mala. Secunda deterior, instar papulæ, asperior, rubidior, figura varia, squamulæ ex summa cute, rosio maior, celerius & latius procedit, reuertitur citius, & desinit, rubrica dicitur. Tertia adhuc deterior, crassior, durior, magis tumet, finditur in summa cute, vehementius rodit, squamosa, sed nigra, late & tarde eminus serpit, in temporibus aut oritur, aut desinit, neque ex toto tollitur, nigra apparet. Quarta omnino incurabilis, distat colore. Subalbida recenti cicatrici similis, squamulas pallidas, alias subalbidas, quasdam similes lenticulæ, demptis aliquando profluit sanguis, alioqui humor subalbidus, cutis dura, fissa, procedit latius. Papula apud eundem Celsum duorum generum est, sed videtur eadem quæ impetigo. Prima per minimas pustulas cutis ex asperatur, & rubet, leuiter roditur, medium habet pauxillo leuius, tarde serpit, incipit rotundum & in orbem procedit, leuiter curatur. Altera Agria, id est, fera, cutis magis exasperatur, exulceraturque, vehementer erodit, & rubet, interdum etiam pilos remittit, nisi sublata est in impetiginem vertitur. Ex his colligere licet, eandem differentiam feri & mitioris in omnibus his reperiri. Si enim in toto corpore;

Scabies dicitur & lepra, si in aliqua particula, impetigines seu papulæ, mitiores, agrestiores, omnes cum pruritu. Sine pruritu autē sunt vitiligines, alphi à Græcis appellati, & leuce, distinguuntur colore. Maculæ quædam sunt cutis, Alphos dicitur. Aet. quia immutat colorem, cutis eiusdem speciei cum leuce & lepra, caro affecta est, non in profundum, sed in summa tantū cute & veluti squamulæ quædam affixæ inhærēt. Albæ quidem 3. Simpl. ca. 2.

dem ex pituita, vnde Leuce dicuntur, nigræ ex atra bile. Paul. vetuſtate penitius recedunt, vt etiam pilos immutent. Celſus tres ſpecies facit. Alphos albus eſt fere ſubaſper & non continuus, vt quædam quaſi guttæ diſperſæ, interdum etiam latius & cum quibuſdam intermiſſionibus ſerpit. Melas, id eſt, niger, vmbræ ſimilis, cætera eadem ſunt. Leuce habet quiddam ſimile alpho, ſed magis albida eſt, & altius deſcendit, in eaq; albi pili ſunt, & lanugini ſimiles. Omnia hæc ſerpunt, ſed in aliis celerius, in aliis tardius. Sed Leuce non facile dimittit.

Cauſa cutanearum affectionum externa quidem contagium eſt, in quibus adeſt putredo. Interna autem expurgatio prauorum ex profundo à partibus principalibus ad cutem, vt tradit Gal. Ideo in vere inter cætera fiũt lepræ, impetigines, vitiligines, puſtulæ vlceroſæ, id eſt, ſcabies. Qui impurgati exercitantur. Aliis vlcera & ſcabies. In tabidis ex ſuppuratione puſtulæ erumpunt in cute. In morbis per viam criſis aceruatim, vt exanthemata, variolæ & morbilli. Nutrimenta mali ſucci pruritus, ſcabiem & lepram cibi ſalſi, nitroſi, acidi pro craſſitie & tenuitate: coctionis deprauatio, hepatis & ſplenis caliditas. Pruritus fiunt à bilioſo aut pituitoſo putri, vel ſalſo; ſcabies à materia ſanguinea ac mixta bile aduſta, aut atra bile, aut pituita ſalſa nitroſa. Vnde quædam humida, quædam ſicca, puſtulæ vel ſanioſæ, vel ſiccæ, latæ puſtulæ minus pruriunt. Lepra ab humore craſſiori magis melancholico. Ideo magis ſicca vel à pituita vehementer aſſata & ſiccata, vnde ſquamæ albæ. Simili modo variolæ albas puſtulas & duras varis ſimiles præ ſe ferunt. Impetiginis genera mitiora ex ſeroſis humoribus & acribus maiori portione admixtis cum craſſis fiunt, ideo ſerpunt velocius & facilius ſanantur. Agreſtiora è contra ex craſſis magis fiunt. vitiligo tam alba, quam nigra ab humore frigido fit, ideo ſine pruritu, ſine vlcere, ſine ſquamis euidentibus. Auicenna morpheam vocat. Leuce fit ob vitium alteratricis in tertia coctione:

vnde

vnde alimentum etiam bonum non in naturam partis conuertitur, sed in speciem nutrimenti albi conuertit. Idem de nigro dicendum, idem in elephanthiasi contingit. Ideo incurabilis. Differt ab elephanthiasi, quia in vitiligine non fit eleuatio cutis, sed depressio. Auic. non enim nutritur. Aetius inquit: Leuce vitiligo est altius insidens ex pituitoso lento & viscoso humore diutius carnem nutriente, superficie leuissima, sed caro in profundum alterata ad albedinem, vnde & pili albi. Vitiatur caro vsque ad os. Auic.

Signa patent ex essentia. Pruritus, qui facile scalpendo sedatur in superficie, magis est materia tenuior. Nam profundior & à materia crassiore, etiamsi scalpendo vehementer cutis abradatur, non tollitur. Si à causa externa, magis superficialis est saltem in initio, nam in progressu profundatur. Scabiei signa, cutis rubidior pustulis acutis inflammatis sanguinea est, quo minutiores pustulæ, magis bilem admixtam significant, vt in morbillis. 2. Sym. ca. 6.

Pustulæ latiores humores crassos significant, pituitosos vel melancholicos. Albæ & purulentæ pituitam salsam significant, nigræ atram bilem. A flaua bile assata sicciores pustulæ, cutis asperior, cum multo pruritu, squamis tenuibus, hæc proprie psora appellata est. A b atra bile squamæ crassiores, profundiores ad lepram accedunt. Lepra tunc dicitur, cum in habitum præter naturam cutis conuersa est, cum asperitate & pruritu, seu squamæ decidant, seu non: proprie autem apud Aetium cum squamæ crassiores decidunt similes squamis piscium magnorum. Sed in sacris latius lepra accipitur pro quocunque fœdo cutis vitio, licet quædam mundior, quædam immundior, quædam magis in superficie, quædam profundior: vnde præcipitur sacerdoti, vt distinguat inter lepram & lepram. Inquit enim, in cuius cute & carne ortus fuerit diuersus color, id est, vitiligo, siue pustula, vt in scabie, aut quasi lucens quiddam, vt squama, id 6. Aph. 9. Lib. defi. Leuit. 13.

plaga lepræ est. Comprehendit & leucem, cum inquit: Cum sacerdos viderit lepram in cute, & pilos in album colorem mutatos, ipsamque speciem lepræ humiliorem cute & carne reliqua, plaga lepræ est, & separabitur. Idem Auicenna inquit de albara alba, quæ idem est, quod leuce, super eam nascuntur pili albi, & cutis est vehementer depressa & defossa magis, quam in reliquo corpore. De illa autem, quæ tantum est in superficie, inquit: Si lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili caloris pristini, si non creuerit vna aut altera septimana, mundus reputabitur, quoniam scabies est. Iterum lepram crescentem distinguens ab ea, quæ sanatur, inquit, cum color albus in cute fuerit, & capillorum aspectum mutauerit, ipsa quoque caro viua apparuerit, lepra vetustissima est inolita cuti perspicuæ immunditiæ. Si autem efflorerit discurrens lepra in cute, & operuerit omnem carnem à capite vsque ad pedes, quidquid sub aspectum oculorum cadit, mundissima lepra iudicabitur, quia omnis in candorem versa est. Si vero caro viuens in ea apparuerit, inter immundos reputabitur, quia caro viua lepra aspergitur. Significat enim sanari, abscedente vniuersa cute, in qua erat sedes lepræ. Impetiginis vtriusque signa manifesta sunt ex singulorum descriptione. Similiter & vitiliginis. Leuiticus inquit. In vlcere sanato & cicatrice obducta color aliquando albus, aliquando subrufus oritur. Si humilior sit cute reliqua, & pili albi nascantur, lepra orta est in vlcere: si pilus sit coloris pristini & cicatrix subobscura, nec humilior vicina carne, siquidem creuerit, adiudicabitur lepræ, si non creuerit, sed steterit in loco suo, vlceris cicatrix est. Experimentum, vtrum leuce sanabilis sit an insanabilis. Paul & Aet. Si acu per summa pungatur non vltra cutem, si sanguis emanat, curabilis est, si lactea humiditas, desperata est. Aut fricetur cutis asperiore panno laneo, si rubicundior euadit, medicinæ locus est, si permanet idem color, consenescit.

Capi-

Capiti propria est alopecia, ophiasis, tinea vulgo appellata, acores. Oriuntur ob vitiatos humores, in quibus pili vitiantur in profundum. Affectio est, in quibus non vitiantur in superficie tantum. Acores humidiores pustulæ sunt peculiares infantibus, vulgo lattimæ, quasi ex lacte oriantur. Siccior tinea. Ex colore cognoscuntur humores. Albidior pituitam significat, nigrior melancholiam, pallidior flauam bilem. Leuiticus lepram capitis & barbæ vocat. Inter affectus cutis non tantum fœdus, sed & morbosus est, morbus pedicularis, de quo inferius dicetur. *1. Catat. 1.*

CAP. XVI.

Curatio.

CVratio lepræ & reliquorum vitiorum cutis. Ad praeuos humores in cute inhibere, quod influit, absumere & dirigere, quod ægrotantem locum occupat, præcauere, ne alii generentur. *14. Meth. 18*

Inhibetur non repellentibus. Satius enim est cutem infestari, quã interna, sed euacuatione per medicamenta purgantia humores peccantes: aliquãdo venæ sectione & victu prauitatẽ corrigente. Post hæc repellẽtia tuta sunt.

Præcauetur roborando hepar & ventriculum, in quibus cibi vitiantur, & parando aliqua emissaria, vt si qui generantur, non retineantur, sed euacuentur per aluum, vrinas aut per facta emissaria. Absumitur fortiter siccantibus, cum vero cutis prauum habitum contraxerit, in psora & lepra & in impetigine fera, adiunctis repurgantibus & extersoriis. Scribit Hippocrates, homo quidam Athenis prurigine toto corpore vexabatur, maxime circa testes & frontem vehementer. Cutis crassa erat per totum corpus, & veluti lepra aspectu, vt præ crassitudine nulla ex parte apprehendi posset. Nemo opitulari potuit, sed transgressus ad Melum, vbi calida balnea, à pruritu & cutis crassitie liberatus est, sed hydropicus factus mortuus est. In Melo Insula foditur alumen, *5. Catat. 5. & 7. 5. Epid.*

vnde

vnde putandum, balnea aluminosa esse, & ob nimiam astrictionem materiam retrocessisse, & cum aqua balnei hydropem genuisse. Recentes sola purgatione & victus ratione sanantur. In inueteratis cutis deprauata alimentum etiam bonum deprauat. Ideo cutis intemperies sananda est, & roboranda.

Venæ sectio conuenit, vbi multitudo sanguinis, aut crassities est, hepatis caliditas, Aetius ex Archigene, in omnibus pruritibus, si iuuenes sint, si nihil aliud impediat, particulatim & paulatim, & quandoque sequenti die sectione repetita. Non in vitiligine præsertim Leuce. Deinde viribus restauratis aluus subducenda est. Galen. ad cutis vitia in capite primum totius corporis purgatio facienda est pro humoris natura. Ego, inquit, semper per hieram purgaui, aliquando adiecto elleboro nigro, aliquando scammonio, aut ex colocynthide; bis in diebus quinque pondus augendo. Exhibitis antea cataportiis ex aloe vndecim citeris magnitudine. (vocantur hæc hodie pilulæ de coloquintida.) Deinde apophlegmatismis capur purgaui.

Victus contemperans prauitatem multus requiritur. At impura corpora, quanto plus nutries, tanto magis lædes. Intelligendum, si praui humores in locis coctionis fuerint, vt in ventriculo, hepate. Ideo prius euacuandi. Ex Asclepiade, ad curationem totam plus valere victus rationem, quam pharmaca. Celsus, cibum minuere, multum ambulare, exercere, siue gestari. Abstinendum abomni vino in totum, à nimia repletione, à carnium esu, caseo & lactis, & leguminibus, omniumque, quæ plurimum nutriunt & inflant. Lac scissum concedit Aet. Fugere plurima exercitia, balnea assidua, & sudationes. Conueniũt ad vires instaurandas carnes hædinæ, vitulinæ, auium non paluſtrium, olera refrigerantia non acria, fructus æstiui, vinum album tenue magis exsiccãs in pituitosa natura, refrigerans in biliosa, humectans in melancholica.

Absti-

Abstinere ab omnibus mordentibus, aceto, succis acidis salsis omnibus extenuantibus. Cels. conueniunt potiones contemperantes, syrupus de pomis simplex, compositus, sapor, de fumo terræ, de epithimo, quæ faciunt ad hepatis expurgationem, & refrigerationem, succi cichorii depurati, aut picridis vnciæ duæ singulis diebus cum syrupo. Decoctio lichenis, quæ vulgo hepatica dicitur in seri hemina alternis diebus quæ purgat.

Lupuli, agrimonia, endiuia, serum caprinum aut vaccinum. Sunt qui decoctum ligni Guaiaci exhibent in humidiori natura.

Ad humores in cute, partim repellere influentes, partim concoquere & digerere pustulas inflammatas, vehementer exsiccare crustas, exterere rebelles, impetigines & vitiligines, emollire induratam cutem. Repellentia ex succo plantaginis, limonum, aceto, cerussa, lithargyro, cimolia, tetrapharmaco. Sed suspecta toti corpori, & in impuris, in seruidis conueniunt magis pristanæ succus cum modico aceto affricatus, portulaca trita per se, parietaria, testudo in oleo decocta, quo totum corpus perungatur ad vehementem pruritum, item lapathi radix in aceto decoct. Lichen. In humidioribus & sanie fluentibus mali punici germina teneriora & folia trita cum aqua, vel posca sæpe illine. Concoquentia, styrax liquida, pix liquida, resina, terebynthina, pinguedines, butyrum, oleum amygdalarum dulcium, thus, crocum, oui luteum assatum. Ablutio ex decocto maluæ syl. vel satiuæ, betæ, fœnugræci, sesani, furfurum, ieiunis ante vnctionem Siccantia valida, piper, staphisagria, ranunculus, rododaphne, sulphur, alumen, bitumen, lauri folia, & baccæ puluere insperg. pine pingui. Lixiuium, muria acida, aqua marina, balnea sulphurea, aluminosa ferrea. Siccantia mitiora in mollioribus naturis, pueris ad variolas & morbillos siccandos, farina orizæ linteis insperga, lentium. Exterentia, nitrum, sal, fæx vini vsta, farina fabarum, lupinorum, lolii, ireos.

Elle-

Elleborum album, ſandaraca, calx viua, ſapo gallicus, ærugo. Poſteriores vtuntur inunctione ex argento viuo, apud Meſuem. ſublimato, mitius mori folia arida trita, ac fricata pruritus tollunt, fici folia, apium cum ſulphure & ſale. Emollientia, galbanum, cucumeris ſyl. radix, iuglandes rancidæ.

Variæ compoſitiones omnium aut quorundam pro exigentia Paul. Aet. & Gal. ad lichenes. Omnia poſt lotionem inungi, aut inſpergi, aut in ipſa lotione affricari debent. Ablutiones moderatæ ex decocto ſaluiæ. Myricæ, mercurialis, origani, pulegii, calamenthi, rutæ. Vltimo conueniunt emiſſaria cauteriis ad brachia & crura.

1. Catat. 1. & 5. Catat. 7.

CAP. XVII.

De Morbo pediculari.

PHtheiriaſis, id eſt, morbus pedicularis. Ariſtoteles inquit, pediculos ex carne oriri puſtulis exiguis, ſine pure, quas ſi pũgas, pediculi exeant. Accidit hic morbus nonnullis hominibus præ nimio corporis humore. Obiiſſe proditũ quoſdam, vt Alcmeonem, Poetam & Pherecidem Syrium. Item in quibuſdam generibus morborum copia naſcitur pediculorum. Pueris & mulieribus in capillo magis, vnde ſaniores degunt. Galen. inquit, capiti contingit pediculorum generatio aceruatim in quibuſdam ex multis humoribus calidis, minus tamen, quam acres ichores, non in ſuperficie, vt furfures, ſed in profundo. Quod dicitur in profundo, quidam accipiunt inter cutem & carnem, at perforatio puſtularum in ſola cuticula fit, vnde pediculi exeunt. Quod igitur inquit Ariſtoteles, ex carne oriri, & Galenus in profundo, ſignificant intra cuticulam; nam & cutis caro eſt. Cauſa materialis humor calidus & humidus, quia viuunt & ex eadem materia nutriuntur, ſanguine ſcilicet viuentium. Theoph. aufugiunt mortuos. Indicant ſanguinem Aui. quia emanat aliquando ſanguis, color non albus, vt reliquorum, aut nigricans, vt qui in capite, ſed ſæpe ſubrubens.

1. Catat. 7. 3. Hiſt. an. 31.

3. can. pla. 12

bens. Inter cibos ad pediculorum generationem facientes, sunt caricæ, viperinæ carnes. Efficiens calor putridus non ex toto, Auic. quia concoctione fit animal. Cõmouentia ad cutem, quod & viperinæ carnes faciunt, commotio vehemẽs in coitu, ob vapores spermatis. Aui. Fouent panni lanei, præcipue ex morticinis, sordes cutis, abstinentia ablutionis, gignuntur sæpe intra sordes, præcipue inter capillos. 2. Alim. 8. 11. Cata. 1.

Quoddam genus in lanugine pubis, vt meretricibus ex sorde genituræ, à figura lata plattula appellata. Petit hoc maxime palpebras, supercilia & barbam partes affines cum materia seminali. Arist. hoc pediculorum genus ferrum vocari, durius detrahi difficilius. Qui intra pustulam gignũtur quidam in toto corpore subrubẽtes, quidam in manu, & scissa pustula egreditur, ichor & exiguus pediculus niger, qui intra cuticulam serpens pruritum facit, vulgo pedicello. Qui in superficie oriuntur inter sordes, ad turpitudinem pertinent. Qui intra pustulas morbum sequuntur, in intemperie calida & humida, ipsi symptomata sunt inter exeuntia mutata toto genere præter naturam, & causæ aliorum symptomatum, extenuationis, resolutionis, virtutis, palloris, inappetentiæ. Auic. Curatio. Prohibere eorum generationẽ, genitos enecare, mundare. 5. Hist. an. 31.

Prohibetur generatio. Auic. mundificatione totius corporis, & proprie per venæ sectionem. At licet sanguis sit eorum materia ex Theoph. adest tamen sanguinis impuritas purgatione egens & alteratione.

Celsus inquit, leuia medicamenta danda sunt, ne cõcitent acriorem pituitam. Contemperatio fit per victũ siccantem & refrigerantem aduersus putredinem. Cibis boni succi, ex auibus, carnibus hædinis assis, piscibus saxatilibus, ex aceto, vino rubro non generoso, ne ferat ad cutem. Lac scissile, fructus austeri, mala, pyra, punica, non ficus. Vitandi acres cibi, bibendum liberalius, quã edendum. Localia, siccãtia & attrahentia ex alto, abluẽtia

tia sordes putridas, & materiam pediculorum euacuantia. Ablutio ex aqua marina, aut muria cum aceto, sed postea melius est cum aqua dulci, lupinorum decoctum, sinapi cum oleo & aceto affricata, cedria.

Staphisagria pediculos enecat, & herbæ succus, quæ tabaccus appellatur, omnia ex oleo affricanda, nam oleum enecat omnia insecta. Astringentia quædam ad repellendum & roborandum.

Grana rhois ex oleo trita, oxylapathi radix, alumen tritum, omnia ex oleo. Quædam inter deleteria ad enecandos tradita sunt. Sandaraca, sulphur, elleborus albus ex oleo & aceto affricata. Argentum viuum extinctum, folia oleandri, hyosciami semen suffitum, hoc facit ad pediculos manus.

Auicenna laudat frequens balneum, vtilis vestium mutatio frequens, ex serico & lino. Intrinsecus assumpta enecant allia decocta, calamentum montanum. Ad pediculos palpebrarum Celsus inquit, super ipsos pediculos, quæ necare eos, & prohibere, ne similes gignantur, nitri spuma, sandaraca, vua taminia. Videtur significare staphisagriam ex oleo & aceto, ob hanc proprietatem appellatur herba pedicularis.

CAP. XVIII.

De Strumis.

TOtius corporis excrementa, quæ per meatus à natura constitutos exitum non habuerint, in aliquas partes regurgitare necesse est, in quibus morbos faciũt. Inter partes autem quædam communes sunt, cutis, glandulæ, articuli, in quas expelli solent superflua, qua ratione partes in ternæ principaliores liberantur. Cutis excipit facillime excrementa calidiora in internis genitã, præcipue in hepate. Glandulæ ad diuisiones venarum appositæ, vt veluti fulcimentum sint, cum natura fungosa constent, humiditates totius corporis recipiunt, præcipue excrementa frigida ex capite descendentia. Quæ enim

enim maiores sunt, situm habent in locis concauis, in ceruice, sub axillis, & in inguinibus, vt facile defluxiones suscipiant, vt tradit Hipp *in libello de Glandulis*, quem ipsemet citat, *in libro de Articulis*: quanquam Galenus non admodum probet, quia videt illum in quibusdam ab eius sententia discedere. Articuli excrementa quæcunque colligunt, tam calida, quam frigida, sed magis frigida ex capite, quæ dolores articulorū pariunt. Glandularum proprie sunt strumæ, de quibus prius dicamus. Strumæ græce Cherades dicuntur, quia numerosa sobole oriuntur Paul. Scrofulæ, vulgo & gaunæ, sunt glādulæ in scirrosum affectum mutatæ. Glandularum duo genera. Quædam ad diuaricationes vasorum, in ceruice, sub alis, in inguinibus, quæ facile fluxiones recipiunt. Quædam ad humiditatem recipiendam, in faucibus, larynge, in mammis, ad vasa spermatica, in mesenterio, corpora scilicet rariora, glandosa, adenes græcis vocata, Struma proprie dicitur in glandulis, quæ adenes, cum fluxionem accipiunt, non suppurabilem neq; calidam, sed pituitosiorem & frigidiorem.

1. Artic. 46

14. Meth. 11

3. Aph. 26.

Pueris adultioribus maxime contingere. Hippoc. in coacis, non fiunt vltra annum quadragesimum secundum, nisi prius extiterint. Aet. inquit sunt carnes subcādidæ facile augescentes in membrana contentæ, & in summa glandulæ induratæ, quæ in collo, sub alis & inguinibus oriūtur, vbi glandulæ vasis substratæ sunt, aliquando sed raro ex carne eorundē locorum fiunt, quæ affinitate quadam ad strumarum naturam vertitur, & materiæ accessione augetur. Paul. inter abscessus membrana includūtur, vt steatomata melicerides. Differunt, quædam magnæ, quædam paruæ, quædā mediæ.

Mansuetæ, quæ sine inflammatione, sine dolore, duritie moderata, tumore circumscripto, rotundo, æquali. Maligiæ tumore inæquali, in quo vasa prominent, cum inflammatione, dolore, pulsu. Hæ efferuntur ad tactum & medicamēta. Loco in colli anteriore parte

dextra vel sinistra, aut vtraque: superficiales, profundiores circa vasa. Eleuatæ, mobiles, insertæ ad tactum renituntur. Multæ simul, paucæ, vna tantum. Sanabiles paruæ. Superficiales, mansuetæ. Difficiliores insertæ ad vasa, nam periculum est effusionis sanguinis. Malignæ incurabiles. Celsus inquit: Est tumor, in quo super cōcreta quædam ex pure & sanguine quasi glandulæ oriūtur, febres mouent, nec vnquam facile maturantur. Et curatæ ferro aut medicamento iterum resurgunt iuxta cicatrices, longo spatio detinent. Nascuntur maxime in ceruice, sed & in alis & inguinibus, & in lateribus, in mammis quoque fœminarum. Ipse vidi Romæ ingenti & numerosa sobole primum in collo ortas, dein sub alis, vltimo in inguinibus, reliquo corpore tabescente: vitiligines sparsas habebat subflauas. Hyeme infestabat fames, æstate sitis, aliquando febricula, aliquando orthopnæa, cum valde intumescebant, nā augebatur tensio ex flatu. Cum hic esset prope quadragenarius & ex nullis medicamentis proficeret, ex quorundā consilio petiit balnea calida, à quibus febris orta est, quæ ipsum sustulit.

14. Meth. 11. Signa & prognostica patent ex dictis.

Curatio communis est cum scyrris, per emollientia & digerentia, præpurgato corpore, in quibusdam vt in abscessibus per ablationem ferro, aut medicamentis putrefacientibus, vt in cancro. Quod non licet in magnis aut multis, aut malignis, quia delitescunt prope vasa magna: chirurgiam docent Pau. & Aet. Gal. inquit: In

2. Gla. in fi. Strumis ea quæ astringere & exsiccare, & pus etiam facere possunt. Astringere in incipientibus, quia ob laxitatem recipiunt fluxiones. Humor vero crassus impactus repelli nequit, sed digeri expostulat per exsiccantia, quæ digeri non possunt ob crassitiem, putrefacientibus egent, hoc modo abeunt in pus. Astrictio fit lamina plumbea alligata, nam prohibet incrementum: fouere ex astrin-

3. Catat. 2. gentibus in posca decoctis, malicorio, myrtho. At repellere non licet in fluxionibus ad emunctoria: periculum

lum enim, ne materia regurgitet ad partes principes. An cum per crisim fiunt parotides aut bubones, aliique abscessus, non repellendi, sed in strumis paulatim congeritur materia, si præcedat euacuatio, nullum periculum. In processu emollientia per resinas, pinguedines, galbanum, ammoniacũ, digerentia præcipue ex fomento cum aceto extincto pyrite, interiectis emollientibus. Cortex radicis mandragoræ cum cerato Cyprino aut vino. Aet. Strumas erodit sandaraca, aut calx, aut nasturtium cum adipe caprino. Allium tritum cum fuligine ex pinguedine aut cerato applicatum.

Intrinsecus dissoluunt strumas viperarum esus. Aet. vt in elephanthiasi. Celsus experimento rustici cognitum, si anguem edat, liberari. Recentiores scrofulariæ minoris radices cum melle delinctas: eiusdem aqua distillata in potu, & fomento. Plinius strumeam vocat, quia medetur strumis. Scrofulariæ maioris herba & succus illitus, aqua distillata in potu ad vncias quatuor mane & vesperi, & linteoli in ea madidi impositi. Cástrangula, si eius radices cum farina in placentis, aut cum melle sumantur, vt vinum vetus superbibatur mane & vesperi ieiuno ventriculo, eicit sudores. Aluus sit solubilis, tenuis victus, vomitus frequens, caput resiccare.

Pustulas in syncipite excitare, vt ex radice Capparis cum polenta. Pulueres alii & lmegmata Aet.

CAP. XIX.

De Morbo articulari.

ARtritis, articulorum dolor, vulgo artetico appellatur, cum in omnibus articulis affectio est. Particulatim Ischias dicitur. Coxendicis dolor, vulgo sciática: Podagra in pedibus, chiragra in manibus; vulgo gotta. Incipit plerumque podagræ generatio in vno articulo, & in processu progreditur in omnes. Aetius Arthritis cum progreditur ad plures vel simus in omnes, aliquan- 10. Cata. 2.

quando ad vertebras, ad costas, ad maxillas. Causa: humor redundans in coarticulatione affecta, qua expleta, in omnem partem circumsitæ neruosæ particulæ tenduntur. Vtplurimum pituitosus, aut mixtus ex pituita & bile, aut etiam sanguine. Humor crudus vtplurimum dominatur, crassus ad similitudinem puris crassioris, qui diutius retentus viscosior redditur, & in tophum seu callum vertitur.

Trall. materiam esse sanguinem, pituitam, bilem, melancholiam, calidos humores dolorem efficere inflammando & distendendo, frigidos constringendo, & distendendo, vel etiam grauando. Nudam etiam qualitatem articulorum calid m vel frigidam, humidam aut siccam fluxiones concitare. Hipp. inquit. Coxendicum morbus ex his maxime causis fit plerisque, si quis diutius in sole versatus coxendices calefecerit, & humores in articulis exsiccauerit: æger vertere & mouere non potest præ dolore & congelatione. Fit autem & à bile & pituita, fit etiam à sanguine dolor consimilis, velut ab omnibus morbis & rigor & febris aliquando corripit. Item fit, cum bilis & pituita sanguinem compegerint in venis, Ischias in vena sanguiflua, id est, latiori, podagra autem in exiguis.

Et iterum inter fluxiones à capite, si modicus fluxus fuerit coxendicum & articulorum diuturnam affectionem facit, vbi fluere cessauerit. Nam modicus ab omnibus vndequaque depulsus, vtpote fortioribus, ad articulos refugium facit. Fiunt præterea à talibus morbis sanatis, cum morbum efficiens sanatur, in carne autem quid relictum fuerit, cui non sit exitus, neque rursus intro, neque foras, sed aut ad cutem tuberculum effecerit, aut fugerit in id, quod cedit, scilicet in articulos. Causæ procatarcticæ. Aet. Cruditates coaceruatæ, ebrietates, venus immodica, deambulationes concitatiores quam pro consuetudine, stationes diuturniores, suppressæ excretiones familiares, intermissiones exercitiorum.

rum. Contrahuntur vtplurimum à parentibus, bibere multa & potentia vina, præcipue ieiunis: nam offendunt partes neruosas tam vina quam venus.

In siccitatibus. Qui præ fame leguminibus vescebantur, infirma habebant crura in Aeno. Qui orobos comedebant, genua dolebant. Signa Artritidis dolor & calor in alio atq; alio articulo acutus, aliquando mollior. 3. *Aph.* 16. 2. *Epi.*

Coxendicis dolor in coxæ iunctura ad summas nates, coxendicem, tandem per totum crus vagatur per venam sanguifluam, & vbi constiterit, ibi dolor manifestior, molestus. Dolet maxime lumbos, vertebras ex obliquo iuxta coxendicem & genua: consistit multo tempore in inguinibus simulque coxendicibus acutus & æstuosus. Si quis erigar, aut transmoueat, quam maxime eiulat præ dolore, aliquando succedit conuulsio, rigor & febris. *De aff.* *De int. aff.*

Podagra violentior est cæteris & diuturnissimus morbus ægre cedens. Quanto autem in tenuioribus fuerit venulis & in plurima corporis necessitate constitutis, & in neruis & ossibus multis & densis, tanto durabilior est, & ægerrime depellitur. Non contingit ante vsum Veneris, non eunuchis, non mulierib. Signa humoris affligentis ex colore, symptomatis, Bilioſus sanguis cum sensu multæ caliditatis, exacerbatur à calefacientibus, iuuatur à refrigerantibus: Non tumor manifestus, color rubeus. Ex causis, victu ante acto, exercitationibus, anni tempore, constitutione, ætate, habitu. Pituitosi maior tensio quam caliditas, color albidus læditur à frigidis. Ex causis: Victus plenus, ocium, balnea, leguminum vsus, in senectute, melancholiæ dolor grauans magis, quam distendens, color fuscus in habitu melancholico, ætate, anni tempore, victu, in Autumno sanguis repletionem magis facit, quam feruorem cum multo rubore, pulsu læduntur tum à calidis, tum à frigidis in vere. Prognostica. Artritis morbus breuis acutus, non lethalis, in iunioribus magis contingit. Coxendicis dolor molestus *De aff.* 6. *Aph* 28. 29. 30. 10. *Cata.* 2. 5. *Aph.* 31. 3. *Aph.* 22. 3. *Aph* 20. *De aff.*

non lethalis diuturna affectio. Podagra diuturnissima morbus ægre cedens, quia in neruis & ossibus multis ac densis & in multa necessitate constitutis.

Trall. Podagram incurabilem iudicari ob imperitiã Medicorum. Induratæ enim in callum aut tophum in pristinum exacte non reuertuntur. Aet. soluuntur intra quadragesimum, si non contingat error.

CAP. XX.

Curatio.

CVrationis principium euacuatio humoris affligentis. Venæ sectio prius in cubitu ad Ischiadicos & podagram, vt remulsio fiat, postea deorsum ex crure eiusdem lateris incisis venis externis in talo aut poplite ad Ischiadicos, nam certissime sanat. Idem in chiragra faciendum, non in podagra, ne humor trahatur ad pedem. Medicamenta purgantia & clysteres incipiendo à leuioribus. Ad bilem, contemperanda prius est & humectanda, deinde purganda sæpius. Trall. componit succi rosarum libras duas, mellis libras quatuor, scammonii torrefacti vncias quatuor, coquantur simul dosis cochlearia duo vsque ad quinque, addit & agaricum & piper. Aliud ex malo cotoneo assato incluso scammonio, (hodie diagridium vocant) deinde incocto cum melle. Nos syrupum rosatum solutiuum habemus, electuariũ rosatum Mesues: rhabarbarum, pillulas sine quibus. Ad pituitam, præcedat præparatio ex oxymelite, hissopo, origano, saluia, betonica: sed calorifica suspecta sunt in principio, quia fundant humores, & fluxiones augent, satius est prius fluxionem sedare ex syrupo violato, postea mediocriter digerere, & incidere ex oxymelite. Medicamentum purgans ex agarico, diaphœnicone, pilulis de coloquynthide, de hermodactylis fœtidis, de lapide armeno. Ad melancholiã præparatio ex victu humectante, melissa, buglossa, syrupo de pomis. Medicamentum purgans ex sena, epithymo, polypodio, elleboro nigro;

gro, confectio ex hamech. confert in podagra purgare per superiora vomitu, post cibum magis quam per deiectiones. Ad particulas aff ctas, coxendici non conueniũt repellentia ob profunditatem, in principio mitigatoria neque multum refrigerantia, neque vehementer calefacientia. Ex Asclepiade, fœnugrœcum ex posca coctum ex melle contritum in cataplasmate. Aliud ex symphito trito manna thuris, ouis, pinguedine porcina. *10. Cata. 2.*

Efficacius ex pice, sulphure, galbano, ruta, nitro, baecis lauri, abrotano; colocynthidis medulla, pinguedines, resinæ, oleum ruraceum, cyprinum. Extrahentia exhiberi debent cum axungia ex Damocrate. Gal. cucurbitulam affigit exterius, & clysteres acres interius, ex decocto colocynthidis, centaurii. Aet. Hip. ad coxēdicem cucurbitulam magnam sine scarificatone, & calefactoria medicamenta in potu. Paulus theriacam. Trall. antidota componit, exhibens per sex menses & annum. Hipp. ad coxendicem, cum dolor tenuerit, mollire, in quacunq; crutis parte hæserit, per balneum & fomenta tepefactoria aluum subducere. Cum dolor quieuerit, pharmacum infra purgans. Postea bibat lac asinæ coctum. Si non quieuerit, vrito vbi firmatus fuerit dolor, ex lino crudo. Celsus vrendum tribus aut quatuor locis. *Hipp. in Apho.* Quibus à coxendicum dolore diuturno excidit coxa, iis crux tabescit & claudicant, si non vrantur. Ad Ischiadicos ex sole, humectetur fomento, & cibis humectantibus elixis, vino albo aquoso, quies; exurgat tamen singulis diebus & modice deambulet, non frigescat. Cum optime humectatum fuerit, leni fomento vehementer foue. Postera die medicamentum purgans exhibeto, aut clysterem, ex colocynthide, cumino, nitro, melle, oleo, vino, betæ succo, si non cedat, vrito multis ac profundis crustis, abstineat à vino, victus siccissimus, deambulet, si non potest, dimoueatur in lecto, ne articuli glutinentur. Ad podagram & chiragram. Repellentia in initio, aqua frigida large affusa. *De loc. in. hom.* *De aff.* *De int. aff.* *10. Cata. 2.*

Tumores articulorum & dolores absque vlcere, podagricos quoque atque conuulsa leuat & extenuat, soluitque dolorem. Galenus duplici ratione repellendo, & torporem inducendo. Celsus non quotidie nec diu, quia neruos lædit. Nam cõgelantur ligamenta, tendines & humores in callos & tophos. Aet. & Hipp. *de affectionibus inquit.* Arridicis conducit adhibere frigefactoria, qua parte dolor hæret, & quæ sunt in aluuo subducere per clysteres, aut glandem. Cum vero dolor intus fuerit pharmacum infra purgans, & post hoc serum coctum, & lac asininum. Podagricis eadem curatio. Si vero relinquatur dolor in digitis, venas inurito paululum supra digiti nodum. Paulus, Aetius, & Trall. repellunt non per aquam frigidam, sed per astringentia nunc calida, nunc frigida, nunc mixta, pro humorum varietate. Aet. tamen inquit, in bilioſa quendam auxilium sentisse pedibus, in aqua frigida impositis. An repellere conducit ad quemcunq; humorem fluentem, vt de oxyrrhodino ad caput asserit Galenus. Post perfusionem ex aqua frigida Asclepiades cataplasmata calidissima imponenda, quantum perferre possint, ex quibus bullæ excitentur, quibus perforatis humor mucosus emanat. Iterum abluit aqua frigida, iterumque cataplasma imponit ex radice Capparis, chamæleonis nigri, semine cicutæ, radice mandragoræ, solani, tusis & cribratis, ex passo & fæce vini arida feruefactis. Mitius dolorem sedans in ipsis vexationibus.

Cataplasma ex medulla panis madefacta aut decocta in lacte, addito croco & oleo rosaceo, aliquando & opio, imponatur cum foliis betæ aut lactucæ. Aet. inquit, non tangendos pedes aqua aut oleo, vt cæteræ partes dolentes, nam relaxant, vnde fluxiones promptius recipiunt, sed ex posca, aut decocto astringentium, cum abluere oporteat, laudat oxyrrhodinum, cum dolor est in profundis, ex vino & oleo, cum est in superficie. Ad flauam bilem in principio vsque ad vigesimum, vt in erysipelate.

late. Semper viuum, rosæ virides, parietaria, anchusa, polygonum, portulaca, solanum, plantago, lenticula palustris, lactuca, malua. Postea farina hordei, fabarũ, chamæmelum ex adipe suillo recenti. Rosaceum cum betæ succo. Ad pituitam in principio cupressi folia & pilulæ in vino cocta, Ciperi radix, rhanni folia simili modo cocta, vt fiant irrigationes. Postea cataplasma ex farina lolii, fœnugræci, ciceris, aristolochia, gentiana, peonia, brionia, abrotano, ruta, sampsuco, lauro, pulegio. Ad humores melancholicos eadem. Cum non sustinent cataplasma, irrigationes ex iisdem decoctis nunc in aceto, nunc in vino, aut adiecta aqua, spongiæ madidæ aut lintei applicandi. Victus in exacerbatione tenuissimus, sine vino. Præseruant euacuationes in vere & autumno; frictio manuum & pedum ex oleo & sale, præcipue ad humidiores, vt tradit Aet. ex Philagrio. Celsus vbi triduo aut quatriduo vinum bibit, interponat aquæ potum vno aut altero die.

Libri Quarti Finis.

ANDREAE CÆSALPINI ARTIS MEDICÆ

LIBER V.

De morbis Capitis.

PRÆFATIO.

CAP. I.

CAPVT, cuius affectus primum quærimus inter partium morbos, principaliſſim. à Galeno ponitur ex Platone, tum quia animæ ſedes cenſeatur tanquam Regia, tum quia per eam partem non ſolum principum facultatum operationes exerceantur, nempe rationis, imaginationis, & memoriæ, quibus homo cunctis animalibus præſtat, ſed etiam quia per eandem toti corpori ſenſus & motus diſtribuatur, quibus animalia à cæteris viuētibus diſtinguuntur, vt per hanc ſolam partem & animal & homo in rerum natura conſtitui videatur. Quid igitur mirum, ſi etiam languores, qui ex capite contingunt, ſint omniū deterrimi, vt teſtatur Hippocrates? Quid enim infelicius homini contingere poſſit, quam ſi morbis mentis corripiatur? vt furore, melancholia & obliuione? Quid grauius, ſi morbus vergat in corpus? vnde fiunt repentinæ obmuteſcentiæ, & totius corporis immobilitas, vt in apoplexia? Quid atrocius, ſi in conuulſiones & epilepticas agitationes incidant? At vero difficillimum eſt, eorum cauſas tenere, quæ modo mentem, modo corpus lædunt, quibus ignoratis etiā curatio-

tionem ignorari neceſſe eſt. Nam præterquam, quod magna eſt inter Peripateticos & Medicos de principatu animæ controuerſia, vtrum in cerebro, vt Medici aſſerunt, an in corde, vt Ariſtoteles, ſtatuendus ſit? De mente, ſi eius operatio eſt ſine corpore, vt Ariſtoteles & Plato conſentiunt, nequaquam aſſerere poſſumus, alicui particulæ delegatam eſſe, nec affici à cauſis corporeis. Quod ſi aliqua noxa ex corpore tranſeat in mentem, vt compertum eſt, non minus affectis præcordiis, quam cerebro id contingere videtur. Extant enim in vtramque ſententiam non ſolum Philoſophorum, ſed & Medicorum grauiſſimorum placita. Nam legitur apud Hippocratem, ſanguinem in homine maximam partem conferre ad prudentiam, quidam dicunt, totum. His conſentit Ariſt. intellectum inſequi ſanguinis puritatem.

Quatenus igitur in corde principium eſt ſanguinis huiuſmodi, præcipue in eius ventriculo ſiniſtro, Hipp. *in libro de corde* inquit.

Mens hominis in ſiniſtro ventriculo inſita eſt, & reliquæ animæ imperat. Et in libro de virginum morbis inquit. Cum ſanguis præ multitudine reſilit in cor, & ſeptum tranſuerſum, cor fatuum fit.

Oppoſitum autem legitur *in libro de ſacro morbo*, qui potius eſt Democriti, ex quibuſdam ſententiis, quas Ariſtoteles Democrito aſſcribit. Negat in eo libro, homines corde ſapere, vt quidam dicunt, ſed cerebro. Quã ſententiam ſequutus eſt Plato & Galenus. De morbis autem corporis, quæ ſint cauſæ, à quibus modo neruorum agitatio, modo immobilitas & inſenſibilitas fiat, valde difficile eſt decernere: vnde & eorum curatio perplexa atque admodum difficilis redditur. Capitis igitur morbi & ob membri præſtantiam, & ob difficultatem ſumma egent diligentia, vt pro ſalute ægrotantium & pro Medici gloria exacte pertractentur, quod

pro

pro viribus, implorato diuino auxilio, enitar perficere, hinc sumpto exordio.

CAP. II.

Capitis constitutio naturalis.

TRes partes maxime necessariæ in omnibus animalibus sunt. Superior, qua cibus sumitur: Inferior, qua excrementa excernuntur: Media, in qua vitæ principium continetur. Vnde tres ventres, caput, thorax, abdomen; & tria viscera principalia, cerebrum, cor, hepar; tres facultates principales, animalis, vitalis, naturalis. Omnes vtuntur instrumento communi, qui spiritus appellatur, & calor innatus, quod proximum est animæ instrumentum. Communi adiunguntur propria singularum instrumenta, vt ad sensus sensoria, ad motus voluntarios musculi cum neruis, ad coctionem alimenti ventriculus, hepar, ad perfectionem cor, & quæ ad expulsionem excrementorum, & attractionem & ductum alimenti & spiritus in totum corpus faciunt. Ad principales autem facultates animales, scilicet rationem, imaginationem & memoriam, ponitur ipsum cerebrum tanquam simulare ratione temperamenti. Caput igitur est, in quo cerebrum, & tria sensoria mollioribus neruis indigentia, Oculi, nares, aures. Eius particulæ sunt cerebrum, duæ membranæ, caluaria, cutis cum suis capillis. Ingredientia venæ & arteriæ, egredientia nerui & spinalis medulla. *2. part. an. 10.*

Cerebri medulla inter glandulas maxima ponitur ab Hippocrate in libello de glandulis. Indicio capilli, vt ex cæteris glandulis, substantia alba & mollis ad vasa fulcienda. Mollities, vt omnes sensus, imaginationes & intellectiones reciperent. Idem confirmat Arist. propter duritiem recipientis non fieri impressionem in anima. *8. Vs. pa. 6. De mem. 1.*

Frigida & humida exanguis. Aristoteles frigidissimũ omnium secundum naturam, vt cordis calorem contemperet. Indicio excrementa pituitosa actu frigida. Galenus *2. Temp. 3. & 5. Aph. 17.*

lenus impugnat, nam tactu calidius esse quam aer ambiens etiam æstiuus, lethale, si æque refrigeretur. An hoc paradoxum, nam calor æstiuus nō gigneret bilem, & febres, si frigidior esset cerebro. Lædituraut cerebrum denudatum à quocunque aere, expirante calido innato influente à corde. Recipit enim multos spiritus calidos ad superiora tendentes, vt inibi contemperentur ad exquisitiores sensus perficiendos. Obid homo prudentissimus, quia in cerebro humidissimo & maximo etiam cordis calorem purissimum obtinet, quod temperamentum intellectus significat, nam sanguis tenuior & frigidior vim sentiendi & intelligendi pleniorem obtinet. Distinguitur cerebrum tanquam organicum in quatuor partes. Dextrum & sinistrum, Basim & cerebellum in posteriori diuidentibus membranis. Singulis ventriculus datus est, ad excrementorū expurgationem ad nares ex dextro & sinistro, ad palatum ex omnibus, nam peruii sunt duo superiores & posterior ad basim descendentes. Membranæ cerebrum tegunt duæ meninges vocatæ temperamēro calido: vna vulgo pia mater tenuis & mollis instar retis ex venis & arteriis contexta annectitur cerebro subingrediens per anfractus, vnde vasa tenuissima in medullam dispensantur exterius, interius autem ex plexu retiformi ventriculos vestiente. Altera crassa & dura, ossi caluariæ adhæret, relicto inani spatio inter vtramque membranam ad cerebri dilatationem. Hæc propaginem dimittit, qua diuiditur cerebrum à cerebello, & dextrum à sinistro. In diuisione sinus constituit plenos sanguine, vnde vasa in tenuem distribuuntur & in duram. Sinus quatuor, duo sub sutura lambdoide, tertius sub sagittali, quartus inprofundum tendit sub angulo lambdoidis, qua cerebrū à cerebello dirimitur. Per suturas membrana dura egreditur extra caluariam, pericranеum constituens, qua parte prohibet Hippocrates scalpello vti, ne fiat conuulsio. Caluaria græce κρανίον quasi galea constat ex ossib.

sc-

septem inuicem commissis instar futurarum lambdoides, posterior ad os occipitis, coronalis anterior ad os frontis. Sagittalis in vertice à fronte ad occiput diuidens ossa verticis in dextrum & sinistrum. Duæ squamosæ in temporibus supra aures, qua coniunguntur ossa temporum cum ossibus verticis. Septimum os sub basi cerebri est sphenoides vocatum, vnde spinalis medulla egreditur iuxta os occipitis.

Perforatur cranium ad oculos, aures, nares, palatum, partim ad sensoria, partim ad exitum excrementorum, ad nares & palatum ossa colatoria posita sunt spongiosa, abutitur natura etiam auribus & oculis ad quædam excrementa. Perforatur & ad exitum neruorum, ad spinalem medullam, & ad ingressum venarum & arteriarum, loca periculosa ad exitum excrementorum, vt contingit in distillationibus. Cutis exterior, siccior, sine carne subiecta, superne capilli ex fuliginosis excrementis longiores, quam in aliis glandulis ob cerebri magnitudinē, & ad tegendum. Arist. Caput hominis macilentum, vt cerebrum non calfieret. 2. *Temp.* 1. 2. *part. an.* 10.

Ingrediuntur in cerebrum venæ & arteriæ, ex iugularibus ad perforationes ossis sphenoidis superne ad sinus posteriores, vnde sanguis in reliquos sinus: putauit Galenus venas tantum ex dextra & sinistra iugulari: inferne ad cerebri ventriculos dextrum & sinistrum, arterias tantum putauit Galenus ex soporariis appellatis, quæ Græce carotides vniri in basi, & plexum reticularem constituere, quod rete mirabile appellatur, inde ascendere duobus ramis dextro & sinistro, ad dextrum & sinistrum cerebri ventriculum, iterum coire ad medium & quartum in membranam retiformem, vnde fit cerebri pulsatio. At Anatomici posteriores in homine inuenerunt tam superne ad sinus, quam inferne ad ventriculos venas cum arteriis ferri: ex quibus vnum corpus fit, ideo pulsare membranas non ipsum cerebrum. Egrediuntur ex cerebri basi anterius neruorum paria, se-

septem præter mamillares processus, qui ad nares porriguntur ad olfactum. Primum ad oculos, qui optici, id est, visorii appellantur. Secundum ad oculorum musculos. Tertiũ duplici radice ad tempora, maxillas, & linguam. Quartum ad palatum. Quintum duplici radice & per plures perforationes ad inferioris maxillæ musculos attollentes, & ad aures fertur. Sextum ad ceruicis musculos, & laryngem, & omnia viscera distribuitur. Septimum ad ceruicem, & sexti paris ramos quosdam adauget. Posterius ex basi spinalis medullæ amplo foramine. Putat Galenus, ex cerebello oriri ob duritiem, vnde nerui duriores in totum corpus. At posteriores Anatomici ex ipso cerebro oriri prope contactum cerebelli. Indicio neruorum multitudo, & consensus. Consensus manifestus est in vulneribus capitis, si conuulsio aut paralysis contingat. Inquit enim Hipp. Autonomus in *De vul. ca. & 5. Epid.* Omilo ictus in futuras in medio syncipite, conuulsus ad ambas manus, quia vlcus erat in medio. Famula autem conuulsa ad manum sinistram, quia vlcus erat in dextra. Hoc nostris mirabile visum est, & nemo rem tetigit. Præcipuum autem hoc argumentum est, neruorum originem ex postremis arteriis ortum ducere, vt tradidit Aristoteles. Postrema enim arteriarum in neruos exeunt. Apud Athenæum & Cassium nerui vnius lateris oriuntur ex vasis oppositi lateris. Quod recta ratione factum *3. Hist. an. 3 & 5.* est, vt longo itinere spiritus magis perficerentur tactu medullæ cerebri, quod Chimistæ imitantur, cum ex vino per sublimationem eliciunt aquam ardentem. Nisi enim ascendentes spiritus aqua frigida per fistulã in spiras retortam transeuntes refrigerarent, euanescerent. Necesse est igitur, vasa ex dextra & sinistra cerebri parte ad oppositum latus descendentia in basi se intersecare, quod in quibusdam manifeste patet. Nerui enim optici, vtpote qui cæteris crassiores sunt circa initia, intersectionem manifestam faciunt, quamuis Galenus in opposita fuerit sententia, non intersecare se, sed coniungi

ac

ac disiungi. Sed Hippocrates in libro de ossium natura nostram sententiã confirmat, inquiens: Oculus dexter ex sinistro venam susçipit & è contra. Hinc patet ratio consensus simul & conciliatio Aristotelis & Galeni circa ortum neruorum.

CAP. III.

Enumeratio morborum capitis, & de dolore.

MORBI capitis externi comprehensi sunt inter morbos cutis. Interni, qui intra caluariam, & in ipsis sensoriis hoc loco tractandi sunt. Patiuntur intemperies cuiuscunq; generis cum humore, & sine, tumores, obstructiones, vasorum apertiones, solutionem continui, à quibus læduntur actiones animales, aut naturales.

Denominantur autem plurimi ab actione læsa, vt circa principes facultates deliria, cuius species Phrenisis, mania, & melancholia, vitia rationis aut imaginationis.

Obliuio, lethargus, vitia memoriæ, quarum species caros, catalepsis.

Vigiliæ, sopores, vitia circa sensus vniuersales.

Circa motus, vertigo, rigor, tremor, conuulsio. Cuius species epilepsia, Tetanus, Emprostotonos, Opistotonus inter deprauatos. Torpor, Apoplexia, Paralysis inter diminutos & deperditos.

Circa facultatem naturalem Grauedines & distillationes.

Hydrocephalon, id est, capitis hydrops.

Circa sensum tactus, dolor capitis, de quo prius agemus.

Dolor capitis, græce Cephalalgia, & cum antiquus est Cephalea. Arabes Sodam vocant. Est insigne symptoma sensus tactus. Tristis sensatio, quæ actio est deprauata. Contra: sentire rem vt est, non est deprauate sentire. Potius vitium esset, si non sentiret aut pungi, *Sympt. dif. 3.*

2. *Aph.6.* aut vri, significaret enim aut non esse sensum in parte vt in paralysi, aut mentem ægrotare. Quidam soluunt, deprauatam dici ratione obiecti lædentis, quasi sensus secundum naturam sit solum obiecti iucūdi, non tristis.

At datus est sensus animali non solum vt iucunda persequeretur, sed etiam vt corrumpentia aufugeret. Dicendum est igitur, dolorem à Medico considerari, quatenus insequitur prauas dispositiones corporis, non obiectum externum dolorificum. Requirunt enim remedia dispositiones corporis, quarum symptoma est dolor actionis deprauatæ. Qui autē ab externo obiecto fit, non symptoma est, sed accidens, prauæ autem dispositiones aut per se tristem sensum efficiunt, tanquam aliquod obiectum corrumpens suo excessu, vt in erysipelate & venenis, aut quia pars imbecillis redditur, vt a quocumq; lædatur vel mediocri, vt in cephalæa contingere scribit Galen. & cutis detecta vel minimum tactum ferre nequit, hoc modo. Symptoma est dispositionis,

2. *Catat.8.* vt etiam doleat à non dolendis. Insequitur autem varias dispositiones, vnde varia curatio; intemperiem præcipue calidam & frigidam, minus siccam, minime humidam, aut simplicem, aut cum humore. Humorum multitudinem grauantem, distendentem, obturantem, vel qualitatem mordentem. Flatus distendentes aut mordentes. Causas externas, vt ardorem, frigus,

22. *Meth.7* ebrietatem, plagas. Sed hæ considerantur à Medico quatenus relinquunt in corpore prauas dispositiones. Ab eodem Galeno reducuntur omnes causæ ad alteratio-

2. *Catat 1.* nem confertim factam, vel solutionem continui in par-

4. *Sympl.2.* te sentiente. Alibi ad solam solutionem continui. Nam

3. *de an.67.* frigidum mordax & calidam, quia soluunt continuum contrahendo vel dissoluendo. Auerr. solam intemperiem causam esse immediatam. Aristoteles videtur vtrumque ponere, cum inquit. Tangibilium excellentia, vt calidorum, frigidorum, durorum, corrumpit animal, quia corrumpit sensum tactus. Tristabilia autem sunt,

quæ-

quæcunq; corrumpunt, à quibus oportuit fieri sensum tristem, vt animal aufugeret. Pro conciliatione supponatur, sentiri in dolore obiectum tangibile corruptiuũ per excessum, vt calidum, frigidum, durum.

Sentiens organum tactus, id est particula sensu prædita. Actio est ipsa sensatio tristis, id est dolor. Cum dicitur sentiri dolorem, aut per dolorem accipitur dispositio dolorifica, vt solemus dicere vulgo dogla calda, dogla fredda, vt Galenus monet; aut ipsamet sensatio tristis, cum à sensu communi percipitur, quo sentimus nos sentire, quam mentem vocat Hippocrates, cum inquit: Quicunque dolentes dolorem non sentiunt, iis mens laborat. Antiqui enim non solum rationem, sed & phantasiam & omnem sensum internum mentem appellabant. At vero si vnius vna causa est immediata, plura obiecta seu alteratio & solutio continui ad vnam reducenda. Forte illud vnum est corruptio organi, vt dolor sit sensus corruptionis. Aeque autem corrumpit excessus quicunque, vt calidum, frigidum, durum, soluens continuum. Verum non videtur omne corrumpens dolorem facere, vt narcotica corrumpunt sine dolore, & intemperies humida putrefaciendo corrumpit, non tamen humiditas dolorifica est. Item dolorifica etiam sunt, quæ in statum naturalem ducunt, vt vngues refrigerati cum repente ad naturalem statum reducuntur. Non si sensim, neque corruptiones sensim factæ dolorificæ sunt, vt patet in marasmo & in multis febribus. Anvnica ratio est, quam tradit Gal. solutio continui in parte sentiente. Non enim omnis alteratio corrumpens, sed quæ confertim fit, dolorem affert, hæc autẽ soluit motu partium sensibili. In senectute & febribus quibusdam sensim alteratione facta, non fit motus diuellens: narcotica prius destruũt sensum. Humida intemperies nõ dolet, quia non diuellit, sed potius solutas partes vnit, ideo inter anodina, licet corrumpat putrefaciendo. Contra. Si omnis dolor à solutione continui fit, male Galenus

2 *Aph.6.*

2 *Catat.1.*

12 *Meth.7*

educit ad auas; alterationem confertim factam, aut solutionem continui. Forte inibi quærebat dispositiones morbosas, quibus debetur curatio, quarum altera non educitur ad alteram, vt intemperies, plagæ, in quibus est manifesta solutio. At solutio continui, quæ est in omni dolore, non est morbus, sed passio nunc manifesta, nunc obscura, vt quæ in alteratione fit, confertim facta. Solutio autem facta & permanens morbus est, vt in vulnere: at non dolet, nisi alteretur aut contrectetur. Vnde Auerrois opinio. Solutio fiens est de essentia doloris, quia sensatio tristis ab obiecto soluente fit, non agente non fit sensatio. Dolet igitur, dum fit. Quoniam autem sine motu non fit solutio continui, causa immediata erit, motus diuellens corpus quod sensit. Motum illum efficientia causæ erunt remotiores & plures, vt tendentia, replentia, mordentia, confundentia, calida, frigida, siccantia, dura, & alia. Est igitur dolor sensus diuulsionis in organo tactus. Hæc enim explicat propter quid.

Causæ disponentes ad facile patiendum, particula maxime sentiens, neruosa, imbecillis, caro nudata à cute, densa, inflammata: nam à quocunque motu diuelluntur.

CAP. IV.

Doloris differentiæ & signa.

DIfferunt dolores ex specie sensationis, ex affectione, ex particula. Species seu modus doloris pungens, acutus, mordax, vt in lassitudine vlcerosa: tensiuus, grauis, vt in lassitudine tensiua: pulsatilis veluti terebra aut palus infixus, vt in lassitudine composita.

Ex affectione, intemperie simplici, dolor calidus, frigidus, siccus, non humidus, cum affluxu humorum cuiusque generis, aut flatus, sola quantitate distendente, obstruente, aut qualitate mordente, duritie contundente, cum imbecillitate flatus generante aut excrementa: vnde inueterati dolores Cephalea.

Ex

Ex causa procatarctica, plaga, ardor solis, frigus, ebrietas, vnde recentes dolores, cephalalgia. Ex particula aut in toto capite, in cerebro, membranis, valis, communicans extra caluariam ad cutem, ad musculos, ad pericranium. In dextra parte, aut sinistra; Hemicrania, ante, retro, in Basi. Per consensum à cæteris partibus, ventriculo, vtero, hepate, renibus, consentiunt vtplurimum secundum rectitudinem. Duplex consensus, aut sola affectione communicata, aut ascendente aliqua materia. At quomodo communicari possit solutio continui nō ascendēte materia? Potest qualitas aliqua manifesta, vel occulta, vt in venenis Auic. At mirum est, non affici intermedia. An in vehemēti dolore condolet principium ob conatum ad expellendum, vt conuulsio totius ex conuulsione partis. Aliquando pertingit ad cor. Signum conatus est clamor, conuersio labiorum, oculorum, concussio totius. Dubitatur, non esse dolorem in cerebro, quia non sentit. Patet in vulneribus. An sentit per membranas, vt pulmo, renes? ponitur tamen cerebrum esse primum sentiens à Gal. Neque cerebri mēbranæ sentire videntur; quia non recipiunt neruos. Si dicamus tunicas venarum & arteriarum sensum communicare membranis inde prodeuntibus, astrueremus Aristotelis sententiam, qui à corde principium sensus deriuat, quod vehementer impugnat Galenus. Idem tamen Galenus concedit, venenas & arterias sentire & dolere, quod alibi negat. Scimus & dolores ingentes in renibus contingere, cum lapilli in partibus membranosis consederint, cum tamen in renes exiguus neruus ingrediatur, vasa autem vrinaria ex substantia venarum & arteriarum constituantur. Simili ratione cerebri membranæ non egent neruis: vasa enim spiritus animalis principium sunt neruorum. Cerebri autem medulla quamuis non sentiat, facit tamen suo contactu temperando ad exquisitiores sensus perficiendos. Hoc modo cerebrum dici potest primum sentiens: est enim vel-

1. Sy ca 8.
2. Aph 3.
2 lo. af 3 &
7.6. vf pa. 12.

uti neruus & medulla & membrana constans & ex vasis spiritus animalis.

Signa affectionum. Intemperiei calidæ mordacitas celerrime penetrans, latius diffunditur, rubedo oculorum, cutis arida, si ex sole.

Frigiditatis, tardus motus, sensus compressionis & diuulsionis, expressionisque, facies decolor. Vtriq; vehementissimi, gaudent contrariis. Siccitatis, dolor remissior, diuulsio quædam. Cum humore exitus excremētorum per nares vel palatum, grauedines & distillationes. Si sola qualitate molestant, mordacitas vt in simplici intemperie: Contingit in flaua bile. Si quantitate, tensio communicatur circumiacentibus, in calidis magis. Febris. In frigidis grauitas, quātitas obstruens grauitatem, facit sine exitu excrementorum aut tensionem multam cum paucitate excrementorum in calidis. A flatu tensio & morsus mobilis celeriter fit & soluitur. Ab humore frigido, fixus veluti terebra perforante, aut palo infixo, quod proprium intestini crassi: Simile in capite, vbi vehementer impactus humor vel flatus.

Solutionis continui ex plaga, patet sensui. Ex vlcere pus & reliqua excuntia purulentia. Partis affectæ, si extra caluarium, tactum non ferunt. Intra caluariam communicatur plerunque radicibus oculorum ob membranam. Aut posterius ceruici, in temporibus, supercilijs, in hemicrania. In cerebri substantia dolor grauis. In membranis acutus, circumfunditur circuli modo. In arteriis, pulsatorius, præcipue vbi magna inflammatio. Aliquando malleo se percuti putant. Non ferunt sonos, lumen, odores. In venis tensio venarum externarum, calor, rubor.

In neruis ex Archig. dolor torpens, profundus, angustiæ plenus, non fusus, tensio, durities. Consensus, deleri deleto afficiente ex toto corpore, totum caput, vt in febribus. Ex vtero, vertex ex ventriculo pars anterior, ex renibus posterior. Ex hepate pars dextra, ex liene sini-

stra.

stra. Prognostica. Ex dolore capitis nemo in animi deliquium & mortem incidit, vt ex colico. Quia tenuitas meningis nō colligit tantam materiam vt intestina crassa. In cerebri autem substantia non fit vehemens dolor. Pericula ex internis doloribus cæcitatis, surditatis, conuulsionis, apoplexiæ. Nam dolor attrahit vt cucurbitula. Grauis sopores, paralysim, acutus vigilias parit, phrenitidem. Qui accessiones habent, diuturni, magis si periodis ordinatis. 2. Cata. 1.

CAP. V.

Doloris curatio mitigans.

DVplex est doloris curatio. Vna mitigans doloris vehementiam, quæ respicit tantum symptoma. Altera sanans auferendo affectum.

Mitigatio requiritur, vbi vrget symptoma, nec exspectat remedia sanantia. Anodina vocantur, quæ mitigant tantum. Quædam vera, quædam spuria, conferunt omnibus à quacunque causa fiant, quia respiciunt immediatam causam solutionem continui, vel sensum, sine quibus dolor non fit. Vera anodina partem præparant, vt non offendatur ab obiecto, id est, non fiat solutio continui, quodammodo media inter causas & corpus, vt alexipharmaca. Temperiem naturalem conseruant, calida in primo gradu aut temperata, vt faciant ad quemcunque excessum, tenuium partium, vt penetrent. Rarefacientia, non astringentia, non siccantia, vt æqualitatem faciant, & auferant omnem asperitatem, sed humectantia, & humiditatem habeant glutinosam, vt hæreant, sic enim defendunt à solutione continui. Huiusmodi vocantur emplastica, id est, illinentia, vt oleum dulcissimum, pinguedines, altheæ mucillago, fænugræci, seminis lini, cœpus cassiæ medulla, vermes terreni, gummi, albumen oui. Quæ si penetrarent, essent maxime anodina ob humoris tenacitatē & æquabilitatem, at ob crassitiem commoda sunt in superficie tan-

tum, vt in oculis, in gutture. Chamæmelum, anethum tenuium quidem sunt partium, sed non humida, ideo in oleo & aqua optima sunt, rarefaciendo & penetrando, fomentis & inunctionibus. Eadem aliqua ex parte respiciunt affectum digerendo humorem vel flatum, & concoquendo.

Spuria præstant, ne sentiatur obiectum lædens, vbi alia non prosint. Obstupefaciendo frigida in tertio gradu vel quarto, ideo periculosa in parte principe. Opium, mandragoras, hyosciamus. Intrinsecus Philonium Romanum, mitius Diaspermaton Galeni.

Extrinsecus pastilli obstupefacientes ex aceto: illinũtur fronti & temporibus in febricitantibus ex aqua rosacea, vt opii, Castorei, Euphorbii, Croci, singulorum partes æquales. Adduntur autem vehementer calida ad correctionem & penetrationem.

CAP. VI.

Doloris curatio sanans ad affectus recentes.

AFfectus recentes quamdiu in dispositione sunt, non in habitu, plerumque sponte sanantur, remota causa procatarctica. Ad ardorem ex Sole sine plenitudine, sola refrigerantia capiti applicata. Si cum plenitudine totius, prius venæ sectio, aut purgatio. Postea repellentia cum astringentibus non validis in initio. Post addenda modice calida & rarefacientia ad concoctionem & mitigationem. Vltimo digerentia detractis paulatim astringentibus, optima quæ sunt tenuium partium. Refrigerantia tantum, aer frigidus, rosaceum in niue aut puteo refrigeratum, aut addito succo lactucæ, endiuiæ, solani, psyllii, cucurbitæ, citruli, camphora, vt solent in Aegypto, ob niuis defectum & fontium frigidorum. Repellentia eadem absque summa refrigeratione, addito modico aceti. Aqua rosacea, succi astringentes ex portulaca, semperuiuo, polygono, omphacio, moris, pam-

pampinis vitis, malis. Rarefacientia, oleum chamæmelinum, oleum amygdalarum dulcium mitissima in corporibus mollioribus, efficacius oleum Anethinum modo actu frigida, modo tepida.

Digerentia eadē addita spica iride, cinnamomo. Conizæ odoratæ fasciculus in aqua frigida infusus per noctē, qua perfundatur caput, in sinciput, vt non perueniat ad occiput, scilicet qua parte ossa tenuiora sunt, & sutura coronalis & sagittalis. At spinæ principium non sustinet refrigerantia. Circumponenda limitibus corona ex fasciculo lanæ iuxta aures in fronte circa fines capillorum, & supra os occipitis. Conuenit somnus, cuius gratia abluendæ manus & pedes post cœnam ex decocto capitis papaueris, nymphææ, lactucæ violarum, foliorum salicis, & modico vini. Quies, ventris euacuatio per clysteres, cibi parcitas, abstinere à vino, sole, balneo, fomentis, clamore, animi perturbationibus. Ad intemperiem frigidam calefactio. Perfundere sinciput ex oleo rutaceo, quod sæpe sufficit. Laurino, sampsuchino, irino, nardino, efficacius addito pipere, euphorbio, aqua ardente, tegmina ex pileis laneis imbuta irino, & irrigata vino.

Pellis leporina. Olfacere nigellam tostam ex aceto. Non valde odorata, quia replent. Lauacra ex serpillo, sampsucho, irid. cipero, asaro, stœchade, lauro, chamæmelo. Ne subministretur materia ex ventriculo, vomitus ex rhaphano. In principio abstinere à vino & motu, sed somnus, quies, tranquillitas, lætitia. Procedente tempore, vinum tenuium partium, exercitatio.

Ad plagas defendenda pars ab inflammatione, reuellere vena secta in brachio, clysteribus, purgatione per inferiora. Repellere à particula rosaceo omphacino tepefacto: nam partes denudatæ non sustinent actu frigida, nec acetum. Licet in recenti vulnere statim albumen oui frigidum imponere, & super illud posca linteis madefactis, vt sistatur sanguis, & defendatur ab inflammatione.

ne. Post quartam diem transeundum ad modice digerentia, & concoquentia, quæ carnem contusam cito in pus vertant. At in osse & membranis siccantia magis requiruntur, & quæ saniem ex profundo euocent, vbi os fractum est. Inquit enim, capitis fracturæ siquidem os fractum fuerit & contritum periculo vacat, & curare oportet hunc humectantibus medicamentis; (vt scilicet cito abscedant ossis particulæ) si vero rumpatur & fissura fiat, periculosum est.

Huic serram adhibere oportet, ne in ossis scissuram sanies influens membranam cerebri putrefaciat. Nam per angustum intrans, non autem exiens, affligit, & furere hominem facit. Huic itaque serram adhibere oportet, vt sanies exitum habeat, non solum ingressum, ampla per serram sectione facta. Medicamentis autem vtendum, quæ humorem in se trahunt, & lauandum. Si cutis integra non videtur os denudandum ex Hippoc. vbi inquit. Postulant scalpellū vlcera capitis ac frontis, cum os nudatum est. Quasi integra cute calor innatus non exhalans concoquat, & glutiner, vt patet in fracturis tibiæ sine carnis disruptione: facilius enim glutinantur, quam in quibus caro vulnerata est. At non par ratio in capite ob cerebri præstantiam; ob id Cellus & Paul. secant. Quanquam visum est aliquando in pueris os depressum integra cute sanatum sine scalpello, sed sanies exitum habuit extra caluariam sub cute, qua postea scissa, erupit.

Ad cæteras inflammationes internas absque plaga dicenda erunt remedia in phrenitide & lethargo.

CAP. VII.

Ad dolorem Capitis ex repletione.

AD repletionem capitis ex ebrietate. Inanito ventriculo per vomitum ex aqua tepida, & aluo per clysterem, capiti conueniūt refrigerantia & repellentia, vt in ardore. Hodie aspergunt totum corpus aqua frigida:

capi-

capiti rosaceũ cum aceto, aut succo hederæ, aut brassicæ; nam brassica vapores vini reseccat. Sed somnus & quies sunt præcipua remedia, quibus soluitur crapula.

Si non succedat in prima die, postridie in balneo calida aqua sæpe affusa capiti apud Gal. & Hipp. Nam ex huiusmodi humectatione somnus oboritur, & ad se redeunt. Si dissoluta crapula perseueret dolor, signum est reliquias impactas esse in poris. Ideo abstinendum ab astringentibus. Perfundere oportet Chamæmelino moderate calido, postea Irino & aliis digerentibus; Rutæ folia, Lauri baccæ, iris sicca. Victus refrigerans, Ptisana, Halica, Milium, Panis ex aqua, Lactuca, Brassica, Lens, Mala, Pyra cocta ad vaporem aquæ, vel cruda, quæ minus austera. Potus aquæ cum vino granatorum. In declinatione vinum tenue aquosum, pulli gallinacei, columbarum oua sorbilia, pisces saxatiles. Præseruant ab ebrietate caules brassicæ comesti, amygdalæ amaræ quinque aut sex, myrthi baccæ. Quidam in certamine potationis assidue aquam frigidam testiculis admouent. *2. de morb.*

Ad flatus aut vapores replentes, aut odores, in principio cum aliunde feruntur, repellentia & refrigerantia, ex oxyrrhodino in sincipite; postea quod infarctum est, attenuare, meatus dilatare, vt transpirent, admixtis repellentibus, ne alius influat. *2. Catar.1.*

Dissoluunt flatus milium frixum, furfur aceto aspersa; Flores chamæmeli, semina anethi, fœniculi, dauci, petroselini, amcos: fiãt succuli ex his, aut decoquãtur in oleo ad pfusiones: cucurbitulæ in occipite. Ad vapores ex febre, reuellere per clysteres, purgatione, aut venæ sectione, capiti oxyrrhodinum in calidis & in æstate, chamæmelinum cum quinta parte aceti in frigidioribus & hyeme.

Ad flauam bilem, purgatio, per cremorem absinthii aut aloem, hieram simplicem, addito modico scammonio, vel per catapotia ex aloe, id est, pilulas de colocynthide Galeni, quæ describuntur. Si nequeat euacuari, aut ob virium imbecillitatem, aut quia humor iml ib tus *2. Catar.1.* *1. Catar.1.*

& fi-

& fixus: Alterandus vt morsu careat, & sensim euacuetur per epicrasim. Alteratur cibis frigidis & humidis, nõ inedia, neque tenuis victus. Ptisana, fructus, olera, potus aquæ, syrupus acetosus simplex, violatus, de papauere, cum aqua endiuiæ, lactucæ, hordei, nymphææ, succus granatorum pomorum, balnea temperata, inunctiones ex oleo violato.

Capiti quæcunque ad erysipelata, vt in ardore. Oxyrrhodinum, decoctum violarum, rosarum, nymphææ, capitum papaueris, foliorum salicis, admixtis quæ modice digerant, vt chamæmeli, folia hederæ, oleæ, mentæ viridis. Ablutio capitis Trall. ex aqua tepida, abstergendo ex cremore ptisanæ, aut vitellis ouorum, & vbi feruor conquieuerit, admixto mellis exiguo. Rasis indit in nares oleum violatum, cucurbitæ, nenufari, de floribus salicis. Eadem capiti superponit refrigerata in niue, olfacere camphoram, aquam rosatam, violas. Si non liceat per epicrasin, confugiendum ad ea, quæ torporem inferant; nam hos minus laedunt; alioqui verenda in capite. Opii, camphoræ vtriusque grana, duo cum oleo de salicibus in nares, & aures. Galenus frontem illinit pastillo croceo, aut trigono, qui describuntur à Paulo.

Ad dolorem ex pituita. Euacuanda prius à toto si adsit, deinde à parte. Pilulæ cochiæ Rasis, de colocynt. Galeni sæpius.

Præcedat alteratio per incidentia, extenuantia, sy. de Betonica, de stœchade, sola stœchadis decoctio. Aet. Oxymel s. Comp. Scyliticum.

Decoctio serpilli, thymi, origani, calamenthi. Apophlegmatismi primo mitiores, post vehementiores. Errhina, collutiones oris ex oxymelite cum decocto hordei, thymi. Masticatoria ex mastiche prius simplici, postea addito pyretro, pipere, zinzibere, staphisagria, iride, sinapi. Ex iisdem collutiones cum mulsa. Pronus expurget pituitam. Illitiones narium cum melle & oleo amygd. dulcium. Pulueres insufflati in nares. Prius narium

rium meatus aperire olfactoriis ex nigella cum aceto, castorio.

Errhina mitiora ex succo betæ, anagallidis, sampsuchi: efficacius ex succo cyclamin. vel elaterio cum lacte. Interim clysteres acres ad reuellendum. Capiti, si aliunde fluat humor, initio repellentia quicunque fluat humor, oxyrrhodinum tepidum: postea addenda relaxantia, chamæmelinum, digerentia & extenuantia, cauendo, ne calorifica vehementiora in fl. tum conuertant, vnde augeretur dolor. Tutiora modice calida, tenuantia, oleum dulcissimum vetustum incocto sphondilio, serpillo, pulegio, menta, calamento, ruta. Oleum laurinum, optima verbenaca recta, nam roburaddit. 13. Meth. 21 12. Meth. 8

Aselli, qui & millepedæ oleo incocti. Vbi hæc nō prosint, euocantia ex alto, sinapismus, thapsiæ succus cum melle, euphorbium cum oleo, hiberis, stercus columbinum, galbanum, abrasis capillis.

Ad humorem melancholicum, nec Galenus nec Rasis meminerunt: sed Auic. Mesues, & Trallianus. Purgare prius leuibus, sena, polypodio. Postea ex pil. Indis, de lapide Lazuli. Præparare humectantibus borragine, violis, & attenuantibus, melissa, thymo, origano. Sy. de pomis, de glycirrhiza, de fumo terræ, de epithymo Capiti relaxantia & humectantia, ex oleo amygdalarum dulcium, chamæmelino, liliaceo. Decoctum capitis castrati cum sena, epithymo, buglossa, chamæmelo, althæa. Post humectationem & extenuationem, ducentia ad os, & nares, vt in pituita.

Si aliunde fluat, reuellendum ad inferiora, per clysteres, hirudines, ad hæmorrhoidas. Repellentia à capite per oxyrrhodinum tepidum. Parti mandanti, remedia illi propria, de quibus suo loco agetur. Sic enim sanantur dolores per consensum.

Ad siccam intemperiem sine humore, sola humectantia tum intus, tum extra, victu, balneo aquæ dulcis

cis, oleo amygd. dulcium, capiti ablutiones & vnctiones humectantes, vt ad humorem melancholicum.

CAP. VIII.

De Cephalæa & Hemicrania.

CEphalæa est inueteratus & ægre cedens capitis dolor: fiunt maximæ exacerbationes ex facili occasione, non ferunt vocem vehementiorem, aut strepitus, putant, se malleo percuti, non lumen splendens, non odoramenta, non motum. Continue, vel per interualla ordinata, aut inordinata, aliquando omnino inculpato interuallo, vt in epilepsia. Causa, maior imbecillitas partium capitis, quam in cephalalgia. Pars imbecillis vel recipiens excrementa, vel gignens, vel corrumpens putrefaciendo humores vel flatus, calidos vel frigidos. Aliquando comitatur febris in putredine aut inflammatione. Curatio vna ad efficientem causam, vt in cephalalgia euacuantia prius à toto per venæ sectionē & medicamenta purgantia, vbi totius plenitudo, sin abstinendum. Post à parte affecta, per repellentia, rarefacientia, concoquētia, & tandē digerentia, extrahentia per nares, palatū, per cutē, vt in cephalalgia: sed efficaciorib. remediis, linimentis crassioribus, ceratis, emplastris, detasis capillis aut tonsis. Altera ad prauum habitum particulæ, ne recipiat, ne gignat, ne corrumpat. Ne recipiat reuulsio, detiuatio, repellere. Clysteres, frictiones internarum partium, ligaturæ extremitatum, cucurbitulæ, sanguinis detractio iterata ex cubito, pede, hæmorrhoidibus, quo tempore repellentia conueniunt. Galenus aliquando sanguinem extrahit ex naribus, vbi multum abundat; conuenit post reuulsiones, nam d[illegible]at. Dolenti posteriore capitis parte, vena recte in fronte secta prodest. In doloribus autem anterioribus, scarificatio in occipite, vel cucurbitula Galen. vbi affectus est diuturnus. Ex Archigene. Si affectio perseuerarit, venæ sectio

ctio in naso aut fronte, aut cucurbitul. ad occiput, nam in cephalalgia tam anteriora, quam posteriora afficiuntur. Inquit Galenus. Sanguinis a locis affectis detractiones in affectibus inueteratis conueniunt, & paulo post. At vero in vehementer inueteratis sinapi, vt moris est, capiti adhibe & perunge. Quæ metasyncritica curatio vocatur, id est, extrahens exalto, non omnibus conuenit, vt antiqui putabant, sed ad intemperiem frigidam & humidam vel solam, vel cum humore simili, vt euphorbium cum cera & oleo. Hodie cauterium adhibent in occipite, brachiis, cruribus, aut vesicatoria, aut ad deriuandum, aut ad reuellendum Negignant excrementa, victus boni succi pro natura affectus, roborantia per astringentia vel odorata, quæ cephalica vocantur frigida vel calida. Inter frigida, rosæ, sandali, inter calida, mastiche, spica, verbenaca recta viridis vel arida cum radicibus, oleo incocta, vel adiecto serpillo, caput irrigando. Millepedæ similiter oleo incocti, qui reperiuntur sub aquario vase, perfecte sanant digerendo & corroborando. Ne corrumpant, siccantia putredinem, vt in morbo gallico. Potus decoctionis lignis guaiaci, salsæ parillæ, chinnæ, radicum pentaphylli. Artificiosa curatio ægre curabilium in remediis Archigenis traditur. Ex mixtura eorum, quæ idem promittunt, vt repellentium, concoquentium, attenuantium, digerentium, roborantium, & mitigantium, sed vario modo nunc his nunc illis vincentibus, & transferendo ad contraria. Idem tradit Hip. sanari aliquando similibus, aliquando contrariis, ob varias corporum dispositiones. 2. *Catar.* 1. *De loco in hom.*

Hemicrania est inter affectus diuturniores per accessiones. Dolor dimidiæ partis capitis, sæpius iuxta tēporum musculos, vel frontē dimidiam supercilium, aliquando altius. Modo intra caluariam, modo extra Aet. Locus affectus videtur esse circa exortū neruorumin basi, aut ad suturas squamosas, quia in altera parte tantum, vnde sæpius extra caluariam communicatur vel in pericra- 2. *Catar.* 3. 3. *loc. af.* 9.

ricranio, vel musculo temporum, vel neruis per foramina caluariæ egredientibus, ideo dolet ad tactum. Causa vaporum aut humorum, aut vtrorumque influxus per venas & arterias. Interdum ex cerebro vel membranis internis foras protruduntur. Interdum ex toto corpore ad caput sursum mittuntur. Curatio similis Cephaleæ, sed remedia soli particulæ affectæ. Aetius tamen aliquãdo illinit tempus oppositum ex aceto cum euphorbio, quæ est quædam reuulsio. Hippoc. in dolore auris cucurbitulam in opposito retro affigit. Remedia propria hemicraniæ: ante accessionem fricare temporum musculos vel frontem dimidiam, vt perspiret, non figatur materia intus. In accessionibus lenientia dolorem. Pix ex oleo, galbanum, ad tempora aliquando opiata quædam. Post accessiones, sanantia affectum pharmaca hemicranica, partem roborando astringentibus. Valde calefacientibus in frigidis, admixtis refrigerantibus in valde calidis, quia sola frigida non digerunt. In calidis cimolia, alabastrum, pumex, galla, omphacium, crocum, myrrha, aliquando aliquid opii, gummi. In frigidis euphorbium, stercus columbinum, piper, sulphur, ærugo, alumen, atramentum.

Pastilli soluuntur vino, aut aceto, aut oleo. Venarum imbecillitas transmittens, aut abscissionem postulans, aut astrictionem vehementem: sic arteriæ. Hipp. Doloris in capite gratia, sanguinem de venis detrahito, si vero non sedetur, & diuturnus sit, perure venas, & sanus euadit.

CAP. IX.

De Phrenitide.

PHrenitis, seu Phrenesis à mente appellata, quia morbus mentis. Galenus tamen inquit, denominatam esse ab instrumento patiente: forte quia septum transuersum putatum est apud antiquos esse mentis instrumentum: vnde Phrenes appellatum est, quia eius inflam-

inflammatio mentem lædit. Arist. & Hipp. Quia septum prætenditur cordi, in quo facultas intelligendi Aristot. ob sanguinis puritatem. At Gal. principem animæ facultatem in cerebro ponit. An sine cerebro non fit cõ- temperatio sanguinis spirituosi ad intelligendum? ideo & Aristeles in problematis inquit, mens in capite est, nã defatigata somnus obrepit, capite grauato. *3. Par. 22. 10. 3. de Mor. & de aff. 1. Prob. 18.*

Contra: si intellectus est separabilis à corpore, vt Arist. fatetur, nec in corde, nec in cerebro ponendus est: An intellectus, cuius substantia actus est, nullius corporis est actus, sed substantia separata. Qui autem possibilis dicitur, quia eius substantia potentia est, est alicuius corporis actus, ideo naturalis. Hic igitur læditur corpore patiente. Hanc quoq; fuisse Hipp. sententiam, patet, inquit enim, prudentia in sanguinis bona temperie consistit. *in lib. de flat. & 1. de Mor.*

Definitur phrenitis. Est continuum delirium cum febre acuta, differt à mania & melancholia, quia sine febre. A delirio, quod in statu quarundam febrium contingit, quia non continuum. Est symptoma tamquam motus deprauatus facultatis regentis, & tanquam vigiliæ, sequitur intemperiem calidã vel siccam, vel vtramque, morbus non febris, sed inflammatio ex bile in cerebro & eius membranis, febris autem accidens. Hippoc. febrem phonodem, id est, interficientem vocat, veram phrenitidem significans. Causa materialis, bilis pallida mitiorem, flaua vehementiorem, assata ferinam facit. Sincera exquisitiorem, mixta notham. Auic. & Paul. etiam ex sanguine. At Gal. inquit. Si diminuta copia sanguinis perteuerent vigiliæ post quartam diem, bilem non sanguinem inuasisse significat. *1. in 1. Pro. 1. 3. Cat. 1. 10. 2. Sim. ca. 7 3. loc. af. 7. 2. de Mor. 1. in 1. Pro. 1*

Phrentici enim non statim in prima die sunt, cum solus sanguis est. In cerebri substantia deterior phrenitis, sed blanda & contrectabilis desipientia similis febri hecticæ. In tenui membrana, tumultuosa dementia, inæquaiiter cerebrum afficiens. In dura mitior phrenitis *5 loc. af. 4. 1. in 1. Pror. 33. 4. Ca. pul. 14.*

cum dolore acutiori, vt aliquando futuræ diſiungi videantur, Auic. In anteriori lædi imaginationem ſolam, in medio rationem, in poſteriori memoriam, & ſimul omnes Aet. vel magis, vt Auic. Septum tranſuerſum cerebrum afficit per conſenſum, ideo non vera phrenitis.

5. loc. af. 4.

1. in 1. Pro. 1 Contra. Cerebri notæ per conſenſum non continuæ.

2. Part. an 7. Ex ſepto tamen tranſuerſo continuum fit, vt ex cerebro, quod aliis non contingit. An inquit parum diſtare à continuo? Ex Ariſt. ob feruorem cordis non contemperatum à cerebro, vitium aliquando iuxta eor, vt in febribus ardentibus, aliquando in cerebro tantum ob eius intemperiem, nec obſtat ex ſepto tranſuerſo continuum eſſe, quia cerebri frigiditas non ſufficit ad eum feruorem contemperandum. Nihil autem refert, ſiue feruor ponatur circa cor, ſiue in cerebro: vtroque enim modo continuum erit delirium, quia continuus feruor. Efficiens quodcumque bilem gignit, exacuit, commouet. Conſtitutio calidâ & ſicca, regio, natura, victus, ætas, autumnus, iuuentus, ætas declinans. Meri potio, motus vehemens, febres ardentes, peripneumonia, pleuritis. Inflammationes neruorum, vnde prius delira fiunt per conſenſum, poſtea per eſſentiam. Raptus flauæ bilis ad caput vel ſponte in febribus, vel ob expulſionem, attractionem, aut congeſtionē ex proprio alimento, nam ſanguis inflammatus vertitur in bilem.

3. Aph. 30.

CAP. X.

Signa Phrenitidis.

5. loc. af. 4. SIgna Phrenetica incipientis obſcura, vigentis apertiſſima.

2. in 1. Pro. 9. Præcedunt antequam inualeſcat vigiliæ, ſomnus turbatus, vt aliquando clament, exiliant. Ex compoſito modeſtoque ferox reſponſio.

3. in 3. Epid. 73. Dolor capitis præcedens, nonnunquam in occipite capitis & colli doloroſa grauitas. Qui commatoſi inter initia fiunt, cum capitis, lumborum, hypochondrii, col-

collique dolore vigilantes phrenetici oculi habentes puluerulentum quid concretum. Lingua densa, arida, obtremiscens, signum non constantis mentis, ob multum motum & imbecillitatem. Sitim non sentiunt, exiguus potus. Screatus frequens, siue spuro. Vox clangosa, spiratio rara & magna, Gal. propter obliuionem. An ob septum transuersum laborantē? obliuio adeo agrestis vt aliquādo mingere non meminerint. Pulsus parui, & neruosiores, id est, duri, frequentes & valde celeres, subtremere videntur, cum iam imminet syncope, ob duritiem & imbecillitatem. Vrinæ non signa phrenetica sed salutarem vel lethalem ostendunt. Gal. Hipp Vrinæ in turbulentis vigilibusque decolores, nigræ, sublime petentes, atque in sudore phreneticæ. Idem surditas, vrinæq; absque residentia, prærubræ & sublime petentes mentis aberrationem portendunt. Gal. putat sublime petere, esse crassiora quædam in tota substantia vrinæ ascendere. Iterum. Si quippiam in vrina sublime petierit occultato coxæ dolore, delirium portendit, multoque magis, si vrina in sublime elata sit: & quæcunque alia fiunt desipientiæ signa. An in sublime ferri, vel vrinam vel contenta, est rapi ad caput, vnde deliria, vt in suppressione vrinæ, vel in albis & perspicuis vrinis. Quibus vrinæ albæ, & perspicuæ, malæ, præsertim si in delirantibus appareant: significant enim materiam in capite fixam. Solemus enim dicere, de iis, quæ euanescunt, in sublime ferri. Cum autem proxime accedunt ad phrenitidem, signa sunt, oculi vehementer squalidi, acris lachryma ex altero ipsorum, deinde lippitudo, venæ plenæ sanguine, sanguis stillat è naribus, quod pernitiosum, præcipue si quarta die. Cum perfecta est, nihil respondent exacte ad propositum, Decubitus non consuetus, sæpe pronus. Floccos euellunt, festucas carpunt, manus admouent ad os. Febris aridior ferè vniformis, cum obscuris ineremētis vel declinationibus, lingua salebrosa, obaudiūt interdū. Mœsti iacent vix quicquam respondētes, dolorē non

1. in 1. Pro. 1 20

1. Prog. 24. 2. dif. resp. 6

1. in 1. Pro 5 4. Ca pul. 14.

1 in 1. Pror. 4.

2. in 1. Pro 1

4. Aph. 72.

5. loc. af. 4. 1. Prog 23. 2. Aph 6.

sentiunt, si quis acrius præmat, quia mens occupata circa phantasmata non percipit, quæ sensibus offeruntur. Ex septo transuerso, non signa in oculis, non sanguinis stillæ. Respiratio inæqualis, nunc exigua & frequens, nunc magna & angustiosa. Tensa præcordia in initio: calor ibidem acrior, quam in capite. Dolor ad tactum in dextris magis.

3. de morb. De aff. 3. in 1. Epid. 19.

Delirium cum risu. Describitur Silenus laborans inflammatione septi transuersi, cuius respiratio semper ab initio vsque in finem fuit magna & rara. Cœpit delirare secunda die aliquantum: tertia die multa verba, risus & cantus, moderari sibi non potuit. Quinta die mente cõstitit, quia in soporem transibat: nam die septima obmutuit: mortuus est vndecima. Risus tumultuosus contigit Tychoni, cum in bello vulnus accepisset relicto spiculo in septo transuerso qui cõuulsus interiit. Idem Arist. testatur. Prognostica. Omnis periculosa, acuta: inter morbos magnos, quia in parte principe.

5. Epid. 3. part. an. 10.

Exemplum acutissimæ in epidemis ponitur, quæ occidit die quarta. Quædam non valde acuta incipiens non in primis diebus.

3. in 3. Epi 75. 2 in 1. Epi. 77.

Non transit à sui principio diem decimam quartam, aut non vltra vigesimam. Phrenetica vehementer trementia finiuntur. Tremulæ & blandæ desipientiæ pessimæ. Transire in mentis alienationem, bonum. Stridor dentium conuulsionem significat. Conuulsiones Phreneticorum ex siccitate fieri testatur Gal. Desipientiæ cum risu securioris, cum studio magis periculosæ. Galenus securiorem ad solam caliditatem pertinere, vt in ebriis. Deteriorem ad humores.

2. die decr. 13. 1. in 1. Pror. 9. 33. 7. Aph. 5. 12. Meth. in fine. 6. Aph. 13.

Auic. risum à sanguine fieri cum studio à flaua bile. At ostensum, non fieri à sanguine solo. An significat Phrenitidem ex septo transuerso securiorem, ex cerebro deteriorem? Quæ sanantur, aut fluxu sanguinis è naribus, aut multa vrina cum sedimento multo & bono, deiectione biliosa, diseenteria. Sic soluebantur in epidemiis,

7. Aph 5. 2. in 1. Epi. 79. 60.

miis, si pluribus modis grauius habebant. Lachrymæ inuoluntariæ, si cætera signa non praua, significant sanguinis fluxum è naribus, si cætera praua, mortem. Quod & in omnibus febribus acutis obseruatum est. In Phreneticis principio simpliciter, & clementer habere, sed cerebro permutari, malum. Malus quoque frequens screatus, frequentes in Phreneticis permutationes conuulsionem indicant. Galenus intelligit transmutationē symptomatum ob transmigrationem humorum de vno loco in alterum, vt crebro incalescere, & refrigerari, sitire, & sitis extinctio: varia delirii species ob diuersa loca cerebri. Sic turgentia significatur in principiis morborum. An potius permutatio decubitus frequēs & inquietudo? *1. in 1. Pror. 12. 27.*

CAP. XI.

Curatio Phrenitidis.

CVratio Phrenitidis. Ad inflammationem cerebri, causas, febrem, symptomata. Incipiendum à causis antecedentibus prohibendo ne fiat, aut augeatur. Ad fluentem humorem euacuatio, motus contrarius. Optima euacuatio, si nihil prohibeat. Sin motus contrarius. Reuulsio ad inferiora, efficacissime cum euacuatione sensibili. Sin immobilitas, vt humor concoquatur. Euacuatio per venæ sectionem statim ab initio, nisi dissuadeant vires, ætas, anni tempus, regio. *13. Meth. 2.*

At si ex bile, purgatio videtur conuenire, vt in erysipelate. An morbo magno magnum remedium, & celeri celer, & quia eodem confluit sanguis ob dolorem, caliditatem, vt in pleuritide. Ex cephalica dextra. Ex crure, vbi nihil adhuc fluxit. Ex hæmorrhoidibus per sanguisfugas, ex dorso per cucurbitulas, vbi venæ sectio non sufficit, vel non toleratur, vt in puero, sene. Medicamento purgante post venæ sectionem, vel loco sectionis venæ in materia turgente, cum paucitate sanguinis, cum humor minatur partem principem: cognoscitur ex crebra permutatione, id est, inquietudine. *13. Meth. 21. 14. Meth. 3 De sang. mis. 9. 2. Cla. 2. De sang. mis. 19. 1. in 1. Pror. 12. & 27.*

Rasis ex succo fructuum: Nos syrupum rosatum solutiuum, violatum, cassia, diacatholicon, tamarindi, rhabarbarum. Clysteres ex cassia, hiera. Motus contrarius ad inferiora insensibiliter euacuando, frictionibus extremorum, lotionibus actu calidis, sed potentia frigidis. Repellentia capiti frigida & astringentia perfusione
13. Meth. 21 oxyrrhodini in syncipite. Immobilitas post reuulsiones ad causas fluxionis. Ad feruorem & febrem attollentem, refrigerantia & incrassantia. Aquæ frigidæ potio, succi refrigerantes, vinum granatorum, aqua lactucæ, endiuiæ acetosæ. sy. violatus, bolus armenus.

Ad recipientis caliditatem trahentem oxyrrhodinum in niue refrigeratum, & alia remedia refrigerantia. Ad partes mandantes vt hepati.

Epithemata refrigerantia, vnguentum sandalinum, rosaceum, omphacinum. Ad viarum latitudinem, venas & arterias in collo astringere ex succo polygoni, aqua rosacea cum aceto & bolo armeno.

Ad humorem collectum in capite, si multitudine distendit, euacuatio vt in phlegmone, qui morbus ad instrumentum pertinet magis, quam ad intemperiem. Si solus feruor lædit, vt in erysipelate, refrigeratio magis, quod pertinet ad partes similares, In phrenitide lædit
13. Meth. 8. magis intemperies, ergo magis refrigerandum. Euacuatio à parte sensibiliter fit secta vena in fronte, quam se-
5. Aph. 68. cuit Trallianus, cum non posset in cubitu, facit & ad dolorem in occipite, qui solet initio infestare. Paulus è naribus, aut sub lingua. Nam venæ externæ communi-
de loc. in hom. cant cum internis. Insensibiliter repellendo non fixos, digerendo fixos, euocando inueteratos. Sed periculosa digerentia & euocantia ob caliditatem, nisi in declinatione. In cæteris inflammationibus licet in augmento cum repellentibus admiscere digerentia. Sed in phreni-
2. Gal. 2, tide refrigerantia tantum & virtutem principem sopien-
13. Meth. 21 tia. Faciunt & ad concoctionem. Eadem ad erysipelata

co ex-

to excepto, quod non actu frigida, sed calida adhibentur ad rarefaciendum, ne inculcetur materia. Refrigeratio fit perfundendo decoctum capitum papaueris, lactucæ, foliorum salicis, portulacæ, violarum, hordei nympheæ, mandragoræ, addendum chamæmelum ad rarefaciendum. Eadem perfusio commoda est ad pedes & manus, addito modico vini vt ferat vapores refrigerantes ad caput, quod tutius est. Sæpius in die Rasis: post vngere caput ex oleo violato, & lacte mulieris, & tegendum caput. Odores frigidi naribus, fronti, ex aqua rosacea, aceto, camphora, vnguentum populeon, non valde obstupefacientia, vbi vires imbecillæ. Celsus: duæ herbæ vtiles in quibuscunque viribus, solanum, muralis, succo vtriusque expresso impleatur caput, melius admixto oleo violato. Digerentia in declinatione tantum. Oleis perfundere & fouere incoctis serpillo, sphondilio, ruta, cum modico aceti ad penetrationem, castoreo. Quidam pulmonem calidum imponunt capiti raso per noctem, substratis foliis cucurbitæ, pullos gallinaceos dissectos, rutam cum aceto. Inueteratis extrahentia, cucurbitulæ in occipite, sternutamenta, venæ frontis sectio per interualla, vnde sanguis fluat, quantum capit testa oui. *13. Meth. 21*

Non sinapismi, neque vstiones ob relictam intemperiem calidam & siccam. Ad siccitatem derelictam, quæ phrenitis hectica dicitur, quia inueterata est, intus humectandum. Psyllii mucilago extracta cum aqua cucumeris, cocta cum sapa, & additis gummi Arabico, seminibus communibus, cidonii, portulacæ, amilo, sandalis. Fiat electuarium, de quo sumat vnciam dimidiam bis in die, potus aquæ hordei incoctis cancris fluuiatilibus & sebesten.

Ad phrenitidem ex septo transuerso. Venæ sectio ex interna brachii, vt in pleuritide, ex hæmorrhoidibus, cucurbitulæ in dorso cum scarificatione, ad nates, clunas, & coxas. Purgatio per clysteres magis, ne pars offenda-

tur Hipp. Intus & extra calefacientibus vtendum & purgantibus per ſputum, vt in peripneumonia, aliquando per inferiorem purgationem. Præcordia fouere & perfundere roſaceo, violaceo: Si magnus æſtus, ſucco ſemperuiui actu frigido, foliis cucurbitæ impoſitis, non diutius, ne offendatur reſpiratio. Non acetum, vt in capite, ſed omphacium ad robur circumſtantium. Poſt principia addenda rarefacientia & relaxantia, oleum amygdalarum dulcium cum roſaceo, chamæmelinum. Semen lini incoctum cum hydræleo. Cataplaſma ex lini ſemine & hordeo cum hydræleo. Non multum calfacere, ne augeatur inflammatio. Potus aquæ tepidæ non frigidæ hydræleum exhibet Trall. At in eryſipelate aquæ frigidæ potus.

Capiti oxyrrhodinum ſemper, nunquam digerentia, niſi factus ſit morbus per eſſentiam, Hippo. ad febrem phonodem. Frigefactoria ad viſcera & capur. Potus ſolus vſque ad ſeptimam ex mulſa aquoſa facta maceratione hordei torrefacti cum ſuis paleis, ſin vires non ferũt: ptiſana modica, tenuis actu frigida, & aquam ſuperbibat. Poſt ſeptimam, ſi febris dimiſerit, milium lingat, & ad veſperam cucurbitam, aut betas, & vinum album aquoſum, quo tempore & balneum conuenit. Cum validus fuerit, per nares purgato molli pharmaco. Aluum intra purgato. Poſtea lac aſininum exhibeto.

Ad ſymptomata, vt vigilias, quæ maxime vrgent. Capitis ablutio aut pedum & manuum veſperi poſt cænam, ex decocto capitum papaueris & reliquorum refrigerantium, quæ dicta ſunt. Facit ad ſomnum etiam modica vini potio, quæ & mitigat ferociam. Trall. Si vrina ſuppri matur; fouere veſicam ex hydræleo, poſtea manu præmere, totum corpus oleo dulci perungere. Si conuulſio accedat, vincire artus ſæpe. Reuellere clyſteribus acutis. Caſtorium intus & extra. Caput & ſpinam vngere ex oleo Coſtino; aut rutaceo,

CAP.

CAP. XII.

De Lethargo.

LEthargus Lethargia ab obliuione dicta. Alius tamen affectus est obliuio, quæ sine febre est. Repo nitur inter sopores contrarius phrenitidum ob causas contrarias, tum ob symptomata. Nam ad frigiditatem pertinet somnus & immobilitas. Est delatio in somnum ægre excitabilem, cum debili febre, & maligna. 3. lo. af. 5. 2 Aph. 3. li. De sin.

Cum œdemate flatuoso, & coloris vitio, & languore solidarum partium, & spiritus pulsatorii. Auic. Est inflammatio phlegmatica intra craneū. Gal lethargus est, cum humor frigidus putrescit in capite, vbi prin ceps facultas, febrem faciens Differt à caro, catoche, apoplexia, quia sine febre & putred ne, à comate & cataphora, quia per consensum, non continui. Licet coma sæpe accipiatur pro lethargo. Paulus aliter accipit. Carum, inquit, febris præcedit, eaque vehementior, lethargum subsequitur, catochus mixtus ex phrenitide & lethargo. Aetius lethargum vocat omnem delationem in somnum vel primario, vel per consensum. 13. Meth. 21 1. in 1. Prot 3. in 1. Prot. 75.

Catochem & catalepsim mediam inter phrenitidem & lethargum ex melancholia. Caros, cum frigidi & humidi vapores cerebrum occupant cum debili febre. Coma, cum calidi & humidi vapores in febre feruntur ad caput. Rasis communi nomine *Subet* vocat, quod sopo rem significat. Auic. Subet tantum sine febre accipit. Gal. Inter altos sopores apoplexia, caros & catoche sine febre, eosdem affectus; si cum febre lethargum vocat. Hipp. Lethargum vocat, cum vitio pulmonis caput læditur. Inquit enim; Morbi lethargi appellati status idem est, qui peripneumoniæ, verum difficilior. Tussis & sopor ipsum tenet, & saliuam multam & liquidam educit, aliquando & nugas garrit. Alter morbus bletos vocatur, à blito herba insipida, quidam attonitum & sideratum vertunt, quod tribuitur apoplexiæ. 13 Meth. 21 2. & 3. mor. 3. De morb.

Videtur autem hunc morbū significare, quē hoc modo describit. Cum cerebrū multa immunditia vitiosorum humorum repletum fuerit, anterior capitis pars primum dolorem ipsis exhibet, & suspicere non possunt aliqui ambobus oculis, aliqui altero, & sopor ipsos tenet, & desipiunt, & tempora saliunt, & febris tenuis habet, & corporis impotentia. Hic tertia aut quinta die moritur, si vero ad septimam peruenerit, à morbo liber euadit.

Circa lethargi differentias supponendum, alium esse somnum naturalem, alium soporem, qui somnus præter naturam est, & aliam vigilandi impotentiam ex Gal. Somnus naturalis est, qui fit ob concursum calidi natiui ad alimentū, vt instauretur, salubris vt signum & causa.

Sopor somnus est morbosus, cum calor natiuus foras progredi nequit, ob immodicam humiditatem in cerebro, vt in comate & lethargo, cui opponitur phrenitidum vigilia. Nam nequit intro vergere ob caliditatem & siccitatem. Contingit & ob solam frigiditatem præter naturam, vel solam humiditatem, vel vtraque, cum humiditate lethargus, cum siccitate catalepsis. Impotentia vigilandi est, cum ob virium imbecillitatem nequit calor naturalis foras prodire: nequeunt attollere palpebras. Aristoteles inquit: Non est somnus quælibet impotentia sentiendi, vt in animi deliquio inamentia, & cum venæ in collo apprehenduntur. Idem dicendum in compressionibus cerebri ab osse depresso, & percussionibus validis temporum, vnde caros fit. Hæc tamen Medici inter sopores reponunt omnes ob defectum spirituum animalium, assimilantur morti. In omnibus tam in somno, quam in sopore, & impotentia vigilandi datur magis & minus. Vnde somnus profundissimus, leuissimus, medius, pro facili & difficili expergefactione. Et commiscentur somni & vigiliæ variis modis, vt aliquando contingat, in somnis moueri & sentire. Vtraque si modum excesserint, malum. Lethargi differentiæ. Exquisitus ex sola pituita, spurius ob mixtionem

nem flauæ bilis vel atræ, in quo confunduntur symptomata, sopor & vigiliæ. Sopor vigilans, & coma vigil ob bilem & pituitam. Vel initio vigiliæ magis post sopor; vel contra, vel vtraque per totum morbum, quæ typhomania antiquis appellata est: mixtio phrenitidis & lethargi. Causa symptomatis, id est, soporis, intemperies frigida & humida cum humore ob multitudinem grauante cerebrum, memoriæ & rationis diminutæ. Frigiditas magis, vt caliditas deprauatæ in deliriis. Causa morbi, materia quæcunque grauans multitudine pituit. in vero lethargo, atra bilis in catalepsi, sanguis in quodam caro. Omnes lethargi, si cum febre, forte & flaua bilis, si crassa & multa: visum enim est post febres ardentes sopitos ægrotantes, & bilis crassæ excretione liberatos.

3. loc. af. 5.

De com. 2.

1. Sy. ca. 8.

3. lo. af. 5.

Efficiens quodcunque pituitam gignit & commouet ad caput.

Vaporosa inter alimenta, vina crassa, lactuca, lac, cæpæ. Inter medicamenta, soporifera appellata: quædam ex his etiam insaniam inducunt, vt hyosciamus, mandragoras, vinum merum. Caput replent etiam balnea, austri, febres, absessus post aures. Aetas puerilis declinans.

3. Aph. 5.

Signa. Cognoscitur somnus præter naturam, tempore inconsueto, noctu melior, quam die, mane quam vesperi, in declinatione febris & statu, quam in augmento: pessimus in principio accessionis. Longitudine, nisi ex manifesta causa, vt post longas vigilias. Sæpe somnus duorum dierū profuit, & post vini potum liberaliorem, in infantibus magis, Hyeme, Profunditate, id est, difficili expergefactione, quod solum signum grauis somni ponitur. Excipienda hic quoq; causa manifesta. At non omnis morbosus profundus, vt coma non somniculosum. Inquit enim Hipp. Prehendebat eos coma continuum non somniculosum, & Galen. vigilare nequeunt ob pituitam, neque dormire ob flauam bilem, neque attol-

2. Prog. 11.

2. Aph. 1.

2. in 1. Prog. 28.

1. Aph. 15.

2. Aph. 3.

3. in 3. Epi. 39.

De Com.

attollere palpebras. Vigilandi impotentia discernitur pulsu paruo, & languore. Contingit sæpe in Phrenitide emoriente virtute.

Sopor continuus in Lethargo ad differentiam eius, qui fit in principiis accessionum ob caloris concentrationem & refrigerationem. Ab initio magis quam Phrenitis. Initio sopore erant oppressi, fastidiosi, in horrescentesque. In mixto non semper continuus. Incipiunt magis vigiliæ, succedunt sopores, absumpta bile, relictis humoribus crassis.

2. Aph. 1.
3. in 5. Epi. 24.

Febris continua ex genere quotidianæ inter ardentes. febris non acuta, neque magnopere sitibundi, vel deliri. Accessiones plerisque diebus paribus. Extremæ manus & pedes frigidiores fere per totam accessionem, vix nec probe redibat calor. Grauitas capitis sine mordaci dolore. Ratio læditur diminute, vel in totum ob frigiditatem, vnde tarditas in loquendo. Non deprauate, nisi misceatur cum phrenitide. Obliuio sub accessiones, languor, vociſque defectus: Ignorantia aliquando sui ipsius & suorum, vt Thucidides in peste narrat. Paulus tardus, rarus, vndosus in altis soporibus semper inæqualis, intermittens, aliquando dicrotus, id est, quasi replicatus. Vrinæ tenues, aquosæ. Subsidentia alba sursum petens generari significat, præcipue in subiugalibus. Nam firmato humore in parte tenues & aquosæ.

3. loc. af. 5.
3. in 3. Epi. 37.
4. cap. 13.
3. in 3. Epi. 41.

Prognostica. Periculosus. Nam inter acutos, & ob partem principem, diuturnior Phrenitide. Ignorantia & obliuio cum rigore malum. Labi ad pedes his contingit, quod malum. Soluitur coctione, egrediente humore vel per nares, vel per palatum. Abscessu post aures. Non soluitur morbus, nisi vrinæ crassescant cum subsidentiis albis, vel præcedentibus flauis in materia mixta. Moriuntur congelato & perfrigerato sanguine in cerebro. Hinc Sphacelus nascitur.

1. Acu. 8.
2. in 1. Pror. 29.
1. Prog. 15.
3. in 1. Pror. 75.
2. de morb.

CAP.

CAP. XIII.

Lethargi curatio.

CVratio in principio & fine similis est phrenitidi. Ad humorem ascendentem ad caput. Euacuatio reuellens ad interiora: venæ sectio ex Cephalica vel communi in plenitudine totius: sin per hæmorrhoidas, cucurbitulas in dorso, clysteres acutiores, quam in phrenitide addito melle, hiera composita: Non medicamenta purgantia in initio Auic. quia virtus sopita non adiuuat, & interim agitando caput magis replet: amplius humor crassus longiori tempore eget ad præparationem & concoctionem, vt Gal. testatur. Præparantia per incidentia & extenuantia. Oxymel s. comp Acetosus de duabus radicibus, sy. de Betonica, de stœchade. Sed contemperanda caliditas febrilis & putredinis, ex decocto cichorei, agrimoniæ, capilli veneris. Purgatio vbi morbus in longitudinem protrahitur, præcipue si tremor apparet, nec febris vehemens. Trall. Scammonii scrupulus vnus, castorei scrup. duo, fiant pilulæ. Aliud hieræ s. drachma vna: colocynthidis scrup. semis, mirobalani scrup. vnus, Mastiches scrup. vnus & semis, fiant pilulæ. Nos vtimur pill. Aggregatiuis. Si febris vehemens, abstinendum à purgantibus: solum castoreum propinandum scrup. vnus per se, vel cum oxymelite hora vna ante accessionem generosissimum remedium Trall. & Auil. *13. Meth. 21* *1. Aph. 24.*

Capiti in initio repellentia conueniunt, ad humorem ascendentem, per oxyrrhodinum vsq; ad tertium diem. Paulus & Trall. admiscent calefacientia extenuantia, thymum, castoreum. At post principia Gal. & Auic. Auicenna post duos dies: Acetum scyliticum cum oleo incoctis thymo, calamento, peucedano, panace, iride, aristolochia, castoreo: suturas irrigando & fouendo. Naribus ad pituitam dissecandam in cerebro, nigella ex aceto, ruta, thymum, pulegium, origanum, sisimbrium. Ad educendam pituitam sternutamenta ex acribus & *3. loc. aff.*

valen-

valentibus inspiratis, vel insufflatis, vel illitis; Apophlegmatismi, palatum inungere ex sinapi cum melle. Piper, staphisagria, euphorbium, castorium ex oxymelite. Digitis extrahenda pituita ex ore. Vomitoria cum penna illita ex prædictis. Inueteratis sinapismi capiti raso, & cucurbitulæ in occipite, sed præparandus locus fomento ex sale, milio, furfure in sacculis: post sinapismum mitiganda vstio ex oleo violato. Recentiores inurunt in vertice, & occipite. Hipp. non inurit. Inquit enim, ad Bletum, quem lethargum esse diximus, si reliqua non prosint, vnica spes relinquitur. Sinciput, findito, & vbi sanguis defluxerit, labiis compositis curato; sin moritur decima octaua vel vigesima die.

Ad symptomata, ad febrem non conueniunt refrigerantia & humectantia, quia contra indicat pituita, & sopor. Tamen in principio requiruntur ad sistendum motum humoris, vt sy. violatus, de endiuia, bolus armenus cum aqua rosacea, vel acetosæ, quo tempore etiam conuenit oxyrrhodinum. Ad soporem, excitandi, ne in caron transeant. Sinere paulisper hora consueta dormiendi, vt noctu, mane, non meridie, nec vesperi. Somnus confert ad concoctionem, vigilia ad digerendum. Vtraque necessaria in humoribus crudis, moderate & vicissim. Fugiendus in principio accessionis. Concedendus in declinatione magis, minus in statu, adhuc minus in augmento. Fugiendus, quando laborem præstat, vel delirium. Concedendus cum sedat vtrunque. Excitandi per interualla post dimidium horæ, clamore, odoribus ex aceto acerrimo cum ruta, thymo, pipere, euphorbio, castorio, fumigiis ex cornu cerui, galbano, ferula, eupatorio, capillis humanis vstis, & ex aceto illitis fronti. Trall. dolorificis cum euulsione pilorum, compressione digitorum, vinculis ad extremas partes. Frictionibus asperis ex sale & aceto. Cucurbitulis deorsum attractis ad tibias, coxas, clunas, & dorsum. Scylla leuigata ex aceto illinenda plantis pedum & manuum.

Suppo-

Suppositoria ex melle, sal, gemma, & speciebus hieralogodion, simul reuellunt & excitant. Hodie vtuntur vesicatoris cum cantharidibus fermento exceptis, cum aceto scyllitico, ad brachia, ad crura. Paulus rubores excitat in cruribus, & femore. Celsus inquit: Validissime excitat aqua frigida repente infusa post remissionem, perunctо prius corpore multo oleo: deinde per caput totum corpus perfundendum. At non in difficultate respirandi, neque duris hypochondriis. Non iaceat præsertim supinus, nam excrementa non descendunt ad palatum, sed erecta ceruice, aliquando pronus, cum descendit pituita. Ad vrinæ obliuionem comprimenda vesica supra pectinem, inungenda ex oleo rutaceo, cum castorio. Ad Parotides; si magnitudo inflammationis periculum minetur, diminuenda initio ex missione sanguinis ex cubito eiusdem lateris. Ad particulam relaxantib, vtendum, non repellentibus, ex oleo amygd. dulcium, chamæmelino, anethino, liliaceo, pinguedine anatis, additis digerentibus & concoquentibus, myrrha, thure, croco, iride. Si vergat ad suppurationem, cataplasma ex althæa, fœnugræco, semine lini, farina hordei. Postea aperiendum, vt pus ducatur.

Victus tenuis, ptisana, cremor auenæ. Paul. Halicæ cum oxymelite, apio, hyssopo. Amygdalæ succus ex melle, mica panis cum aqua mellis: admonere vt bibant, colluant, deglutiant. Cogere Bombilio Paul. quod vasculum anguſti oris ad infundendum. Potus mulsæ cum modico piperis, aut cinnamomi non actu frigidus: vinum modicum apparente coctione. Post cibum vigilet, extrema vinciantur, & vngantur, ne vapores ferantur ad caput. Aer luminosus, siccus ex suffumigiis. In declinatione gestationes moderatæ. Trall. balneum aquæ dulcis laudat, multos graui somno excitatos.

CAP.

CAP. XIV.

De Lethargo Spurio.

LEthargus ſpurius quidam ex mixtione flauæ bilis, in quo delirium & ſopor, affectus medius, magis & minus accedens ad phrenitidem aut lethargum. Alius ex melancholia. Hunc Aetius catochem & catalepſim vocat, quia eſt veluti mentis occupatio & apprehenſio. Delirii ſpecies ex atra bile magis periculoſior lethargo cum febre ſimili. Aliquando ex ſanguinis copia. At Galenus catochem & catalepſim affectus eſſe ſine febre. Si cum febre lethargum eſſe, ſoporem eſſe vigilantem, in quo manent apertæ palpebræ, affectum frigidum & ſiccum. Tradit tamen Hippocrates catochem febrilem, cum inquit: Capite dolentes cum catoche delirantes, & in febre ardente aliquando fieri catochem. Hunc ſignificaſſe videtur in Prog. cum inquit: Oculorum in ſomno ſuſpectiones, id eſt, ſomnus non clauſis exacte palpebris, quod ob ſiccitatem. Paulus catochem vocari apud poſteriores non mixtum affectum ex bile & pituita, vt apud antiquiores, ſed ſimplicem affectum ex humore frigido & ſicco in poſteriore parte cerebri. Fieri aliquando a cauſis procatarcticis, vt ebrietate, medicamentis, ſuperpurgatione, morſu ventriculi, vermibus, vtero per conſenſum. Pertinent hi ad conuulſiones, quos congelatos vocant Arabes, omnes ſine febre. Alibi apud Hippoc. Sphacelus & Sphaceliſmus vocatur, quaſi cerebri corruptio, in qua fit repentina obmuteſcentia, vt in apoplexia, & liuor in facie, vt ſolet in gangræna. Sphacelus inquit cum febre, in anteriore parte, facies paulatim intumeſcit, & liuida fit, febris & rigor. Sphaceliſmus ſine febre in poſteriore parte capitis, dolor ad ſpinam. Signa mixtionis, dominante pituita ſopor, vt in Lethargo oculis clauſis, & delirium cum excitatur. Dominante bile, ſopor cum continua vigilia & delirio: quod coma non ſomniculoſum, non exacte claudunt palpe-

Meth.

oc. af. 2.

1. Pror.

& 55.

ror. 11.

morb.

3. de

b.

3. Epi.

palpebras. Ex mixtione atræ bilis, somnus cum oculis apertis, & febris continua, videntur vigilare, quia oculos non claudunt, at non audiunt, nec vident, & aliquãdo repente obmutescunt. Aet. aliquando nictant, aut intente videntur intueri, & veluti fixos oculos habent, & palpebras penitus immobiles, etiamsi admoueas manus, non audiunt nec loquuntur. Admouent aliquando manus ad oculos & nares, quasi vellicentur. Aliquando potus per nares egreditur, deglutire nequeunt. Dolor maior capitis, quam in lethargo, rixa & alienatio. Pulsus parui languidi quasi deficientes, respiratio inæqualis; suspiria per interualla. Alui & vrinæ suppressio ob stupiditatem & ob raptum ad caput. Sordes in oculis aliquando festucas colligunt. Auic. Prognostica. Hipp. de sphacelo & sphacelismo inquit, cito pereunt die tertia, nisi iuuet sanguinis fluxus è naribus, & in prog. valde exitialis, nisi à medicamento contingat, in prorrheticis. Capiti dolentes cum catoche delirantes, intercepta aluo. oculoq; feroci, in scapulas rigent. *1. Prog. 11. & 12.*

Si oculos peruertitur, aut liuida est palpebra, aut nasus, aut labrum, cum aliquo alio signo, mors prope est. Significat sphacelum. In febre ardente oculorum peruersio mala, præsertim si catochi fiant. At ex causa procatarctica, & per consensum non adeo verenda.

CAP. XV.

Lethargi spurii Curatio.

CVratio ad mixtionem bilis & pituitæ, remediis ad vtrunque humorem, initio venæ sectio, reuellens à capite, hirudines ad hæmorrh. Cucurbitulæ deorsum trahentes, clysteres. Capiti repellentia. In augmento & statu miscenda digerentia ad pituitam, cum refrigerantibus ad bilem tam extra capiti & hypochondriis, quam intra ad humores alterandos & euacuandos, mixtis remediis ad phrenitidem & lethargum.

Ad catochum febrilem, si ex solo sanguine, venæ se-

ctio sufficit, nec expectandum, vt facies liuescat, inculcato scilicet sanguine, vnde sphacelus oritur, & capiti oxyrrhodinum, si sanguis impactus relinquitur, ad digerẽtia transeundum.

Ad humorem melacholicum, venæ sectio, si facies rubet, & vires consentiunt, ex cephalica, audactius, si fluat niger & crassus, vtilissimæ hirudines ad hæmorrhoidas. Non si ob siccitatem, aut post euacuationes ex pharmacis, neque purgantia, sed clysteres reuulsiui singulis diebus. Simplicissimus apud Aet. ex succo furfuris melle spuma nitri. Efficacius incocto polypodio aut elleboro nigro. Capiti oxyrrhodinum, at non perseuerandum cum aceto ob siccitatem. Conueniunt humectantia & refrigerantia, vbi febris vehementior, nunc etiam calefacientia moderate, vbi febris remissior. Oleum dulce tepidum solum capitiirrigandum, aut amygdalarum dulciũ, nũc incoctis violis, capitib. papaueris, chamæmelo; nunc serpillo, thymo, castorio, sed modice ob siccitatem. In his vtilissimi pulli gallinarum aut columbarum dissecti & impositi: pulmones calidi, nam miti calore non exasperant. In his non conueniunt sternutamenta, nec apophlegmatismi, nisi post multam humectationem. Non frictiones siccæ nec vehementes. Non cucurbitulæ, nam terrestris humor non insequitur, tanto minus inustiones. Præcipua curatio in humectatione, & post humectationem purgatio. sy. ad atram bilem, de pomis, de epithymo, melissa, bugloſſa. Medicamenta purgantia in declinatione. Sena, polypodium, epithymũ, confectio hamech. Totum corpus inungere ex oleo anethino amygdalino, chamæmelino in hyeme, violato in æstate.

Balneum aquæ dulcis. Victus humidus, ptisana, potus non aquæ, sed apomeli, mulsa diutius incocta. Anethi & Apii decoctum, vbi vrinæ crassæ. Iura carnium cõtemperant atram bilem. Hipp. ad sphaceliſmum cerebri, si sanguis è naribus fluxerit, aut per vomitum, si plus iusto

iusto vomat, bibat farinam trimestrem aquæ insparsam. Si è naribus, reuulsio fiat ad venas brachii, & compressio fiat in temporibus ad venas vinculo suppositio splenio. Bibat acetum album aquosum, & si debilis sit, ptisanã, vitet calefactoria. Si sanguis non fluxerit, calefactoria ex eruo in sacculis feruente cum posca ad ceruicem, dorsum & pectus adhibenda, existente dolore in posteriore. Si dolor in anteriore, apparente tumore, & liuore, secandum qua parte intumuit, & purgato osse, radendum vsque ad secundam laminam, deinde curandum, vt fracturam. Si tumor non apparuerit, neque sanguis fluat. Sternutatoria adhibenda per odorata leuiter, & aluus vtraque purganda. Sorbitiones tenues tepidæ, abstineat à vino.

2. *Acu.3.*

3. *Morb.*

CAP. XVI.

De Mania.

MAnia, insania, furor; id est mentis alienatio, est delirium sine febre. Morbus appellatus à symptomate. Est enim prauus motus imaginatricis, vel rationis, vel vtriusque simul. Num & memoriæ? Nam est prauus motus regentis facultatis.

2. *Sy. ca.7*

Sy. dif.3.

Deprauatur autem memoria, cum aberrant circa præterita: Alia vero est oblivio, tarda scilicet recordatio aut nulla. Cum symptoma imbecille est, vocatur delirium & desipientia. Cum vehemens & continuum, mentis alienatio.

7. *Aph.5.* & 9.

Si cum timore & mœstitia, melancholia. Si sine his, nomine generis mania. Rasis & Trall. Melancholiam pro genere. Paulus maniam vocat siue insaniam, cum ferarũ more efferuntur violenter irruentes in vnumquẽque. Species variæ ex modo delirii. Causa delirii affectus, qui vel intemperies calida eorum, quæ in cerebro, vel succi vitiosi mordentes, aut atri. Non frigiditas, nam diminutionem & immobilitatem facit; fatuitatem, obliuionem, torpidas actiones, non deprauatas. Neque

8. *Aph.23.* & 3. *Aph.* 20.22.

4. *loc.af.2.*

2. *Sy. ca.7.*

3. loc. af. 5. humiditas, nam pigritiam, & insensibilitatem facit. Siccitas motum facit. & vigilias. Mania fit apud Galenum
3. Aph. 5. ab humore irritante & mordente, cuiusmodi semper est
6. Aph. 56. flaua bilis: aliquando atra, cum supra modum exusta, aut putrefacta malignam induerit acrimoniam. Aetius, Trall. & Auic. Quandam fieri ex multo sanguine puro, non putrefacto ad cerebrū confluente, vt in ebriis, quod & Gal. concedit, cum inquit: Desipiunt aliqui ex vini potationibus, capite oppleto plurimo sanguine & spiritu ca-
7. Aph. 7. lido. Trall. eandem fieri sponte in iis, qui sanguine abundant. Forte id significauit Hipp. cum dixit: Vere furo-
3. Aph. 20. res, quamuis Gal. hos tribuerit Autumno, prauis humoribus reseruatis in id tempus. An à sanguine fieri potest in Vere, cum ob multitudinem non contemperatur à cerebro? vt vult Aristoteles. Circa hæc dubitatur. Pri-
2. Par. an. 7 mo, Si aliquando fit mania à sanguine multo & puro,
6. Aph. 56. non bene Gal. scribit, semper ab humore mordente, vt bile aut atra adusta. Respondetur, non omnem desipientiam maniam esse, sed cum vehemens est delirium.

Potest enim delirium fieri à sola intemperie, & à sanguine multo & vini potu, non tamen mania est. Est enim mania vehemens & diuturnus affectus. At desipientia ex ebrietate, & solo sanguine breuis est, cito enim in his sedari potest perturbatio, quæ mentem commouet. Sed ad clariorem intelligentiam sciendum est: delirium non fieri seu in febre, seu sine febre, nisi spiritus animalis commoueatur, & turbidior fiat. Inquit enim Hipp. De-
2. de morb. sipit homo, cum sanguis in capite à bile aut pituita calfactus, & plus solito commotus fuerit. Iterum inquit. Sanguis in homine maximam partem confert ad pru-
1. de morb. dentiam, quidam dicunt, totum. Cum igitur bilis commota ad venas, & ad sanguinem ingressa fuerit, commouet & calfacit, & desipit homo & non sibi constat, motione non solita contingente. Hæc Hipp. Quibus cō-
2. Par. an. 2 sentit Arist. vim sentiendi intelligendique obtinet pleniorem sanguis tenuior & frigidior. Optime constant &

ad

ad robur, & ad prudentiam, qui calidum, tenuem & syncerum habent. Cum igitur sanguis arteriarum, in quo spiritus animalis in cerebro continetur, à prauis humoribus turbatus fuerit, & impurus redditus, deprauari actiones principum facultatum necesse est. Nam pro humorum prauitate deprauari imagines putandum est, & pro commotione imaginum, ac turbatione spiritus, iudicium lædi. Quies enim & puritas spiritus animalis ad prudentiam facit. Ideo non quælibet intemperies calida & sicca cerebri delirium facit, etiamsi vehemens sit, vt patet in doloribus capitis & multis febribus, sed in quibus commotio fit imaginum. Earum enim tumultu mens occupata externa sensibilia iudicare nequit: sed pro motu imaginum varie mouetur. Turbari etiam potest sanguis sponte, cum calidior ascendens non refrigeratur à cerebro ob eius intemperiem calidam vel siccam. Inquit enim Arist. Deliria contingunt, cerebro supra modum sicco, quia non refrigerat ascendentem sanguinem. Et Auic. inquit: Ob paucitatem medullæ cerebri vel natura vel morbo, non sapiunt, quia non sufficit ad copiam sanguinis temperandam. Ex sola igitur intemperie cerebri delirium continget, cum sanguis copiosior fuerit, & calidior, vt in ebriis: non enim in his sedatur motus calidioris sanguinis. Non fit autem similis motus in omnibus febribus. Quamuis enim in venis ferantur humores: non tamen est necesse commoueri spiritus in exiguis arteriis cerebri contentos. 2. *Par. an. 7*

Relinquitur igitur, solum ab humoribus mordentibus, vt bile flaua vel atra adusta, delirium sine febre fieri, quæ mania dicitur: hi enim soli morsu irritare possunt & mouere spiritus animales. Altera dubitatio. Desipientiam fieri etiam à pituita, tradit Hipp. conuerso sanguine ad serositatem, quia humiditas facilis est ad motum, id est, ad ingressum in venas. Et ex plurimo sanguinis profluuio. Gal. interpretatur ob virtutis defectum. Idem in decrepitis. An per desipientiam etiam significatur dimi- 2. *Morb.* 2. *in 6. Epi.* 38. *De morb. sa.* 7. *Aph. 9.*

iuta ratio? quæ ania, & parania, & stultitia vocatur, ob frigidam intemperiem. Sic à pituita causæ remotiores, quæcunque turbare possunt spiritus animales in vasis cerebri, magnæ animi perturbationes, excandescentia, ira, mœstitia, curæ, nimium studium. Medicamenta turbidos vapores mittentia. Cicuta, Hyoscyamus, solanum manicum, vigiliæ diuturnæ, circa vmbiculum dolores palpitantes. Ab ileo aliquando dehpientia 7. *Aph.* 10. vitia septi transuersi, cum traxerit prauos humores, vel cum non retinet vapores prauos ex ventre inferiori. Hoc modo oritur melancholia hypochondriaca. Sic in vere furores, quia commouet humores. In autumno, constitutio aquilonia. In vigore ætatis, aut post, raro ante. In viris magis, fœminæ ob defectum menstruorum, *libro de virginum morbis.*

Locus affectus ventriculi cerebri anteriores læsa imaginatione, medius, læsa ratione, posterior læsa memoria. Auic. concedit & Gal. ob diuersa loca in cerebro fieri diuersas species delirii.

Sed magis in substantia cerebri, quia ventriculorum morbi potius obstructiones sunt. An spiritus animalis in vasis primo continetur, vnde diffunditur in totum cerebrum, & ventriculos.

CAP. XVII.

Signa Maniæ.

SIgna futuræ maniæ eadem, quæ futuræ phrenitidis. Ex causis & effectis. Vigiliæ diuturnæ, sputa rotunda, id est, spumosa & exigua, candida, glutinosa. Capitis leuitas, vipratio, vt putent vacuum, aut se eo carere. Aet. aliquando grauitas, aurium sonitus, splendores. Circa vmbilicum dolores palpitantes, ob septi transuersi læsionem. Galenus Risus præter rationem non consuetus, an ob titillationem septi transuersi ab euaporatione ascendente.

Cui vena in cubito pulsauerit insanus & iracundus.

Faci-

Facile irascuntur curæ pernices peregrinæ. Venus multa in somno. Lingua obtremiscens. Progressis fiunt oculi caui, intenti ac fixi, puluerulenti. Pulsus durus. Respiratio rara & magna. Vrinæ sine residentia prærubræ, contenta sublime petentia, id est, euanescentia. Factæ signum pathognomonicum, mentis alienatio & euariatio à communi hominũ ritu & sanorũ moribus sine febre, ex sanguine, faciei rubor, venæ turgidæ in fronte. *2. Epid. 5. & 6 Pla. 9 1. in 1. Pror. 20. 1. Præs. 4. Pro. 24. 1 in 1. Pror. 31.*

Capitis grauitas, imbecillitas, dementia cum risu & iucunditate. Aet. canunt, non læsa memoria. Causæ antegressæ, *li. Def.*

Ex flaua bile, iracundi, iniuriosi, pallidi, oculi caui, aurium sonitus, causæ. Ex assata atra bile. Ferina dementia, Auic. Dæmonium lupinum vocat, ob mores ferinos & effigiem. Ex cerebri siccitate, leuitas, nulla excrementa. *3. Io. aff. 7.*

Per essentiam in capite, continua insania, per consensum ab humoribus ascendentibus, aut vaporibus, interualla, exacerbationes, quædam in vere, quædam in æstate, quædam in autumno pro humoris natura. Prognostica. Morbus diuturnus, non lethalis Cels. nisi transeat in conuulsionem, aut atrophiam.

Incurabilis, vbi in habitum confirmata fuerit. Ex defectu medullæ cerebri, mala ex profluuio sanguinis, ab ileo, desipientia & conuulsio coniunguntur sæpius, quia affectus arteriarum facile in neruos transit. Ex multa potatione rigor & desipientia, malum. *7. Aph 9. & 10. 7. Aph. 7.*

Desipientiæ cum risu, id est, cum ioco, securiores, quæ cum studio, id est serio, Cels. periculosæ. Gal. illas ex sola caliditate vt in ebriis, quæ cum studio ex flaua bile pessimæ ex atra temerariæ. A furore difficultas intestinorum, vel aqua inter cutem, vel mentis alienatio, bonum Gal. vt in febribus aliquando vehemens soluit, sic alienatio furorẽ. Ex tumultuosa permutatio in blandam & contrectabilẽ, mala, quia significat in habitum trãsire, vt lanæ tinctæ ablui nequeãt, vel quia tumultuosa *6. Aph. 53. 7. Aph 5. 1. in 1. Pror. 33.*

in membranis est, blanda in cerebri substantia. Si prius læsa memoria lædatur ratio vel imaginatio, securior, quam è contra. Auic. Egemus enim memoria ad rationem. At læsa prius ratione, si cæteris communicetur, significat augeri morbum, vt aliquando neminem agnoscant, signum læsæ memoriæ. An significat transire in posteriorem partem, quæ principalissima est secundum Herophilum.

CAP. XVIII.

Curatio Maniæ.

MAnia curatur, & omne delirium, sedando motum perturbantem spiritus animales, & eos defæcando ab omni impuritate. Ad causas, multitudinem sanguinis, aut flauæ bilis, aut atræ assatæ, euacuatio & contemperatio. Ad intemperiem calidam & siccam refrigeratio & humectatio. Sanguinis copia requirit venæ sectionem in principio ex cephalica, vel media, vel interna, vel in pede, vbi ob defectum menstruorum, vel per hæmorrhoidas. Facit & ad euentationem, vt vapores turbulenti exeant. Huius gratia multa & tota simul requiritur ex venis amplioribus, si vires tolerent. Sin pulsus deficit, supplendum iteratis vicibus altera die vel tertia ex angustioribus venis, donec feruore extincto considerantes fiant. Idem Hipp. de virginum morbis. Ante venæ sectionem per tres dies victus tenuis refrigerans & humectans abstinendo à carnibus & vino penitus. Post venæ sectionem, somnum conciliare ex Diacodion cum ptisana, aut alica, aqua. Repetere alternis diebus, ne singulis obstupescant sensus. Ventrem lenire, ne vapores ascendant, clysteribus, cibis lubricantibus. Vltimo ad sanguinem impactum, vena frontis media secanda est. Eadem remedia iteranda ante exacerbationem in vere. Ad flauam bilem, præcedente venæ sectione, si eius copia fuerit, purgatio sæpius ex hiera, & scammonio Trall. & Act.

Celsus

Celsus ad desipientiam cum studio exhibet elleborum nigrum. Ad iocosam elleborum album, sed præcedat præparatio ad inferiorem ventrem aluus mouenda: cum ad superiorem, aluus comprimenda.

Trallianus monet abstinendum à calidioribus medicamentis: nam ex vsu diuturno redduntur magis furiosi. Ideo frigidioribus vtendum, vt apud nos Cassia, syrupus rosatus solutiuus, Tamarindi.

Diacatholicon, electuarium rosatum. Ad assatos autem, epithymum, sena, confectio hamech. Præcedat præparatio humectantibus & refrigerantibus victu solum, Trall. Nam potiones medicatæ absente febre ventriculum offendunt. Ptisana cum diluculo cum granis suis. Balneum aquæ dulcis: Inunctio ex hydraleo. Cels. ex aqua & oleo præsertim facit ad assatos. Victus humidus ex elixis mane & vesperi: Gallina cohortalis, auiculæ montanæ, pisces saxatiles, cancri, erinacei, lactuca, endiuia, pepones, cucumis, vuæ dulces duræ carnis

Mala dulcia, non austera, non ficus, non brassicæ, non oua, præsertim in biliosis, & iis, qui cruditate nidorosa laborant, vt plerique Maniaci. Non valde diuretica, non obstruentia, nec caput replentia. Non lac, nec butyrum. Non vinum austerum, sed aut aqua tepida præsertim dormituris, & post balneum, aut vinum album tenue, post principia.

Sedatur autem perturbatio spirituum animalium per soporifera, quæ post euacuationem adhibenda sunt, vt diacodion, syrupus de papauere, ex aqua lactucæ, aut violarum post cœnam.

Defæcant sanguinem frigida & sicca, margaritæ, fragmenta preciosa ex aqua rosacea, non valde odorata, quia caput replent. Lapis Bezaar, bolus armenus, corallium. Exsiccant enim ichores, qui in arterias penetrarunt, à quibus fit mentis perturbatio, capiti refrigerantia, quæ & in principio conueniunt ad repellendum. Irrigatio ex oxyrrhodino, aut rosaceo cum succo polygoni, oleo

2. in 6. Epi. 38.

œnanthino, id est, ex flore labruscæ, melino, lana imbuta sincipiti sæpius admota; humectantia ad solam intemperiem siccam. Irrigatio ex aqua tepida aut decocto pedum & capitum castrati. Abstergere luteis ouorum, inungere ex butyro, lacte, rosaceo. Post diuturnam humectationem totius & capitis, & purgationem totius, Aetius caput purgat per nares, succo betæ, elaterio cum lacte, elleboro albo, masticatoriis ex mastiche, staphisagria, collutionibus ex aceto mulso incoctis hyssopo, pulegio. Sanguisugis toti capiti, præsertim sincipiti, cucurbitulis. Quidam inurunt quatuor vstionibus forma crucis. Arnaldus etiam ossis particulam aufert. At in materia calida & sicca offendunt magis, quam iuuent euacuando, non enim humores crassi lædunt, sed ichores. Aetius declinante affectione pulueres digerentes inspergit in sincipite, ex iride, squinantho, cassia, apio, rosis, thure, nitro, pumice, in balneo aquæ dulcis: eodem puluere totum corpus fricat, sed leuiter caput abstergendo, & aliquando frigidam irrorando, si calidius appareat.

Post rubificatorium ex sinapi & caricis imponit ad corroborandum. Trall. damnat antiquam curationem per pulueres acres, & cucurbitulas, & hirudines, nisi materia valde crassa & impacta fuerit, nam cerebrum siccant. Auicen. damnat etiam caputpurgia, quia attrahunt. Digerentia quædam conueniunt intus assumpta, quæ totum corpus respiciunt ad quoscunque humores, gentiana vel aristolochia drachma vna cum aqua mulsa pota, betonicæ succus, radix fœniculi syl. & semen ex aqua quotidie. Brioniæ radicis drachma vna quotidie anno toto Pli. Quod remedium Dioscorides ad epilepticos tradit. Clysteres ex centaurea & gentiana, lac caprarum, quæ depastæ sunt elleborum. Dioscor. Nam elleborum acuit ingenium, præsumi solitum à Carneade Philosopho, cum disputaturus esset. Pli. Celsus frictiones totius corporis & exercitationes vehementes conuenire, vt nu-

vt nutrimentum frigidum & humidum distribuatur in corpus, & prauos humores corrigat; iuuare aliquando vehementer animum perturbare, vt subito terreantur; sic enim dimouetur mens à suis cogitationibus. Cum redierit mens, conuenit annua peregrinatio. Ad symptomata. Ad vigilias explicata sunt remedia in phrenitide. Ad genus delirii, persuadenda sunt contraria: si non audiat, addendæ sunt minæ, & plagæ ad temeritatem. Ad inobedientiam, deceptio: Abscondere in cibis medicamenta purgantia, aut alia; præsentia viri venerabilis. Ad ferinam, cauere ne irruat, auferre instrumenta noxia, vincire manus & pedes ad lecti columnas. Aut gestandi grabato quodam pensili, quem girgathon vocant, lectica est insanientibus propria. Paul.

Demandatur huc illuc ad somnum conciliandum. Silentium, non turba hominum, non aer valde lucidus, non spectacula, sed Musica; aliquando Venus, vt agnoscant voluptuosa. Signum perfectæ sanitatis aspectus humanus.

CAP. XIX.

De Melancholia.

MElancholia dicta à causa putata. Affectus melancholici plures, cancer, elephas, scabies, lepra, vitiligo nigra, quartana. *2. Meth. 2.* *7. Aph. 40.*

Melancholia, quæ species est insaniæ, in qua timor est & mœstitia, sine febre. Deprauata imaginatio vel ratio, vel vtraque, cum videantur tristia & timenda, quæ non sunt. Morbus intemperies frigida & sicca cum humore melancholico, vel in ventriculis cerebri, vt Auic. vel in corpore; vt Gal. quia omne delirium læsio est cerebri, non vt instrumentū, sed vt pars similaris. Hipp. Melancholici magna ex parte fiunt Epileptici, & è conuerso. *3. lo. af. 7.* *6. Aph. 23.* *1. Temp. 3.* *3. lo. af. 7.* *6. Epi. inf.*

Si in corpus vergat affectio, fiunt epileptici, si in mentē, Melancholici. Gal. in mentem repere, interpretatur, temperiem mutare, quæ aut est, inquit, animæ substantia, aut illi proxima. In corpus autē cum vitiat instrumen-

mentum. Quod aliqua ex parte consentit cum Arist. vbi inquit. Intelligendi facultas insequitur temperiem sanguinis & puritatem. At non corporis continentis, vt putat Galenus, sed contenti spiritus vel sanguinis. Vergere igitur in mentem est in ipsum spiritum, quod est proximum animæ instrumentum, sine hoc enim nō cogitat, neque intelligit, operatio magis separata à corpore, quam sensus exterior. Sed dubitatur de intemperie frigida. Si enim frigiditas torpidas actiones facit, non deprauatas, non continget delirium in melancholia. An ratione siccitatis delirium, nam motum facit, & vigilias. Ratione autem frigiditatis mæstitia; nam spiritus in angustum compingit, lætitia diffundit. Ratione autem nigredinis timor, vt in tenebris. Hoc Auer. impugnat tanquam verba fabulosa. Quia non aduenit læsio animæ in tenebris, nisi priuatio luminis. Secundo, quia anima non videt ea, quæ in corpore sunt, vt terreri possit nigredine interna. Tertio quia color esset ægritudo, cum immediate lædat actionem, at ad nulla genera morborum reduci potest. Ob hæc putat Auer. atram bilem ob proprietatem specificam terrorem facere, nō ob nigredinem, vt sanguis contrariam affectionem. At si ob proprietatem specificam, soli inesset terrorem facere, ferrent autem multa alia, omnia corruptiua imminentia seu vera, seu apparentia, ideo omnis morbus, si iudicetur periculosus, ferret. Nigredo autem eorum est, quæ corrumpuntur, vt Arist. *in libro de coloribus*, rubedo perfectionem ostendit. Quamuis autem non omnia nigra corruptionem minentur: terrent tamen animam, non bene iudicantem ob delirium. Quæ autem sana est, & recte iudicat, non expauescit omnia nigra, nec in tenebris quibuscunque timet. Sic solutum est primum argumentum. Ad secundum respondetur. Est quædam animæ vis, quæ percipit internas affectiones, nam dormientibus apparent, quæ intus offendunt magis quam vigilantibus, & melancholicis, & qui ecsta-

sin

sin patiuntur, vt fatetur Arist. & Hipp. de insomniis. Ad tertium. Nigredo symptoma est qualitatis mutatæ, & causa immediata alterius symptomatis terroris, vt contingit in aliis multis symptomatis se inuicem sequentib. *De Diu. i. insomn.*

Differentiæ ex modo delirii, ex moribus, loco affecto, causis.

Modus delirii, varia imaginantibus & timentibus, vt insidias, venena, mortem, carceres, damnationem, dæmones. Aet. Sæpius circa vnum tantum delirant, in cæteris sapiunt. Idem sæpe contingit iis, qui demorsi à cane rabioso, expauescunt aquas. Mores aliquando ferini, vt Lycaon Paul. & lycanthropia, id est morbus lupinus, imitantur lupos. Nocturna vagatio circa sepulchra, aufugiunt commerciũ hominum, & lucem, amant tenebras, vt plurimum mense Februario Auic. An quia fastidiunt bacchanalia & omnia iucunda? Similis in genere maniæ dæmonium lupinum Auic. ferina dementia, cum facie non humana, sed lupina. Eundem morbum describit Hippoc. vbi inquit. Phrontis, Cura à quibusdam vertitur. Aufugiunt homines & lucem, amant tenebras, timent, vident somnia horrenda, quandoque mortuos, vt plurimum in vere. Ex loco affecto tres species. Prima per essentiam in capite. Secunda per consensum à toto corpore. Tertia per consensum ab hypochondriis ascendente vapore vel humore melancholico, vt in phrenitide è septo transuerso, quæ melancholia hypochondriaca. Alia tamen est passio hypochondriaca seu flatuosa sine delirio apud Dioclem, quem Hipp. morbum siccatorium, & morbum nigrum vocat. *2. Morb.* *3. loc. af. 7.* *2. Morb.*

Ex causis, vel naturalibus humorem melancholicum generantibus, & ad sedem mentis commouentibus, vel diuinis, quas tetigit Hipp. cum inquit: Si quid diuinum inest in morbis, videtur significare dæmones. Vnde damoniaci vocantur, vel maleficia incantationum perpessi. Putauit Auic. Melancholiam non immediate fieri a dæmone, sed ab humore melancholico, quæ causa naturalis *1. Prog. 4.*

is est, seu fiat à dæmone, seu non à dæmone. An dæmon potest absque humore melancholico imagines tristes & terribiles inferre, vt alia multa? Quorum remedia diuina appellantur ab Hipp. in libro *de natura mulierũ*. Causa materialis est humor frigidus & siccus, seu humor melancholicus, qui veluti fæx sanguinis est, seu ex adustione genitus, quæ proprie atrá bilis vocatur, nam post exustionem refrigescit, licet retineat vstionis vestigium magis minus. Remotior causa quæcunque gignunt, cibi vel potus: caro caprina, bubalina, hircina, taurina, asinina, chamelorum, vulpium, canum, leporis, apri, intelligendæ sunt ex animali sene, non ex iuuenculis. Limaces. Salita omnia terrena, & ex aquatilibus thunni, & reliqua cetacea. Brassica, legumina, præcipue lens.

Panis furfuraceus, & ex vitiosis seminibus, typhâ. Caseus vetus. Vina crassa, & quæcunque assant, hepatis intemperies calida & sicca, vigiliæ, sollicitudines, mœstitiæ, febres ardentes. Aestas, Autumnus. Efficiens quodcunque permiscet cum sanguine arteriali & spiritu: vehemens animi motus, excandescentia, subitus timor, amor, quem heroicum vocant recentiores. Palpitatio circa vmbilicum. Flatuosæ agitationes in passione hypochondriaca.

CAP. XX.

Signa Melancholiæ.

SIgna melancholiæ pathognomonica, timor & mœstitia longo tempore durans. Gal. Si sine causa manifesta etiam breui tempore. Raf. cogitationes malæ circa initia: si in progressu ore proferuntur: tandem cum perfecta est, verba & actus permiscent.

Pro delirii vehementia & moribus humor benignior vel malignior significatur. Si per essentiam in solo capite, totius habitus non melancholicus, nec afflictio in hypochondriis. Præcessit capitis æstuatio, vt in febre ardẽte. Si lin-

lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis elanguuit stupore, melancholicum est, Gal. causam non videt, an atra bilis petit neruos? quia pituita non repente, sed vapor melancholicus repente. Si infebre ardente aurium sonitus cum caligine fuerit, & narium grauitas, mente ex melancholia aberrant.

Caligo nigritiam significat. Auic. Quorum facies vehementer rubet, balbutientes, lingua leuis, labia crassa, oculi inconstantes. Totius corporis habitus metus melancholicus cognoscitur ex macie, nigritie, hirsutie venæ latæ, sanguis exiens niger & crassus, suppressæ hæmorrhoides, menstrua. Et qui ruffo colore aut flauo, interdum melancholici. Ex causis, victu melancholico, vigiliis, inedia, curis, laboribus, non molles, non candidi & obesi. Ab hypochondriis Hipp. Phrontis morbus difficilis, in visceribus veluti spina esse videtur, & pungere. Anxietas, septum transuersum foris tumet, & ad contactum dolet, & expauescit. *3. loc. af. 7.* *2. Morb.*

Passionis hypochondriacæ signa ex Diocle. Sumpto cibo coctu difficili & caustico, sputum sequitur humidum, ructus acidus, flatus, æstus in præcordiis, fluctatio, non illico, sed cum retinuerint. Interdum dolores ventriculi vehementes, aliis ad dorsum, qui concoctis quiescunt, aliis ingestis reuertuntur, aliquando ieiunis. *3. lo. af. 7.*

Euomunt cibos crudos & pituitam vel subamaram, vel calidam, vel acidam, vt dentes obstupescant, vt plurimum ab ineunte ætate, diuturna affectio. Calidam esse intemperiem significant æstus, iuuari à refrigerantibus. De morbo nigro, apud Hipp. qui idem est, inquit. Nigrum vomit veluti fæcem, aliquando cruentum, aliquando veluti vinum secundarium, aliquando vt atramentum Polypi, aliquando acre vt acetum, quandoque saliuam & pituitam aut bilem viridem. Nigrum cruentum, fœtet cadauer, exurit os & fauces, stupescunt dentes, reiectum terram eleuat, febricula. Post vomitum melius habere videntur. Sed sine cibo viscera sugunt: *2. Morb.*

Cibo

cibo assumpto grauitas, punctiones, sic æger consumitur. Dæmonis signa iuuantia & lædentia. Exacerbantur sacris, à quibus tolluntur. Inuentio maleficiorum. Amoris heroici, pulsus inæqualis, cum fit mentio amoris, vt testatur Gal. se aliquando deprehendisse.

Prognostica. Recens facilius soluitur, difficile inueteratus. Infectis solis spiritibus, facile, cum transiuit ad solida difficile, veluti lanæ tinctæ. Tremores superuenientes maligni. Si accedat destructio appetentiæ, mala. Vlcera apparentia lethalia, nam mors in propinquo. Auic. Bona, si varices superuenerint, egestiones nigræ, scabies, elephanthiasis, hæmorrhois.

CAP. XXI.

Curatio Melancholiæ.

CVratio melancholiæ euacuatio humoris melancholici, & alteratio ad intemperiem siccã magis, quam frigidam. Ad causas efficientes, quæ gignunt, assant, aut commouent, magis refrigerantia quam calefacientia. Antequam morbus superuenerit, præcauere victus ratione cibis boni succi humectantibus, vt impinguentur, & carnosi fiant, in quo totum studium Ras. Caro ex gallinis, auibus montanis, hœdina, arictina, vitulina, pisces saxatiles, oua. Alternatim oleribus nutrire. Trall. ad refrigerandum, intubo, lactuca, borragine. Vinum album tenue. Præsente morbo, imprimis si quid diuinum inest, præcipit Hipp. à Diis exordiri: postea adhibenda remedia naturalia. Ad humorem melancholicum euacuatio & alteratio humectans & attenuans. Euacuatio prius à toto per venæ sectionem ex media brachii dextri Rasis. Auic. ex nigra, id est, interna sinistri.

Ex manu, hæmorrhoidibus. Ex pede in defectu menstruorum. Non si humor in capite tantum, nisi reuulsionis gratia. Vsque ad animi defectum in lycanthropia Paul. Aet. & Auic. si fluat crassus & niger, non si tenuis

tenuis flauus. Post venæ sectionem sedanda perturbatio, vt in mania, soporiferis. Hipp. inquit. Tristes anxios & ægrotos ac se strangulare volentes. Mandragoræ radice mane in potu data minori pondere, quam quod insanire facit, curabis. Pondus autem, quod insanire facit, apud Dioscoridem est drachma vna. Turcæ, ad animi anxietatem & ad præstandam alacritatem sumunt opium, nam somno expellunt omnem tristitiam. Purgatio post venæ sectionem recuperatis viribus per inferiora plenius. Mes. non subitam neque laboriosam, sed facilem per interualla, multa humectatione præparando sena in vino, vel iure gallorum, sero. Epithymi infusio, polypodium. Extat syrupus de polypodio. Trall. epithymi picræ vtriusque scrupuli sex. Post decem dies, Hiera ex colochyntide. si non mitigetur, transeundum ad lapidem armenum lotum scrupulorum quinq; vel sex cum tepida, vel pilulis cum hiera. Extant pilul. de lapide armeno, de lapide lazuli, Indæ. Antiquiores vtebantur elleboro. Hodie quidã felici successu elleboro nigro vtuntur pulueris scrupulo vno cum hiera, addito salgemma, vel drachmæ duæ decoctę cum sena. Quidam exhibent antimonium præparatum, grana quatuor cum zaccharo rosato vel in vino. Phrontis ab Hippoc. sic curatur. Elleborum bibendum & caput purgandum. Postea deorsum purgans bibat & lac asininum. Cibis pauciſſimis vtatur, si vires ferant, & frigidis & aluum ducentibus, non acribus nec salsis, neque pinguibus, neque dulcibus. Non lauet calida, neque vinum bibat, sed aquam aut vinum aquosum, non exercitatio neque deambulatio. Hæc si fecerit, liberabitur temporis progressu. Si neglexerit, commorietur. Ad passionem hypochõdriacam sine delitio Hipp. in morbo siccatorio purgat prius per inferiora, deinde per superiora. Vomat à succis & à cibis, & pro anni tempore lac aut serum asininum sumat. Æstate & vere lauet aqua frigida, autũno & hyeme vnctione vtatur, deambulet & modice exerceat. In-

De loco in hom.

4. Aph. 9.

2. Morb.

2. Morb.

tentio eius est ad prohibendam exustionem humorum. Eadem fere habentur in morbo nigro. Inquit enim: Purgandum frequenter, & pro anni tempore serum & lac bibat. Abstineat à cibis dulcibus & olensis & pinguibus, acribus & salsis. Vtatur frigidissimis & aluum subducentibus, caput purgato, & post potiones sursum purgantes, de manibus sanguinem detrahito, si non debilis fuerit. Id respicit hypochondria. Si aluus non egerit, clysteres molles, abstineat ab ebrietate & venere. Non multa exercitatio, neque lotio calida, morbus aufugit cum ætate, si vero denigratus fuerit, commoritur. At vbi delirium est, timor & mœstitia, amplius indicantur, quæ modum turbulentum compescant per obstupefacientia, & quæ sanguinem clarificent, vnde spiritus inficiuntur per ea, quæ ichores siccent ac refrigerent, vt in mania explicatum est. Conueniunt, quæ lætitiam præstant, bonum nuncium, & quæcunque robur præstant cordi, inter quæ est lætificans Rasis, quod singulis diebus sumendum est, cum purgationes non sumuntur. Item triphera de epithimo Mesues.

CAP. XXII.

De Obliuione.

MEmoriæ læsio diminuta vel amissa obliuio dicitur, deleta recordatio, vel tarda, si cum febre lethargus. Deprauatæ non fit mentio, videtur tamen in delirantibus imaginum confusio, in quibus error vel temporis, vel rei. Quidam senex continue eandem historiam repetebat, licet veram circa ea, quæ sibi in iuuentute contigerant, at recentium non recordabatur, imo nec se narrasse. Motus erat deprauatus intempestiuus, vt in delirantibus. Aliquando simul ratio læditur, quæ stultitia dicitur. Et è contra sequitur ad læsionem mentis intensam, vt neminem agnoscant. Recentiores putant neminem agnoscere vitium esse circa sensus. At est memoriæ, quia non recordantur ea quæ vident, se antea vidisse.

disse. Affectus omnino intemperies frigida, quia hæc primo torpidas actiones facit; siue cum humiditate, siue cum siccitate: Non caliditas. Videtur tamen Galenus solam humidam ponere, quia Memoria requirit stabilem & firmam cerebri substantiam, Obliuio fluidam id est humidam. Siccam præterea contigisse in quibusdam, & in quodam agricola, qui ob nimium studium, vigilias, & tenuem victum immemores redditi sunt. Aristoteles quoque inquit, Immemores fiunt, tum ob fluidam substantiam, vt crescentes & decrescentes pueri & senes, quia non manet impressio: tum ob frigiditatem & duritiem recipientis, vt tradi multum, tum quia non fit impressio: Et nimium veloces, quia cito fluit, vel non fit impressio Hoc modo omnes intemperies memoriam lædunt. Caliditas ob mobilitatem & velocitatem, vt in phrenitide & mania, deprauate læditur. Frigiditas ob tarditatem; humiditas ob fluidam substantiam, siccitas ob duritiem. Omnes enim immemores dicuntur, seu tarde, seu deprauate, seu nullo modo recordentur. Causa efficiens: Febris pestilens apud Thucididem: qui conualuerunt, obliti sunt omnium, vt & seipsos ignorarent. Lethargus, & Cerebri apostemata præcipue frigida Auic. Medicamenta obstupefacientia: Cerebrum telis comestum. Percussio temporum, Paulus musculi temporum: Vulgo Occipitis percussio appellatur memoriæ percussio. At quæ intemperies in percussione? An spirituum dissipatio ad frigiditatem pertinet, statim omnes facultates abolentur, sed paulo post, refectis resurgunt. Si ex percussione remanet obliuio cæteris illæsis, significat, meatum in Cerebello non admittere spiritum ex medio ventriculo: vel quia obstructus sit, vel quia abruptum est aliquid, vt in Paralisi. Non impedit sensum & motum, quia nulli nerui ex Cerebello exeunt; nam spinalis medulla ex basi cerebri exoritur in posteriore parte: retinet enim dextrum & sinistrum ex Cerebri dextro & sinistro, quamuis cõmutatis in oppositum,

3. loc af.
3. loc. af. 4.
Ar. Med. 12.
3. loc. af. 5.
De Mem. 1.
Sy. dif 3.

tum, vt patet in conuulsione & paralysi ob capitis vulnera, vt notauit Hipp. de vulneribus capitis. Cerebellum autem nullam diuisionem habet, vt sit quasi promptuarium specierum omnium. Indicio esse potest crepitus quidam, qui aliquando sentitur in posteriore parte capitis, cum diligentius meditari velimus. Nam motus quidam fit in Apophysi, qui specie vermis positus est ad meatum, vt spiritum intromittat ex medio ventriculo
8. *Vsp.14* in quartum. Locus affectus videtur non solum posterior ventriculus, vt Auic. ob cerebri firmiorem substantiam & alias causas dictas, sed totum cerebrum, in quo & mentis læsio est, quia afficitur tum mens, tum memoria eadem affectione intensa, aliquando in solis hu-
5. *loc. af. 5.* moribus, aliquando in ventriculis, vel vasis, vel corpore cerebri. Paulus addit, vel temporum musculis. Vtrum
2 *loc. af. 9.* autem substantia cerebri, vel ventriculi, vel vasa patiantur, non adeo vtile est ad curandum, vt affectus differentiæ.

1. *in 1. Pror.* 27. Concedit autem Gal. permutationes læsionum vel memoriæ, vel rationis, vel imaginationis fieri ob migrationem humorum ad diuersas partes cerebri.

Nec obstat aucta affectione communicari pluribus partibus. Consentaneum autem est rationi, vt in anteriori parte, vbi vigent sensus ob mollitiem, fiat imaginatio, in posteriore parte ob duritiem, memoria, in medio ratio, quia eget & sensibus, & memoria. Signa frigiditatis
3. *loc. af. 5.* tantum somni & vigiliæ secundum naturam. Humiditatis, somnus magis & minus, excrementa pituitosa multa, grauitas. Siccitatis vigiliæ, paucitas excrementorum. Causæ. Caliditatis delirium. Prognostica. Difficul-
3. *lo. af. 4.* ter curatur, & raro. Difficilius in dura substantia, siccitate, senectute. Humiditas facilius, & ex sola caliditate vel frigiditate. Si aduenit per sanitatem sponte, nunciat apoplexiam, epilepsiam, lethargum. Auic.

CAP.

CAP. XXIII.

Curatio Memoriæ.

CVratio ex Archigene incipit à detractione modici sanguinis iterata incipiente malo, nisi obstiterit imbecillitas. Deinde vniuerso corpori irrigationes & fomenta, capiti deraso cucurbitulas. Hæc curatio instituta est ad intemperiem frigidam & humidam, euacuans prius à toto, deinde à capite, quod Galeno visum fuit præter rationem, si læsio non in capite, sed in corde ex Aristotelis sententia, quem sequebatur Archigenes. At visum est etiam ex Aristotele memoriæ læsionem in capite esse, licet ex corde per calidum innatum virtus omnibus subministretur. Post venæ sectionem conueniunt purgationes iteratæ præuiis alterantibus ad pituitam, sy. de stœchade, de calamento, de betonica. Oxymel simplex, compositum, scylliticum, decoctio thymi, origani, saluiæ. Medicamenta purgantia primo mitia, hiera simplex, postea ex colocynthide, addito castorio, hiera magna. Nos pilulas cocchias, elleborum optimum ad acuendum ingenium. Recipe ellebori nigri pulueriz ati, salis gemmæ vtriusque scrupulum vnum, specierum hieræ cum agarico drachmam vnam cum melle rosaceo formentur catapotia numero septem, sumat in aurora. Exsiccantia interna, cibi calidi & sicci, carnes assæ ex volatilibus conditæ cum aromatibus. Potus paucus non aquæ, sed vini tenuis ad spiritus gignendos. Alioqui fugienda, quæ euaporant ad caput. Decoctum ligni guaiaci. *3. lo. af. 4.*

Acorus conditus, chebuli conditi, zinziber conditum, piper longum, confectio anacardina, elixir, aqua ardens cum aromat bus. Extrinsecus ablutiones capitis siccantes cum nitro, cucurbitulæ cum scarificatione, sinapismi. Tutius caput fricare mane & vesperi cum aqua ardente, adiuncto pipere longo. Vniuerso corpori balnea sulphurea, irrigationes. Caput purgantia per errhina,

Apophlegmatiſmos, odoramenta caſtorei, nigellæ, ambræ. Ex ſola frigiditate frictiones moderatæ & ablutiones capitis in cocta ſaluia, lauro, ſtœchade, in lixiuio, pulueres inſperſi ex thure, maſtiche, ſpica, iride. Vnctiones ex oleo nardino, nucis muſcatæ, balſamo. Intus vinum generoſum modice hauſtum ne repleat, cibi boni ſucci conditi ex cinnamomo, croco, gariophyllis. Ad frigiditatem & ſiccitatem non valde calida, quia lædunt ſiccitate. Madefacientia cum aliqua caliditate. Extra balneum aquæ dulcis toti corpori. nam vaporem capiti communicat. Capitis ablutio ex decocto chamæmeli, meliloti, pedum caprarum, inunctio ex oleo liliaceo, narciſſino, cheirino, frictiones moderatę capitis vt trahatur alimentum. Intus cibi humectantes temperati, carnes ſuillæ elixæ, hœdinæ, gallinaceæ, oua ſorbilia.

Vinum temperatum; lac cum melle, ſomnus exercitatio moderata, non vltra famem. Ad caliditatem & ſiccitatem dicta ſunt remedia in mania.

CAP. XXIV.

De Vertigine.

VErtigo Græce dinos vocatur, cum caput circumagi videtur. Scotomia ſcotodinos, ſcotomaticus affectus, id eſt, vertigo tenebricoſa, quando ſimul res conſpectæ videntur circumuolui & ſenſus viſus repente deſtruitur, ſibique tenebras circumfundi opinetur. Galen. Raſis. Vertigo eſt, cum videtur res volui, & tamen homo regit ſe. Scotomia, cum cadit, Gal. à parua occaſione hebetantur, adeo vt interdum cadant, maxime ſi circumrotentur, quod cæteris accidit in pluribus rotationibus. Recentiores accipiunt vertiginem pro genere, ſcotomiam pro ſpecie. An vertigo ſine tenebris, cũ paruus eſt affectus Raſi? tenebræ ſine vertigine in animi deliquio, vtrunque in ſcotodino? Symptoma imaginationis deprauatæ ob motum in anteriori parte cerebri.

Cauſa

Causa symptomatis, modus inæqualis, turbulentus & inordinatus tum humorum, tum spiritus animalis in arteriis. At quomodo differat à delirio, in quo imaginatio deprauatur ob motum turbulentum spiritus animalis? an in vertigine læsio non est in profundis cerebri, sed tantum prope oculos? nil mirum si etiam delirēt? Hipp. Motus causa externa, rotatio sui vel corporum quæ inspiciuntur, inspectio profundorum, percussio capitis, fractio cranei, calefactio vehemens sub sole æstuante, vnde fiunt motus vndosi. 4. Acut. 42.

Causa interna, imbecillitas spiritus animalis, vt in quibusdam ægroris surgendo, aut intuendo: fit enim inæqualis motus spiritus vaporosus & calidus elatus & implens cerebrum, præcipue arterias Gal. cuius motu inordinato spiritus animalis mouetur. In crisi, in cruditatibus, ieiunio, vigiliis, somno, vt plurimum ex ventriculo, vtero, vesica fellis, & aliis Auic. Ex ictu venenato, cicuta, aconito, lolio. Idem vapor genitus in cerebro aut retentus mouetur ab inæquali intemperie, quod est per essentiam Gal. Ex flaua bile, ex pituita in austrinis, quæ similis est apoplexiæ & epilepsiæ Gal. Paul. nasci, cum frigidus & glutinosus humor cerebrum occupat. 4. Aph. 17. 3. Aph. 17. At vnde motus? an vapor & caliditas motū facit? & aliquando fert humores crassos obstruentes, vnde casus fit similis epilepsiæ aut apoplexiæ. Causa obtenebrationis & casus est spirituum defectus vel propter obstructionē, vel propter motū dissipantem. Qui cadūt sine obtenebratione id patiuntur, ob errorem imaginationis staturæ rectæ aut obliquæ, dum falsam corrigere nituntur. Symptomata inuicem sequuntur. Obtenebratio deperditio est visus, casus hebetatio motiuæ, vtraque ob motum deprauatum spirituum animalium.

Morbus intemperies calida cum plenitudine aut humorum calidorum, aut frigidorum obstruentium. Sic à causa externa tantum, non symptoma est, sed accidens. Signa pathognomonica videri externa cōuerti, aut ipsū,

quod accidit oculis clausis, obtenebratio, & totius corporis hebetudo, vt aliquando cadant.

Differt à casu epilepsiæ, quia deest neruorum contractio, & mentis læsio. Ab animi deliquio, quia sine læsio-
3 *loc. af. 8.* ne pulsus. Per essentiam in capite, continua quædam læsio, dolor, aurium sonitus, sensuum imbecillitas, pulsatio. Per consensum à ventriculo, morsus oris ventriculi, rosio, nausea, cardialgia, oris amaritudo. Ab vtero, mensium defectus, vterinæ vexationes. Ex bile, ieiunis magis, æstus, vigiliæ. Ex pituita, grauitas, somnus,
4. *Aph. 17.* pigritia.

4. *Ac. 42.* Prognostica, in febribus nunciat crisim. Securior ex bile & vapore bilioso. Difficilior ex pituita. Indecreptis nunciat apoplexiam. Auic. Curatio, vna ad symptoma in ipsa accessione, altera ad affectum. In accessione compescendus motus quiete animi & corporis, in loco obscuro, odoramenta frigida ex aqua rosacea, aceto. Cibi refrigerantes, astringentes, succus granatorum, cydonia, potus aquæ incocto coriandro. Ad motum ascendentem motus contrarius, reuulsio ad inferiora, frictiones crurum, clysteres acres, capiti repellentia per oxyrrhodinum Raf. diutius in bilioſa & in ardore. Vias clau-
3. *loc. af. 8.* dere astringentibus ad venas in collo & temporibus. Arteriæ sectio post aures Paul. & Gal. ex Archigene, vt cicatrice penitus claudatur. Non si fluant per arterias internas, quod cognoscitur pulsu, & latitudine externarum. Ad affectum ex plenitudine, venæ sectio, si rubor faciei, & cætera consentientia adsunt: ex cephalica aut basilica ex pede ad præcauendum, aut cucurbitulis, aut
4. *Aph. 17.* hirudinib. ad hæmorrhoidas ad reuellendum. Purgatio bilis per superiora nõ elleboro albo vt antiqui, sed simplici vomitu ad bilem vel cruditatem ex aqua tepida, vel decocto raphani, anethi cum oximelite ad pituitam. Per inferiora hiera simp. cassia, Sy. rosatus solutiuus, rhabarbarum, pil. sine quibus, præparatis humoribus per refrigerantia ad bilem.

Ad

Ad pituitam pilulæ cochiæ Raſ. ſæpius pil. de coloquintida præparatis humorib. ex oxymelite, hiſſopo, origano, thymo, ſtœchade, ſaluia, gargariſmi, errhina. Vapores diſſoluendi poſt purgationem, theriaca, mitridato, diambra. Extrinſecus ſæculi ex milio & ſale irroratis ex vino aut aceto in ſincipite. Ablutiones capitis digerentes, rarefacientes, roborantes ex lauro, chamæmelo, roſis. Ad partes mandantes earum curatio propria, vbi affectus eſt inueteratus. Roborātia. Decoctum ligni guaiaci, extrahentia ex alto. Rubificantia tum parti mandanti, vt ex ictu venenato, tum capiti, vbi primaria affectione laboret. Cucurbitula in occipite cum ſcarificatione Paul. Cauterium, arteriæ ſciſſio poſt aures, ſi per illas feratur materia.

CAP. XXV.

De Conuulſione.

COuulſio, Græce ſpaſmos, id eſt, neruorum contractio, eſt motus inuoluntarius muſculorum ad principia ob cauſam morbificam. 6. Aph. 39. 2. Sy. ca. 2.

Videtur aliquando immobilitas permanente inuoluntaria contractione, quæ neruorum diſtenſio vocatur, Græce tetanos, ſed quodammodo motus eſt, quia eſt actio muſculi in contractione perſiſtentis, non vt immobilitas in paralyſi ob relaxationem. Voluntariæ contractionis cauſa eſt ſpiritus animalis, implens neruos & muſculos in latitudinem, vnde breuiores fieri neceſſe eſt, & partes adducere, quibus adnectuntur, qui motus voluntarius eſt. Contractionis autem præternaturam duplex cauſa eſt, repletio ab aliquo corpore præter naturam, & inanitio. De repletione manifeſtū eſt. A quocumque enim corpore impleatur neruus, contrahi neceſſe eſt, vt in motu voluntario: quantum enim additur de latitudine, tantundem demi de longitudine oportet. 6. Aph. 39. Sed de inanitione obſcurum eſt: inanito enim neruo relaxari videtur, non tendi, vt patet in motu voluntario,

quandiu enim aliquam partem mouemus, tendi musculos conspicimus, relaxari autem cum à motu desistimus. Consentaneum autem rationi est, si repletio tensionem facit, inanitionem oppositum facere, id est relaxationem. Nititur tamen Galenus exemplo cordarum ostendere, cum enim siccantur, inaniuntur, siccatæ aũt breuiores fiunt. Ad huiusmodi inanitionem non videtur sensisse Hippocrates, cum dixit, conuulsionem ab inanitione fieri. Exsiccatio enim neruorum vt cæterarum partium fibrosarum incurabilis est, vt patet in tertia specie hecticæ, at conuulsio ex inanitione non omnis lethalis, licet mala sit, vt explurimi sanguinis fluxu & ex superflua purgatione. Præter duas prædictas causas addit Galenus. Ex morsu neruosi corporis ab humore tenui & mordente, vt in singultu, & quartana ex frigore ingenti congelante. nam frigidum conuulsiones facit, & distensiones.

Arist 2. Meteo: vbi de terræmotu agit, omnes motus præter naturam in animalibus à spiritu fieri asserit. Tetanum, spasmum, tremorem, palpitationem esse spirituum motus. Quod & Hipp. confirmat in libro de flatibus. Indicio autem sunt, defunctorum corpora, à quibus spiritus euanuit, non enim tensa sunt, sed relaxata, in conuulsis autem tanta vi contrahuntur membra, vt multi robusti continere nequeant ægrotantes: nihil enim adeo mouere potest corpora vt natura spiritus, ob eius tenuitatem & celeritatem. Neque mirum concitari spiritus nunc à repletione, nunc ab inanitione. Repletio enim cuiuscunque humoris inspergere potest spiritus in neruos, ad repentinam autem inanitionem feruntur spiritus ad vacuum replendum. Morsus quoq; spiritus excitat ad expellendum, id quod contristat. Frigiditas vehemens non solum morsu concitat, sed & per congelationem exprimit interius spiritus. Horum autẽ omnium quædam ad repletionem pertinent, quædam ad inanitionem. Nam & morsus, qui singultum facit &

à re-

à repletione & ab inanitione fit, vt testatur Hippocrat. Acres enim humores mordentes os ventriculi petunt in inædia & in sanguinis effusione, aliquando autem ob repletionem, neruorum autem repletionem efficiunt, quæ tentant neruos, vini potio. Expultrix aliquando in crisi, in mania, melancholia, phrenitide, febre ardente, attractio ex dolore, vt in vulneribus neruorum, venenis. 6. Aph. 39.

Differentiæ ex modo. Quædam est cum concussione aut continua aut interpolata. Quædam cum tensione perpetua, quæ tetanus, id est, neruorum distensio appellatur. Putauit Auic. tetanum differre à spasmo, id est, conuulsione, quia in tetano nerui prohibentur à contractione, vel ob congelationem, vel ob repletionem nerui secundum longitudinem, quod inquit à flatu magis fieri. At Gal, ob tensionem musculi oppositi. Prohibetur enim manus contractione, musculis externis contractis, & à distensione musculis internis contractis. Eadem fieri possunt ob paralysin musculorum oppositorum, vt perpetua manus extensa sit musculis internis paralysim patientibus, perpetuè autem contracta, ob paralysim externorũ qui ad extensionem dati sunt. Tetanus autem dicitur cũ spina flecti nequit, neque in anteriorem, neque in posteriorem partem, quod contingit contractis tam anterioribus quam posterioribus musculis: at in opistotono posteriores tantum contrahuntur, in emprostotono solis anterioribus. Ex loco affecto, vel in cerebro, vel in principio spinalis medulli, vel in particulari neruo. 3. loc. aff. 7. 1. Mo. Musc. 8. 8. loc. aff. 6.

Ex cerebro toto vniuersalis conuulsio fit vt in epilepsia ex parte cerebri pars illa conuellitur, quæ neruos ab eadem recipit, aliquando in manu tantum dextra vel sinistra vulnerata opposita parte capitis. Aliquando in facie tantum. Ex principio spinalis medullæ in toto corpore conuulsio excepta facie. Ex neruo particulari, eius tantum particulæ conuulsio, quæ neruum illum recipit, vt tortura oris, strabilismus, dentium rugitus, & si qui in particulari membro contingunt. Sed conuulsio partis facile communicatur toti, quod non contingit in para-

lysi, quia in conuulsione adest spiritus replens, in paralysi defectus eiusdem est. Morbus conuulsionem faciens instrumentalis est, scilicet in magnitudine, quæ tensionem præstat in neruis. Hæc aut inflammatio est, vt in vulneribus sanguine ad particulam confluente, aut humores crudi impacti, vt in pueris, cum dentire incipiũt:
3. Aph. 25. pituita crassa aut melancholicus humor, vt in epilepsia,
3. lo. af. 7. vinum in ebrijs aut solus flatus replens, vt ex morsu, aut ex inanitione. Flatum admittit Gal. 2. *de sympt. ca.* 2.

CAP. XXVI.

Signa Conuulsionis.

SIgna prænunciantia conuulsionem. Febris acuta, aluo astricta, vigiliis, pauore, luctu, mutatione colo-
3. Prog. 34. ris in viridem, liuidum, rubrum. In puerulis vsque ad
25. annum 7. cum dentire incipiunt.

In adultioribus & viris magis sine febre, nisi validissimum fuerit indicium, vt in phrenitide. Vulnera ner-
3. Ca. ag. 2. uorum, tendinum, capitis musculorum, non ligamen-
5. Aph. 65. torum. Quibus tumores in vlceribus euanescunt, si a tergo conuulsiones & distensiones repente fiunt: Si in anterioribus maniæ. Signa incipientis. Tremor & colli
4. Aph. 68. dolor. In febre spiritus offendens conuulsionem significat. Pulsus similis cordæ tensæ agitatæ ac vibratæ cum
4. Ca. pu. 17. strepitu, quod nullis aliis contingit. Cordosus vocatur, & iectigatio. Gal. inquit, quia arteriæ sunt iuxta neruos. An quia nerui ex arteriis prodeunt? ideo affectio prius incipit in arteriis.

2. Prog. 21. Dentium stridor, oculorum peruersio, motiones, contractio cutis capitis, aut faciei in modum ridentis. Cum viget conuulsio, signa manifesta sunt ex essentia, inuoluntaria contractio, aliquando tanta vi, vt cohiberi nequeant, neq; maxillæ diduci.

Signa loci affecti. Particularis membri læsio significat, affectionem esse in exortu nerui proprii. In toto cerebro vniuersalis conuulsio cum læsione principum facul-

cultatum. In principio spinæ totius quidem conuulsio, sed illæsa facie. Affectionis signa. Si contingat ex siccitate, vt putat Gal. non subita accessio, sed paulatim. Si ex repletione, inflammatio ex vulnere; vrina rubra, aliquando cruenta, Auic. Febris. Si humores frigidi, subita accessio absque febre. Si humores calidi mordentes, dolor pungens, morsus ventriculi, vteri. Excretio bilis æruginosæ, surarum contractio, vt in cholera. Lumbrici in pueris. Ex frigore causæ prægressæ indicabunt. Prognostica. Vniuersalis conuulsio acutissima subito exitiū affert. Tetani in quatuor diebus perimunt, si hos effugerint, sani fiunt. Ex siccitate lethalis, præsertim si ex febre, phrenitide. Febrem conuulsioni superuenire, melius quam febri conuulsionem. Nam febre superuenientē liberantur à conuulsione & distensione. Quartana superueniens liberat. In acutis febribus conuulsiones, & circa viscera dolores fortes, malum, lethalis ex elleboro, ex vulnere. Ex ebrietate, nisi febris superueniens soluat.

Ex multo sanguinis fluxu malum. Ex superflua purgatione malum. Sanabilis ex repletione frigidorum, ex morsu, ex frigore.

3. *Io. af. 6.*

2. *Aph. 26.*

5. *Aph. 1.*

2. *Aph. 26.*

5. *Aph. 6.*
12. *Meth.*
vlt.

2. *Aph. 26.*

4. *Aph. 57.*

5. *Aph. 70.*

4. *Aph. 96.*

5. *Aph. 1*
2. *5.*

5. *Aph. 3. 4.*
12. *Meth.*
vlt.

CAPVT XXVII.

Curatio Conuulsionis.

CONuulsionis curatio in relaxatione tensæ particulæ consistit. Sed prius ad causas, repletionem, inanitionem, morsum, & frigus, adhibenda remedia. Ad repletionem euacuatio per venæ sectionem, vbi inflammatio est ex vulnere. In cæteris humoribus potius purgatio conuenit statim, quia turget, si cum multitudine sanguinis etiam venæ sectio, sed moderata. Aet. ob neruorum naturam frigidam. Purgatio ex hiera Archigenis cum castorio pari, cum succo ptisanæ & melle Ras. ex pil. fœtidis: nam recipiunt castorium & succos Ferulaceos neruis vtilissimos. Clysteres ex oleo rutaceo & terebynthina iuuat, & sedem illinire ex ruta & opopanace,

3. *Morb.*

Hipp.

Hipp. Catapotia ex elleboro nigro & Pipere, vt superbibat iusculum calidum pingue ex volucribus, postea
9. Morb. sternutatoria frequentia adhibet digerentia intus castorium per se drachma vna, assi erui magnitudine, mirrha fabæ magnitudine, hyssopi decoctum, confectio anacardina Raſ. nam prouocat sudorem & febrem. Potus Apomeli in cibis calidis & siccis cum pipere, sinapi, nux muscata, carnes frixæ.

Exterius remedia ad locum affectum, & ad membra conuulsa, magis ad neruorum exortum, vt spinæ principio & capiti, relaxantia & digerentia, simul & lenientia Aet. inungere oleo calido vetusto cum castorio pari, fouere eodem, & irrigare. Cataplasma mollissimum ex farina hordei, lolii, fœnugræci, semine lini galbano, ammoniaco, oleo rutaceo, melle in sacculis, ne inquinent. Aliquando sacculi ex milio & sale, balnea in oleo calido bis vel ter in die. Rasis membra inungit ex oleo costino & manus fricat. Oleum vulpinum aut lupinum & adeps eorũdem; ren cum pinguedine contritus ceruici adhibitus, & contegenda ex pellibus eorundem. Insessio in decocto eorundem, adiecto abrotano, anetho, lauro, hyssopo, stœchade. Olea distillata ex therebynthina, cera, nuce muscata, matrem balsami vocant.

De int. aff. Balnea sulphurea inueteratis. Hipp. ad tetanum seu ex vulnere seu ob alias causas, fouere oportet, & pinguiter vnctum ad ignem non ita prope calfacere & tepefactoria illito corpori adhibere & absynthium aut lauri folia, aut hyosciami semen & thus terito, deinde vino albo diluta in ollam nouam, & pari mensura oleum affundito & cum his calefactis large calidis corpus & caput illinito. Postea in solio reclinatum spinali medulla sursum vergente mollibus ac puris stragulis ac vestimentis con-
5. Morb. tegito, vt vehementer exsudare possis. Alia curatione idem curat. Post fomenta calida & inunctiones aquam frigidam puram superfundit, & postea vestimenta tenuia pura & calida super integit, sed ignem tunc non adhibet.

Hæc

Hæc ratio curandi tangitur in aphorismis. Est vbi in distensione neruorum sine vlcere, iuuene bene carnoso, æstate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem reuocat, calor autem hæc soluit. Tutius enim est in tempore æstiuo calefacere per antiperistasin. Iterum inquit. Tumores articulorum & dolores, absque vlcere, podagricos & conuulsa, horum plurima, frigida aqua large affusa leuat, & extenuat, soluitque dolorem, nam modicus torpor dolorem soluit. Putat Galenus valere ad inflammationes. At frigida actu omnibus noxia sunt, ideo ponitur hoc remedium vbi sine vlcere: magis autem valet vbi humores calidi & mordentes. Ad conuulsionem ex vulnere, humorem facientem inflammationem, & putrefacientem ex alto ducere, & digerere. Ideo non glutinantia vt antiquiores: nullum astringens, nullum frigidum, nec tepidum, non pus mouentia, vt antiquiores fouentes Hydreleo. Nec Cataplasma ex farina hordei & Hydreleo: non aqua, vt ne attingat quidem, nam putrefaciunt. Cum abluere opus est, ex oleo & vino aut aceto, nam siccant: indicio frixa in oleo, & elixa in aqua: nam olei humiditas in ignem transit. In vulnere capitis osse fracto per spiraculum in osse facere, vt inde sanies exeat, at non in futuris, quia lacerata membrana conuulsio accersitur, sed circumcirca. In vulnere neruorum ad neruos denudatos modice calida & valde sicca sine morsu, ne inflammentur & conuellantur. Ad delitescentes & profundos, vt contingit in puncturis, valde calida, tenuiũ partium, vt vis medicamenti subeat, & extrahat. Sed dilatandum orificium duabus sectionibus se intersecantibus. Fouere primum oleo & aceto calido, deinde superponenda medicamenta extrahentia. Propolis recens liquida & pinguis, aut oleo molliscat. Fermentum vetustum cum aceto, aut adiecto lacte Tithimali. Vnguentum ex Euphorbio drachma vna, vel duæ, vel tres, prout recens aut vetustum fuerit, in oleum decuplum & Ceram triplam: Oleum Hyperici, Laurinum, Cedria, Pix bruttia.

5. Aph. 21

5. Aph. 21

3. Catag. 2.

De Vul. cap.

3. Catag. 4.

Cata-

Cataplasma ex farinis fabarum, erui, lolii, ciceris, lupinorum, hordei, ex oxymelite, & lixiuia stillatitia, pice liquida. Conueniunt & vbi inflammatio est. Emplastra operosa ex metallicis aceto acerrimo diutius molitis in sole æstiuo. Alia ex herbis acribus, vt dictamo Cretensi, polio, chamæpyti, centaurio, panace.

His vtendum vsque ad 7. nam vlterius nullum periculum, interim totum membrum oleo calido fouere, & tunc magis, vbi vlcus eroditur à medicamento. Non sinere vt frigescat. Postea illinire vsque ad ceruicem vnguento, ex euphorbio & castorio. Ad conuulsionem ex inanitione, repletio: facilius potu, quam cibis. Si ex morsu. Euacuatio mordentium non per calida & mordentia, nam aduersissima; sero vaccino, lacte asinæ. Ex ore ventriculi vomitus ex aqua tepida, vnde sæpe æruginosa excreta sunt. Ex intestino colo clysteres non mordentes, ex cremore ptisanæ cum butyro, cum brodio oleo violato: contemperantia ex cibis boni succi, & qui non facile corrumpantur. Ad vermes mordentes. Theriaca hausta, & illita ad nares, gulam, os ventriculi, vt deorsum aufugiant.

Ad conuulsionem ex gelu. Balneum calidum, fouere oleis calefacientibus, vini potio. In omnibus, vbi vehemens contractio, oportet vi continere, & dirigere membra. Interim oleis relaxantibus vti.

CAP. XXVIII.

De Epilepsia.

EPilepsia quasi apprehensio, quia detinentur sensus & memoria. Trall. Morbus comitialis, lunaticus, sacer, herculeus, puerilis, vulgo mal caduco. Est conuulsio omnium partium corporis per interualla, cum mentis & sensus læsione. Auic. Est affectus prohibens noa complete operationem sensus & motus, & corporis erectionem propter obstructionem. Vtplurimum conuulsionem esse vniuersalem ob læsionem anterioris ventriculi

culi cerebri: vnde non integra obstructio non ex toto tollens sensum & motum, sed eousque vt erigi non possit. Præcedere vtplurimum cõuulsionem, sequi epilepsiam. Aliquando epilepsiam sine conuulsione manifesta. Aet. ex Possidonio. Epilepsiam comitatur conuulsio.

Autor defin. Est oppressio mentis & sensoriorum, vt concidant repente, & spuma exeat per os. Rasis describit per casum in terram, contortionem & motum, & amissionem intellectus, spumam non nisi in grauiori. An ex nomine epilepsiæ similis est catalepsiæ? non quia mens detineatur, sed corpus. Vtrunque in epilepsia, non ob resolutionem virtutis, vt in paralysi & apoplexia, sed ob conuulsionem.

Differt à catalepsi, quia in ea retinetur memoria & sensus, quamuis non exacte, vt Gal. testatur. Hanc forte Auicenna non distinxit ab epilepsia, quia non complete tol- *Pror. 55.* li, inquit, operationes, & quandam fieri sine conuulsione manifesta. *2. in 1.*

Differt à Tetano, quia in eo non læditur mens neque sensus neque per interualla. Epilepsiæ tres species ex parte affecta. Prima per essentiam in cerebro. Secunda per consensum ab ore ventriculi. Tertia à qualibet particula, aliquando à pede, aliquando ab vtero, quæ inter præfocationes est. Ex modo quædam cum concussione per breuia interualla, veluti saliendo sine perpetua conuulsione, quod Galenus notauit in ea quæ per cõsensum est. Quædam cum perpetua conuulsione sine concussione in accessionibus, vt in catalepsi. *3. Io. af. 7.*

Ex mentis læsione, diminuta vel deperdita, vel depraua ta cum delirio & motibus inordinatis antequam decidant, hi in melancholiam facile transeunt. Causa epilepsiæ communis ad omnes obmutescentias repentinas venarum interceptiones occlusionesque. Inquit Galen. Constat in cerebro affectionem hanc consistere impediente humore animalem spiritum, qui in ventriculis continetur, quo minus possit exire. Hinc conuulsio totius *4. Acu. 23. 3. Io. af. 7.*

corporis simul & mentis & sensuum læsio. Idem humor & locus in apoplexia, sed in hac fit omnimoda carentia illius potentiæ, quæ ad nervos defluit. In epilepsia autem vitiosus motus. Hoc putauit Auic. ob minorem obstructionem.

Inquit Galen. Conuulsionis epilepticæ causa non inanitio nec siccitas, sed repletio à crasso humore obstruente, quia cito fit, & soluitur. Hoc damnat Auerr. tanquam paradoxum. Nam citius humores tenues, vapores, & spiritus, vt in palpitatione. Aristotel. in libro de somno, tribuit spiritibus, & Galen. aliquando solam qualitatem vel auram tantum ascendentem epilepsiam facere, vt ab ictu venenato. Ex morsu quoque internorum. An Galeni argumentum pendet ex suppositione illa, fieri conuulsionem aut ab inanitione siccante nervos, aut à repletione obstruente. Si exsiccatio non cito fit, neque tollitur, relinquitur ab obstructione fieri ex humoribus crassis. Verum si in omni conuulsione spiritus est, qui commouet, vt ostensum est, quærenda est causa, cur ex interceptione venarum nunc epilepsia fiat, nunc apoplexia? Non videtur esse causa maior & minor obstructio. Nam minor torporem faceret & motum diminutum, non deprauatum, qualis est conuulsio, aliquando cum tanta vehementia vt contineri nequeant. An interceptio venarum duobus modis contingit, vel per compressionem, vnde transitus non detur neque sanguinis neque spiritus, quod priuationem facit, vnde apoplexia, vel per repletionem, quæ spiritus impingit in nervos, vnde motus deprauatus fit, in vtrisq; autem potest contingere magis & minus. Replentur igitur vasa spiritus animalis in epilepsia nunc ab humoribus frigidis & crassis pituitosis vel melancholicis, à quibus affectus fit frigidus, nunc à calidis & mordentibus, qui affectus calidus Rasi. nunc per essentiam in cerebro, nunc per cõsensum propter euaporationem aliunde. Quatitur autem nervorum principium, vt excutiat id, quod contristat. Ideo in

initio

Initio fit veluti sternutatio quædam magna Auic. quam sequitur totius corporis concussio. Aptissimi pueri & in somno magis ob multam euaporationem. Iuuenes non ex natura ætatis, sed ob prauum victum. In omnibus imbecillitas capitis. In vere, in autumno, pluuiis. Vitium immodicum. Odor sulphuris, gagatis, hircinus, lucernarum exstinctarum odor, myrrha, tonitrua, apium, lens. *3. Aph. 29.* *6. Aph. 28.* *3. Aph. 16.* *20. 22.*

CAP. XXIX.

Signa Epilepsiæ.

Signa epilepsiæ Pathogn. Subitus casus cum membrorum contractione & sensuum ac memoriæ læsione. 2. Si spuma circa os accedat vehementiam significat. Oritur ex motu ob vehementiam conuulsionis Auicen. ob crebram respirationem, ex pulmone. At signum esset lethale, vt in strangulatis. Potius è cerebro ob vasorum anguſtiam agitatis cum humore spiritibus, ideo signum solutionis. Nam cerebri excrementa spumosa, vt saliua, & quæ in ventrem defluit. Ob vehementiam conuulsionis emissio fit aliquando inuoluntaria vrinæ, spermatis, & excrementorum alui. Rasi. Respiratio anguſta, vt in iis qui suffocantur, nunc offendens in medio interrupta ob agitationem, nunc sola expiratio apparet cum sonitu, intensione perpetua. Argumentum dilatari thoracem ob pulmonis dilatationem, constringi ob conuulsionem non voluntarie, Aristotel. in epilepsia tumefieri à spiritu venas, quib. coarctatur meatus respirationis, id est, inter- ceptis ob clausionem spiritibus in vasis cerebri, regurgitat tumefactio in pulmonem, vnde coarctatur aspera arteria. In insultu vocis emissio similis iis, qui sternutamentum magnum moliuntur, at spiritus non per nares exit, sed in neruos irruit. Soluitur confestim & resurgunt, tumore venarum desidente, vel spuma per os egressa, vel insensibiliter euanescente spiritu. Signa eius quæ per essentiã, subita & improuisa appræhẽsio nõ præ- *De Morsa.* *2. Aph. 43.* *7. Aph. 30.* *4. Aph. 68.* *De So.3.*

uidente ægro. Conuulsio sine concussione, saltem in progressu, exsufflatio in respiratione non interrupta. Interuallum impurum: nam remanet obliuio, grauitas. Venæ virides sub lingua Auic. Eius, quæ per consensum, accessio præsentitur: conuulsio cum concussione. Respiratio interrupta interuallum integrum. A bore ventriculi, præcedens eius palpitatio, turbatio, rosio. Irritatur ieiunis magis, tardato cibo.

Ex vtero, vexatio præcedens, dolor, commotio, defectus menstruorum comitatur plerunque affectus cordis. Nam vapor ascendens cor prius afficit, & consestim concidunt, vt ambigat cum syncope. Quod & ex ore ventriculi contingit. A membris extremis raro. Præsentitur aura quædam aliquando frigida ascendens vsque ad cerebrum, cui statim succedit insultus concutiens. Obseruatum à recentioribus vario modo à diuersis partibus incipere: nunc stupore incipiēte, nunc tremore, nunc musculi alicuius contractione, vt contingit sæpe in sura, quem Granchio vulgo appellant. Affici quoque dextra vel sinistra ex consensu secundum rectitudinem, vt quidam decidant in dextram partem, quidam in sinistram, quidam supini, quidam proni. Visum aliquando solum caput cōcuti, reliquo corpore immobili, quibusdam soli manus. Humores ostendunt, pituitam, somnus, pigritia, excrementa, & causæ. Bilem flauam & atram, somnia turbata, deliria ante accessionem & post. Prognostica. Morbus diuturnus non lethalis. Quibuscunque comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt, quibus anno 25. commoriuntur. Galenus pubertatem accipit ab anno 14. vsque ad 25, post hanc ætatem magna ex parte commori, quia ex ætate non suscipiunt mutationem. Possunt tamen mutari ob alias causas, quas Hipp. enumerat. Quicunque iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maxime ætatis, & temporum, & locorum, & victuum liberantur. Quam mutationem in calidum & siccum intelligit Galenus. At mutatio pubertatis in iuuenturem

debuisset

debuisset conferre, quod negat Hippocrat. Scribit enim: Plurimæ passiones puerulis iudicantur, nonnullæ in 40 diebus, quædam in 7. mensibus, quædam annis 7. quædam iam ad pubertatem accedentibus; quæ vero pertrāserint, nec in pubertate finierint puerulis aut fœminis, cum menstrua erumpunt consenescere consueuerunt. Quicunque enim morbi longi senioribus contingunt, magna ex parte commoriuntur, quia minus concoquunt & expellunt ob frigiditatem. In ætate igitur pubertatis sanantur non ob siccitatem, sed ob expulsionem, superuenientibus menstruis, vsu veneris, conceptu & aliis eruptionibus. Quartana ob eandem causam liberat, tum ob rigorem expellentem, tum ob calorem febrilem concoquentem Galen. Pueruli vt plurimum ab vtero contraxerunt. Quibus igitur cerebrum non fuerit expurgatum ab excrementis, patiuntur hunc morbum. Et quibus post ortum non eruperint vlcera in capite, & reliquo corpore, ante 4. annum vt plurimum moriuntur, ob neruorum imbecillitatem. Accessiones sæpius repetentes & longæ & vehementes in apoplexiam transeunt. Qui per consensum facilius sanantur, & qui ex pituita, aut humoribus tenuibus difficilius ex atra bile.

3. Aph 28.

2. Aph. 39.

5. Aph. 70.

De Morb. su.

CAP. XXX.

Curatio Epilepsiæ.

CVratio epilepsiæ, vna ad affectum, altera ad symptoma, cum accessio diuturnior est, aut vehementior. Paul. & Act.

Ad affectum alia conuenit puerilisante pubertatem, alia post pubertatem. Infantibus adhuc lactentibus, nutrici prospiciendum circa ægrum nil moliri: Solo lacte probo, nam mutatione ætatis & victu sanabitur. Non igitur bene, qui hodie infantes inurunt in occipite. Lac sit excrementis liberum, albissimum, non olidum, nō tenue, non crassum: ex nutrimentis boni succi, non euaporantib. Non vinum præcipue nigrum. Arist. vina nō con

De Som. 3

ferunt pueris neque nutricibus, sed aquosum & modicum. Non apium, quia naturaliter comitiales offendit, Trall. at Galen. de puero Epil. Apium concedit, damnat Petroselinum. Non valde acria, quia mouent menses, quo nil deterius. Non venus, quia lac tenue facit, & fœdi odoris. Conceptus pessimus. Crassum obstruendo auget conuulsionem, ideo attenuandum fœniculo, anetho, aniso, eruca, ruta, porro viridibus tantum. Tenue incrassandum refrigerantibus, hordeo, fare, oriza, intubo, parciori potu, exercitationibus moderatis. Post ætatem lactis durante infantia vsq; ad annum 4. Trall. Sustinent alterantia quædam, non purgantia. Hyssopi decoctum cum oxymelite vel per se mane sumptum postquam surrexerit, & aluum deiecerit, per totam hyemem, quo solo multi sanati, anethi decoctum cum oxymelite, rarius in æstate. In victu panis ex aqua cum coriandro coctus, nam prohibet ferri ad caput. Lubricantia, malua, beta, porra decocta, intubus. Carnes ex volatilibus, potius iura non pinguia, frixiones. A quarto anno vsque ad 7. Alterantia prædicta, deinde purgantia accedente vere, Galen. Epithymi decoctum, sena, polypodium, rhabarbarum, manna, syrup. rosatus solutiuus. A 7. ad 14. annum in masculis, ad 12. in fœminis accedentibus ad pubertatem, efficacius purgandi iisdem auctis, hiera s. addito epithymo. Trall. Catapotia efficaciora, cum non cedit aliis, addito scamonio & colocynthide Ga. post purgationem exercitationes, non tamen violentæ, nam caput replent semper ante cibum. Frictiones ex sindone molli brachia, ad pectus, ventrem, crura, caput, vsque ad rubedinem, post iterum oleo fricare, ne frigescant, simul omnes. Medicamenta extenuantia, mellis scyllitici drachma vna mane ante exercitationem per dies 40. præsumat absynthium bis vel semel.

Post 14. annum licet venam secare, vbi opus est. Pau. & Aet. conuenire vbi inueteratus est affectus. Ras. solum in ea, quæ fit à sanguine, cognosci rubedine oculorũ & crassitio

sitie venarum. Conueniret in omni ad occlusionem venarum statim, sed sponte cessat.

Prius ex pede, aut cucurbitulis ad suras in vere ad precauendum postea ex basilica, aut vtraq; cephalica, tandem sub lingua, vbi per essentiam in cerebro. Recuperatis viribus post 4. vel 5. dies purgatio. Aet. ellebori nigri puluis drachma vna cum mulsa, vel catapotiis cum pipere & melle. Colocynthidis infusio in vino dulci per noctem, Hiera ex colocynthide. Ras. pil. cocchiæ sæpius, addimus elleborum nigrum, & salem armeniacum. Alterantia præcedentia, attenuantia & digerentia. Oxymel. s. comp. Scyllitieum. Sy. de stœchade, de calamento, decoctio hyssopi, serpilli, betonicæ, thymi, melissæ. Ad atrã bilem temperandam. Sy. de pomis, bugloss̃a, lupuli. Post purgationem electuaria, vt quod componit Rasis ad omnem epilepsiam, excepta calida, theriaca, mitridatum cum modico aquæ ardentis, pyrethrum cum melle. Victus boni succi extenuans ex auibus, Capparis, salsamẽta tenuia. Abstineat à vino per longum tempus, à cibis crassis, à carnibus quadrupedum, leguminibus, à venere immoderata, balneis. Tota victus ratio & aer calidus & siccus. Sunt qui exhibeant ligni guaiaci decoctum. Ras. ad sanguineam victum conuenire refrigerantem, qui sanguinem minuat, abstinẽdo à carnibus & vino & euaporantibus ad caput. Bibat Rob fructuum acetorum. Capiti primaria affectione laboranti, post vniuersales purgationes, euacuãtia à capite. Apophlegmatismi, errhina, pœoniæ puluis in nares insufflandus post sternutamenta. Ras. vomitoria post cibum assumptis pinguioribus multis & dulcibus, ebrietate, adiuuare vomitum cum decocto raphani. Hodie exhibent antimonium præparatum, nam purgat per superiora & inferiora.

De cu perf. 10.

2. Aph. 45.

Cucurbitulæ capiti & occipitio, & cataplasma super vestigia ex pane cocta in mulsa, amygdalis amaris, serpillo, menta, calamento, ruta, capiti raso Peucedani, liquor cum aceto diluto incocto sphondylio, sinapismi,

aqua ardens cum pipere affricanda. Interim reuulsiones per cucurbitulas in dorso, præcordiis, clysteres acres. Capiti autem per consensum laboranti, conuenit oxyrrhodinū ad arcendas euaporationes. Sed partibus trāsmittentibus extrahentia; particularis earum curatio.

Si membra externa mittant, in præsensione accessionis vinculum in superiori adhibendum, & post totius purgationem vrentia loco affecto, ex thapsia, sinapi, cātharidibus, lepidio, euphorbio, pipere. Sinere donec vesicæ erumpant & aqua effluat, diutius continere locū exulceratum, vltimo cucurbitulæ cum scarificatione. Repertum aliquando in crure sub absceſſu disrupto os corrosū, quo deraso liberatus est ab epilepsia. Ad symptoma in ipsa accessione nil moliri, quieti tradere, victus tenuis. Ad vehementiam accessionis & diuturnitatē succurrendū; oleo calente fouere partes conuulsas, dirigere vincula, vomitum excitare penna in oleo irrino, os vi aperire, castorium cum aceto & melle intromittere, Puerulis theriacæ modicum ad palatum illinire.

Reuulsiones per clysteres acres. Cucurbitulæ ad præcordia, sinapismi & vesicatoria ad summas partes. Ruta syl. tusa ad nares, & omnia rutam oleant. Trall. quod remediū aliquando curat. Spinæ inunctio ex oleo vulpino, vel incocto chamæleone animali. Præseruant ab accessione pueros pæoniæ radix collo appensa. Smaragdus gestatus, corallium, vngula magnæ bestiæ ex genere cerui. In potu bezaar. Multa superstitiosa traduntur, sed caueant præcipitia, aquas, æstū, odores prauos. Celsi curatio, inquit. Euacuantia tum per venæ sectionē tum purgantia non adhibenda, nisi postquam prolapsus est: nutriendus alternis diebus cibis ex media natura. Digerere perunctum exercitatione, & validis fricationibus non minus ducentis. Capiti aliquando oxyrrhodinum, aliquando perfusionem multæ aquæ frigidæ, post frictiones totius excepto capite. Vltimo si non cesserit, secandas venas tali, vrendū occiput duabus vstionibus.

CAP.

CAP. XXXI.

De Catoche seu Catalepsi.

CAtoche & catalepsis idem significant, id est, detentio & occupatio siue apprehensio, sopor vigilans alias vocatur, quia dormiunt apertis palpebris. Quædã in genere lethargi spurii, quia cum febre & delirio. Paul. & Aet. & Hipp. in Prorreticis. Quædam sine febre apud Gal. in comm. inter sopores altos sine febre, & delirio, sine difficili respiratione. Immobiles toto corpore iacẽt prorsus inflexi, rigidi, & extensi vt lignum. Visum, inquit in condiscipulo ob multum studium ea correptum, immobiles etiã oculos continebat, vt videretur intueri intente, at nihil loquebatur, cum surrexisset, fatebatur, se agnouisse qui aderant, licet non euidenter, & multorum meminisse, sol ũmodo loqui non potuisse, nec moueri. Eandem videtur Hipp. significasse inter subitas obmutescentias, cũ inquit. Quibus faciei rubores, oculorum constantia, manuũ porrectio, dentium stridores, pullus, maxillarum contractio, refrigeratio extremorũ, & spirituum in venis interceptiones. Alibi sphacelismũ vocat, quia color florescens ex refrigerato sanguine nigrescit, vt in sphacelo. Dolor inquit ex capite spinam occupat, & ad cor procedit, animi deliquiũ inducens, æger nõ audit, frigus ad caput, intumescit, repente obtumescit. Sanguis è naribus, & liuidus fit, si leuiter laborat, ex sanguinis fluxu melius habet, si vehementer, cito perit.

4. loc. af 2. *2 in 1. Pro. 55.* *13. Meth. 21.* *4. loc. af. 2.* *4 Ac. 26.* *3. Morb.*

Rasis congelationem vocat, quia rigidi iacent, & licet oculi sint aperti, palpebras tamen non mouent. Auic. reponit in genere tetani: fieri enim neruorum distensionem à frigore congelante. Et Gal. congelationẽ à frigore ingenti inter conuulliones recenset. Et Hipp. in Prorreticis inquit. Quæ cõuulsiuo modo cum catoche exacerbantur, sed differt à tetano loco affecto. Nam tetanus est spinæ conuulsio illæsa facie. Catoche est cerebri affectus, quia & tota facies immobilis redditur. In poste-

12. Meth. 8 *3. in 1. Pror. 68.*

riore parte magis. Quod & Hip. testatur dolorē. inquiens ceruice in spinam tendere, & frigus ad cor descēdere. Differt præterea ab epilepsia, quia in catoche retinentur sensus aliqua ex parte illæsi & memoria, neq; læditur respiratio, quia interceptio spirituum non in ventriculis cerebri fit, ideo non regurgitat tumor venarum ad pulmon. sed prope exortū spinalis medullæ in basi cerebri, vnde nerui exoriuntur, ideo tollitur motus etiam in tota facie, licet non ex toto tollatur sensus, quia maior virtus requiritur ad motum quam ad sensum. Causa proxima venarum interceptio & occlusio. Paul. Obstructionem putat in posteriore ventriculo cerebri, quia hic locus putatur spinæ principium, at læderetur memoria, ab humore frigido & sicco, idq; ob nimium studium quod exsiccat. Gal. ab intemperie frigida & sicca in extasi, & nimio studio. At aliquādo à sanguine Aet. vt patet in sphacelismo.

Refrigērationis causa. Pluuia frigida super caput. Potus aquæ frigidissimæ. Fungi, Malainsana, cerussa pota.

Quædam tamen per consensum ob morsum interaneorum. Inquit enim Hip. Cum dolores acceſſerint, bilis atræ fluxiones, acriumq; distillationes, dolent morsa interna, & insequūtur spirituum interceptiones, Aphoniæ, conuulsiones, epilepsiæ, paraplexiæ, id est catalepsis. Signa. Pathogn. manifesta ex essentia. Ex multo sanguine, Facie rubores, sed paulo post liuescit. Ex intemperie frigida & sicca. Causæ, vt nimium studium: in quo laborat memoria, ideo ad partem posteriorem capitis attrahitur multus sanguis, qui ob affectū frigidum & siccū intercipitur, præcipue si humor melancholicus obstructionē fecerit. Cognoscetur ex habitu melancholico. Per consensum, interaneorum morsus. Prognostica, omnes periculosæ cito iugulantes. Quæ repente sanis adueniunt, curātur. Quæ cum exsolutione fiunt, periculosæ, id est, cū virium imbecillitate, quando succedunt aliis morbis. Quæ cōuulsiuo modo cum catoche exacerbantur, parotidas mouent. Sed hoc intelligendū est in genere lethargi, quia cum febre.

Curat

Curat Hipp. omnem interceptionem venarum statim venæ sectione. Venam quoque secat in illa quæ ex morsu interaneorum fit, sed adhibitis prius fomentis ad partes dolentes, deinde reficit; postea purgat per superiora, & inferiori clysmum adhibet, deinde ad abluendos humores & acrimoniam contemperandam. Asinæ lac coctum exhibet. Quoniam autem sponte vtplurimū in hoc morbo effluit sanguis è narib. aliquando per vomit. si ex hoc melius habeat, satis est. Sin. Sternutationes per odorata adducito, & aluum vtramq; purgato, aut saltem alteram, & quæ leues odores habent narib. admoueto, & sorbitionem tenuem ac tepidam exhibeto. Abstineat autem penitus à vino. Si autem sanguis copiosior effluat, nulla calefactoria adhibeto, sed acetum album aquosum bibendum dato, & si debilis sit, ptisanam sorbendam. Si perseueret fluxus è naribus, venas in brachiis & in temporibus spleniis suppositis deligato. Si sanguinem vomat, farinam trimestem ex aqua bibat. Cum cessauerit fluxus, si relinquatur dolor ceruicis & spinæ cū frigore. Cum eruo pectus & dorsum & collum & ceruicem calfacito. Ras. reuellit clysteribus acutis, & vsq; ad diem tertium repellit oxyrrhodino, vt in lethargo. An humores fixi & crassi non possunt repelli? amplius nocent intemperiei frigidæ & siccæ. Postea digerentibus vtitur. Ex oleo Sambacino, id est, Iesemino cum euphorbio & castorio, illinendo & perfundendo caput, scilicet ad futuram labdoidem & spinæ exortum. Sternutamenta ex Castorio, elleboro albo cum lacte. Nutriendus hydromelite infuso in os.

4. Ac. 24.

3. Morb.

2. Morb.

CAP. XXXII.

De Incubo.

INcubus Aet. græce ephialtes ab imaginatione incumbentis grauis, Paul. Pnigalion à suffocando. Est totius corporis immobilitas cum sensu suffocationis & vocis deperditione in somno, cū imaginatione incūbentis cuiuspiam, quæ omnia expergefactis euanescunt. Videtur redu-

reducendus ad conuulsiones, nam sæpe incipit cum concussione incipiente somno. Conuenit cum epilepsia ob facilem & citam solutionem Paul. eadem omnia patitur quæ in epilepsia, sed in somno. Arist. videtur incubum significasse, cum inquit de epilepsia. Accidit multis principium huius passionis dormientibus, & dormiētes quidem capiuntur, vigilantes vero non. Causæ Putatus est dæmon effigie humana incumbens, vt videatur aliquādo venerem agere, alloqui: fugere autem contractis digitis. Paul. Actius inquit, non Dæmonem, sed morbum, qui sæpe prænunciat epilepsiam, insaniam, apoplexiam. Vapores esse crassos & frigidos, qui cerebri ventriculos implent, vnde facultas prohibetur per neruos exire, vel in anterioribus cerebri, vel in principio spinalis medullæ. At si in ventriculis, læderet rationem & memoriam. An vt in catalepsi euaporatio non transcendit ad vētriculos, sed sistitur in basi cerebri: vnde læditur solus motus? Differt à catalepsi læsa respiratione, quia in incubo regurgitat oppletio à vaporibus iisdem retrocedentibus in pulmonem, vnde suffocatio: imaginantur autem aliquod pondus incumbere, quia thorax conuulsus resistit dilatationi pulmonis, præ somno autem varia imaginantur. In catalepsi etsi adsit conuulsio, non repletur pulmo, vt neque in caro. Ideo non læditur respiratio. Vbi enim pulmonis motus moderatus est, vt septum transuersum ad eius dilatationem sufficiat, si nō vehemēs in septo transuerso conuulsio fuerit, non læditur respiratio. Quidam ex recentioribus incubum putant non vitio cerebri contingere, sed in thorace pulmonem & septum trāsuersum opprimi, quia in his læsio est manifesta, ob sensum suffocationis, quod non contingit in caro, qui maior est affectus. Sed vnde totius corporis immobilitas? Non enim hæc contingit, sine facultate animali per neruos transmissa.

Vapores crassi ex cruditatibus oriuntur, ob voracitatem & crapulam. Paul. Auicenna eleuari à sanguine, à pituita

suita ab humore melancholico : dissolui à motu in vigilia.

Comprimi aliquando à frigore. Signa patent ab essentia. Si à Dæmone, non pertinet ad Medicum, dignoscitur, si etiam vigilantibus appareant visiones. Prognostica, si frequenter adueniat, transit in graues morbos prædictos. Ex diuturna enim euaporatione prauorum aut spiritus animales turbulenti reddentur, vnde insania, aut vasorum repletio fiet, vnde epilepsia aut apoplexia continget. Curatur ab Aetio, vt præseruetur à morbis magnis. Euacuatione, digerentibus: Victu extenuante, venæ sectio in pede, vbi sanguis abundet, vel cucurbitulæ in tibiis. Purgantia prauos humores. Pil. Cochiæ sæpius. Rasi. Paul. Hieram Archigenis, elleborum nigrum. Scámonium. Digerentia, quæcumque ad flatum dissoluendum. Proprium est Peoniæ semina nigra 15. cum aqua pota, fricatio inferiorum partium. Abstinere à vino, vbi sanguis abundat: abstinere à flatuosis & crassis cibis. Cubare in latus, non supinum, ne materia in spinam decumbat: neque in latus sinistrum in lineosis, nam vapores attollit.

CAP. XXXIII.

De Caro.

CAros, id est, sopor, subet. Arab vel significat quemlibet somnum profundum ægre excitabilem, vt aliquando contingit ex vini potu largiore, vel pueris, vel iis, qui diutius passi sunt vigilias, non morbosum, sed bonum vt causa & vt signum. Vel morbosum ægre excitabilem, vti in passionibus lethargicis.

Mitior est coma & cataphora, nam sentit æger & mouetur oculos aperit in clamore. Alius est qui per aliquod tempus aufert sensum & motum, vt non sentiant, si stimules, ferias, inclamites, vt contingit ex vehementi percussione in musculis temporum, proprie caros. Sed ex causa procatarctica. Cõtingit & ex causis internis: Est in- 13. Meth. 21

ter

ter altos sopores siue febre, deperditio sensus & motus in toto corpore, non læsa spirandi facultate, quo differt ab apoplexia. Videretur apoplexia quædã debilis, in qua respiratio æqualis non magna vi, at in caro nulla vi. Argumentum respirationem non egere facultate animali. Causæ eædem quæ in apoplexia, sed imbecilliores; occlusio scilicet venarũ, vbi sine forti occasione obmutescunt, nam significat humores replentes. Occasiones fortes sunt, percussio temporum ob dissipationem spirituum. Compressio membranæ aut cerebri, vt in fracturis osse depresso, aut manu artificis grauante. Refrigeratio magna. Medicamenta soporifica. At cur non læditur respiratio? quia ex illa occlusione non regurgitat tumefactio venarum in pulmonem, vt in epilepsia & apoplexia. Ari. coarctato meatu respirationis. Locus affectus. Anterior pars cerebri magis, vbi medius ventriculus, ideo rario diminute læditur, aut tollitur. Signa patent ex essentia & causis. Prognostica, sopore finito succedere solet bona valetudo, non paralysis vt in apoplexia, quia non relinquitur humor. Curatio eadem quæ in cæteris soporibus sed varia pro causarum diuersitate. Ad humores replentes. Venæ sectio, vbi ex plenitudine timetur suffocatio. Oxyrrhodinum vsque ad tres dies Rasi. Ad humores frigidos clysteres acuti reuellẽtes, sternutatoria, apophlegmatismi, olfactoria, toti capiti digerentia ex castorio cũ aceto, & reliqua vsq; adsynapismos. Victus ex sola potu aquæ mellis, postea sorbitiones. Ad compressionem ex osse eleuatio. Ad dissipationem ex ictu, sponte soluitur quiete, ad refrigerationem calefactio sola.

13. Meth. 21.
4. loc. af. 2.
2. Aph. 42
4. Acu. 23.
4. loc. af. 2.
1. Sy. cap. 8.
De Son 3.
4. loc. af. 2.
13. Meth. 21

CAP. XXXIV.

De Apoplexia.

APoplexia dicta à plectendo, nam Græce plictin est percutere. Quidam siderationem vertunt, quasi à sidere percussi, vel potius à fulmine. Sideratio apud Plinium plantis tribuitur, cum exsiccantur vi astri, præcipue canis.

canis. Transfertur & ad animalia cū pars aliqua sphacelum patitur. Aliquando cerebrum sphacelum patitur & sphacelismum, de quibus diximus. Cels. Attonitos vocat, quorum & corpus & mens stupet, raro videri. Videtur significare sphacelum Hipp. & sphacelismum. Fieri interdum ictu fulminis, interdum morbo, quem Græci apoplexiam vocant. Alius morbus frequens, resolutio neruorum, quæ in toto corpore apoplexia, in parte paralysis, licet vterq; apoplexia vocetur ab Hipp. vulgo goccia. Est inter altos sopores sine febre. Est amissio sensus & motus pariter in omnibus neruis. Videtur Gal. aliquando ad solum motum referre, cum inquit, vitium esse circa voluntariam actionem, quale in sentiente functione altus somnus, epilepsia autem vt vigilia. *13. Meth. 21. 3. loc. af 10. 1. Sy. cap. 8.*

Differt à caro, quia thoracis musculi ad respirationē facientes non lædūtur. A paralysi, quia non in omnibus neruis, sed quibusdam. Causa obstructio affatim replens ventriculos principales cerebri, non intemperies vt in lethargicis. Materia humor frigidus, aut crassus, aut viscosus, melancholicus quoq;, cum in ætate declinante. Auic. addit aliquando à sanguine effuso in ventriculos cerebri subito, vel in venas & arterias tendentes ad cerebrū, vt prohibeant transitum spirituum, vt in vulneribus capitis. Idem innuit Hip. cū inquit. Qui repente obmutescunt sani sine occasione, iis venarum interceptio & occlusio fit. Locus affectus vtraq; pars cerebri, anterior & posterior, vt in comitiali. In comate anterior magis, in catalepsi posterior. At in apoplexia corpus magis vētres minus afficiuntur, quia sic magis fit vasorum compressio. In comitiali è contra. Nā auferre sensum & motum sine conuulsione, pendet ab astrictione magis quā ab obstructione. Ad plenitudinem enim vasorū distēsio fit, ad astrictionē prohibetur solus transitus. Id aliquādo fit in vasis tēdentib. ad cerebrū, vt in collo, aliquando in iis quę ex cerebro. Aui. Arist. insēsibile reddi totū animal apprehensis omnib. venis in collo, quæ ob id carotides *4. loc. af. 2. 3. loc. af 7. 6. Aph 57. & 2. Mor. 4. Ac. 23. 4. loc. aff 4. De Som. 2.*

appel.

appellantur. Sed hoc Galenus negat, experimento facto constrictis solis arteriis, at transfluit virtus cum spiritibus & sanguine per anastomosim, compressio valorum velà vehementi frigore fit, vt in caro & lethargo, vel ab humore affatim implēti ventriculos cerebri, vt in apoplexia, vel affectio fit inflammationi similis in cerebro. Repletionem efficiunt nunc frigiditas exprimens, nunc caliditas fundens, quod raro Auic. replentia caput opiata. Vini potio larga, cruditates vehementes. Act. Pluuiæ. Senectus. Species, quædam fortis, quædam debilis, distinguuntur difficultate respirauti. Fortissima repente, tollit etiam respirationem. Fortis in qua respiratio fit magna vi. Debilis, in qua respiratio non violenta, neque intenta, sed inæqualis, inordinata, intermittens. Debilior, in qua eadem seruat aliquem ordinē. Hinc sequitur caros, in qua nulla læsio respirationis. Signa imminentis ex causis. Valde præparati, qui humidi cerebri, somnolenti, pigri præsertim ab anno 40. ad 60. Cur non pueri? quia ob raritatem corporis & caliditatem difflantur, patiuntur magis conuulsiones, repletiones vaporum magis quam compressiones. Vertigines diuturnæ, stupores, tremores præcipue capitis. Incubus continue incidens per noctem. Dolor capitis subitus acutusque. Venæ iugulares eleuatæ, tenebræ oculis, itēque splendores oboriuntur.

Extrema refrigerantur sine ratione. Palpitatio, difficilis motus Dentium stridor in somno Paul. Vrina veluti æruginosa, atra, modica, subsidentia & farina crassa cum multa spuma tenaci. Incipientis vox similis iis qui strangulantur. Auic. alii mugitum prius edunt, & mox cadunt vt in epilepsia. Signa patognomonica. Iacere quasi dormientem, & sine somno stertere. Si pungantur non sentiunt. Hipp. inquit. Statim muti fiunt, & stertunt. Magnitudo & paruitas stertoris, fortem & debilem ostendit, ob debilem motum musculorum thoracis vt in dormientibus. Gal. in comm.

Dubi-

Dubitat Gale. Cur ſoli muſculi thoracis moueantur, licet difficulter? Reſpondet, neceſſitatem reſpirationis excitare neruorum vim ad agendum. Ideo moueri omnes thoracis muſculos cum alioqui raro omnes operẽtur. Auctam vero neceſſitatem non ob calorem, ſed imbecillitatem motricis. At Ariſt. motum eſſe naturalem pulmonis dilatati ob calorem cordis. Patet in caro, nam reſpiratio naturalis, ſine muſculorũ actione: ſatis enim eſt nõ reniti thoracẽ, vt in conuulſionibus & apoplexia. 2. *Aph.* 42. *De Reſp.*

Suffocatio autem imminet magis & minus ob ſpirituum interceptionem, qua coarctatur meatus reſpirationis venis interceptis. Signa ſanguinis replentis, rubedo faciei, oculorũ, venæ ſoporariæ turgidæ. Victus antecedens. Ebrietas. Color poſt rubedinem denigratur aut yireſcit. Raſ. Quod in ſphacelo contingit Hip. vbi aliqua inflammatio, aliqua febris. Auic. Pituitæ albedo, humiditas oculorum, natium, palati, ſenectus, andecedentia. Oregmon Raſ. id eſt, ſonitus ex humiditate in aſpera arteria. Melancholiæ, ætas declinans, color fuſcus, priuatio humiditatum profluentium. In ſubſtantia cerebri, febricula, in ventriculis exeuntia ad palatum, in collo tumor. Fortis & debilis, maior & minor difficultas reſpirandi & ſtertor. Pulſus in debili non inſignis mutatio. In graui inæqualitas quædam, languor, rarus, paruus, tardus. Si magnopere grauet, & facultatem opprimat, languidus, paruus, celer. 2. *Morb.* 6. *Aph.* 18. 4. *capu.* 19.

Prognoſtica Fortem ſoluere impoſſibile eſt, debilem non facile. Quicunque ſani dolore capitis repente capiuntur & ſtatim muti fiunt, & ſtertunt, in 7. diebus pereunt, niſi febris apprehenderit, Ga. aliquando tertia vel quarta febris vehemens ſoluit extenuando pituitam, non debilis. 2. *Aph.* 42. 6. *Aph.* 51. 2. *in* 1. *Pro.* 49.

Nam in ſubitaneis apoplexiis ſi febris mediocris ſoluta; & diutina ſuperueniat, pernitioſum. Spuma circa os deploratam ſignificat. An hoc de ſtrangulatis dicitur? Raſetiam in apoplexia, quamuis raro in hac contingat 2. *Aph.* 42.

spuma, vt in epilepsia, in qua non est lethalis. Apoplectici videntur aliquando similes mortuis sine respiratione, & tamen reuiuiscunt, & sanantur, Auic. Ideo non sepeliendos vsque ad tres dies. Remanere in his aliquem pulsum, indigere tamē pauca euentatione ob frigiditatem. Dignosci aliquem motum respirationis, naribus admouendo aliqua leuissima, capillum, plumam, flammam.

4. lo. aff. 2. Sed hæc in syncope magis contingunt. Quæ sanatur sæpissime in paralysim desinit. Hippocrates inquit 2. de morbis. Si sanguis incalescat, & separetur à bile, sanantur, si amplius refrigeretur, moriuntur.

CAP. XXXV.

Curatio Apoplexiæ.

CVratio ad imminentem suffocationem, ob venarum occlusionem, plenitudinem statim auferre: hæc
4. Ac. 24. enim aut præcedit occlusionem, aut sequitur. Venam internam brachii dextri secare, inspecta ætate, habitu. Ras. & Aet. cauent, vbi non adest rubedo in facie. Celsus inquit, vel occidit, vel liberat.

Galenus, in omnibus conuenire ob morbi magnitudinem, dūmodo adsit virium robur. Desunt vires in crudi humoris copia, habitu raro & facile solubili, vt pueris.
13. Met. 21. Sub cane, in his parum & sæpe. Cucurbitulis, hirudinib.
4. Ac. 28. Hip. inquit. Infrigidato sanguine ob stationem, talibus prius adhibitis fomentis, venam confestim ab initio secare oportet, cū nondū fixa sunt omnia quæ cōtristant. Gal. in com. fomenta ad fundendum sanguinem vt exire possit. Vbi sanguis incipit denigrari ex coarctatione. Rasis secat duas cephalicas, aut in collo vtrinq;. Quidam verētur sectionem in collo, quia ex vinculo augetur occlusio, & quia venæ illæ difficile glutinantur propter impetum. Reuulsionis gratia iteranda venæ sectio in pede, in manu dextra eadem die aut altera, Aet. Vincula dolorifica, brachiis, crurib. Capiti oxyrrhodini Ga. & Ras. Quies. Postea digerentia & cuocantia. An repellentia ad fixam materiam

teriam non conueniunt, sed extrahentia statim post euacuationem. Ad frigidos humores præmissa venæ sectione, si vires sufferunt, reuulsio per clysteres acres. Paul. ex muria, melle, addit oleum rutaceum Aet. aut decocto furfurum radicis cucumeris syl. centaureæ, nitro, melle, aut addita hiera p. Hieralogodio. Rasis cõponit efficacissimũ. Recipit colocynthidis, brioniæ, centauri minoris, cyclamin. ellebori albi, singulorum manipulum vnum. Aquæ libras tres, coquantur ad consumptionem librarum duarum. Infunde libram semis, & si cito exierit, infunde reliquum, donec multitudo cum eo exeat. Suppositoria, sedis inunctiones ex ruta, cumino, nitro. Deiectio adiuuanda frictionibus ventris & digitis intromissis. Cucurbitulæ magnæ lumbis affixæ trahendæ ad ventrem & pectinem, nam exprimunt quæ in ventre sunt Aet. Euacuatio a parte postquam fixa est omnis fluxio, per palatum. Aceto mulso & decocto hyssopi, serpilli, thymi, pulegii, cum oxymelite, infuso in os: penna ex oleo irino vomitus prouocãdus per nares. Rasis insufflat puluerem ellebori albi, struthii, nos castorium, pyrethrum, iridem, sinapi, euphorbium, aut ex oxymelite illinuntur. Sed præparare oportet odoramentis nigellæ torrefactæ ex aceto & castorio. Euocantia ad cutem in sanguinea cucurbitulæ capiti. Paul. in occipite cum scarificatione. Rasi. hirudinibus in extremitate nasi. *13. Met. 21.*

Hip. ad sphacelum secare oportet qua parte intumuit anterius, & purgato osse, ipsum radere, donec ad secundã laminam perueniat, deinde vt fracturam curare. Et paulo post, in simili morbo, vbi reliqua non profint, quæ vna spes est, sinciput ipsius findito, & vbi sanguis defluxerit, labiis compositis curato & deligato. In frigida Rasis inurit capillos, admota ferrea sartagine ignita. Alii cauteria tria, vnum in fronte, alterũ in sincipite, tertiũ in occipite vltimum remedium. At futuras cauere oportet, nõ inurere, nec præcidere. Rasis cõtentus est sinapismo toti capiti raso, ex sinapi, castorio, aceto acerrimo, intermediis *2. Mor.*

temporibus digerētia ex oleo anethino, chamæmelino, incoctis sphondylio, calamēto, serpillo, dissoluto castorio. Tori corpori oleum sulphuratum, intus confectio nacardina cum hydromelite semel in die. Cogendus vt deglutiat drachmam vnam & semis: nam febrem excitat. Nos theriacam cum aqua ardente. Vectio in curru, lectica, lecto pensili Paul. ad digerendum in progressu, sedēs, vt recta ceruice facilius spiret, & materia expurgetur per palatum. Hodie ex Cels. cogunt deambulare statim in initio, ne figatur materia. An confert agitatio in principio, cū ex leui causa incipit obstructio, quā detrudere agitatio illa possit. At cū nō succedat nō perseuerandū sed sistere fluxionē oportet, quiete corporis & reuulsionib.

CAP. XXXVI.

De Paralysi.

PAralysis, resolutio neruorum, seu mollificatio. Putat Gal. apud Hipp. esse paraplegiam & paraplexiam, sed videtur potius inter conuulsiones. Nam resolutiones omnes apoplexiā vocat ex Cels. Est amissio sensus & motus in aliqua parte, vt apoplexia in toto. Nunc totius lateris dextri, nunc sinistri, aut solius brachii, aut cruris. Quarundam partium propria nomina, aphonia laringis, aut musculorum intercostaliū, vox enim motu earū partium fit, apnea thoracis, iscuria vesicæ. Tortura oris nunc paralysis est oppositi, nunc conuulsio eiusdem partis. Causa immediata, virtutis transitus impeditus aut à solutione continui abscisso neruo, aut ab obstructione ex crassis humoribus, aut constrictione, vt à vinculo, seu compressione ab adiacente duro.

Si nerui poros habēt, ab huiusmodi clauduntur. Si nō habent, vt Galenus putat, impeditur transitus facultatis sine corpore, vt lumen constipato neruo, aut congelato à frigore, vt ex nebula vel fumo in aere, luto in aqua. Sic nerui habitus crassior, vel durior, quia alatur ex crassis succis, vel glutinosis, stipetur à frigore violēto, cōprimatur

tur ab adiacente duro, vt scirro, vel osse, prohiberur trãsitus. Tralli. notauit aliquando à sola qualitate calida & sicca astrictis neruis paralysim fieri, vt apud eos, qui tractant argentum viuum. At quo differet à conuulsione exsiccitate? an in paralysi exsiccatur humiditas, quæ fulcit neruorum fibras ex cerebri medulla; in conuulsione autem ipsa substantia fibrarum exarescit? Quod si id contingat, vt Gal. putauit, non solũ breuior fiet neruus, vnde conuulsio, sed & paralysis, astricto per siccitatem neruo. Verum si necessaria est spiritus substãtia ad motum præstandum, vt Arist. ostendit in lib. de communi animalium motu, ~~non sunt negandi meatus in neruis, licet non sint conspicui, vt in venis & arteriis~~. Nam neq; conspicui sunt in exiguis cerebri arteriis, quæ in fibras neruorum desinunt, multæ vnicum neruum veluti funiculum constituentes. Hoc modo facile reddi potest causa, cur ab eodem humore crasso aut aliis replentibus nunc paralysis, nunc conuulsio fiat, cur in conuulsione non tollatur sensus, sed dolor sæpius vrgeat, in paralysi cum motu tollatur etiã vt plurimum sensus. Si enim intra fibras repletio fiat, eas dilatari necesse est, vnde motus conuulsiuus, si extra cõprimi meatus, vnde paralysis, aut omnino clausis vnde sensus & motus, tolluntur, aut secundũ partẽ, vt contingit in torpore & tremore, in quibus diminutus fit motus, relicto aliquando sensu, quia substantia spiritus requiritur magis ad motũ quam ad sensum, at pereunte sensu, necesse est perire etiã motum.

Locus affectus, vel in principio neruorum, cerebri, vel spinalis medullæ.

Superius, inferius, dextri, sinistri. Vel in particulari neruo, vel propagine maiori minori. Vel in musculo, tẽdone, vbi affectio est, ibi morbus per essentiam, in inferioribus per consensum. Exempla. Quidã lapsus ex alto 3. loc. aff. c. 1. ictus in principio dorsi, resoluta sunt crura, & vocẽ amisit per consensum. Puer in aqua frigida natans, resolutis 2. musculis sedis & vesicę, inuolũtarie reddebat excremẽ-

ta & vrinam per essentiam, resolutis musculis ad continendum datis. At vesicæ & intestinorum resolutio lædit naturales functiones, vnde suppressio, vult Galenus per essentiam non per consensum, quia vis naturalis insita est, non fluens à principio. At sine sensu non fit expulsio, cum non sentitur irritatio. Hinc tardus excrementorum descensus aliquando fit propter hebetem sensum. Huius gratia nerui omnibus visceribus tribuit. Nam pereunte sensu, necesse est & motum perire tum naturalem, tum voluntarium, non è contra, quia maior virtus requiritur ad motum, quam ad sensum.

CAP. XXXVII.

De Signis Paralysis.

SIgna imminentis paralysis causæ antecedentes. Apoplexia, Ictus spinæ vulnera, senectus. Argenti viui tractatio. Vrina infantis viridis nunciat paralysim vel conuulsionem. Auicen. Paul. in apoplexia vrina æruginosa vel nigra. Incipientis, torpor, tremor, exaltatio membri ob virtutem violentius ingruentem ad expellendum, mox decidit infixis humoribus. Præsentis manifesta ex essentia.

Frigiditas membri paralytici, pulsus paruus tardus, languidus, nonnullis rarus, aliis creber, & aliquantum inordinate intermittit, quod sequitur maiorem affectionem. Extenuatio eiusdem Nam priuata sensu tactus mori necesse est. Ari. Viuunt tamẽ per venas & arterias; quasi aliquis sensus obscurus à corde influat, nã exquisitior per neruos à cerebro impartitur. Extenuantur autem mẽbra paralytica, quamuis non desit nutrimentũ per venas & arterias, quia deficiente sensu minuitur attractio alimẽti, & expulsio excremẽtorũm, vnde & calor natiuus deficit. Affectionis signa. Solutio continui manifesta ex vulnere, cõtusione. Compressio patet in osse depresso luxato præcipue ad vertebras. Tumor ex partis inflammatione, quæ ictum perpessa est. Relinquitur aliquando tumor etiam

sedata

sedata inflammatione, aut nouus oritur ex defluxu à capite, propter imbecillitatem. Frigoris, iacuisse super lapidem frigidū, vnde quidam incidit in torturam oris. Natasse in aqua frigida. Caloris, tractasse argentū viuū, vsus calidorū, vnde membrum paralyticum calidius sentitur.

Repentina resolutio aut indicat ictum, aut refrigerationem. Quæ paulatim accedit, humorem, vel tumorem significat, vel caliditatem. 1

Loci affecti signa ex anatome sumenda sunt, cognita neruorū distributione ad singulas partes. Dimidii lateris dimidium cerebrū læsum. Vulnus dextræ partis cerebri, paralysim aut conuulsionem facit in manu sinistra. 1.lo.af. 6. 3.loc.af.10. 4.loc.af.3.

Sinistræ partis, in manu dextra, in medio ad futurā sagittalem, in vtraq; manu. Hipp. Affectus in basi cerebri non particularem, sed vniuersalem totius corporis læsionem faciunt, quia nerui omnes concurrunt tam dextræ partis quam sinistræ, tam qui ex cerebro, quam qui ex spinali medulla. Si affectio in neruis cerebri tantum, resolutio fit solū in facie, in altero oculo, oris tortura ad latus oppositum, in linguæ dimidio impedita locutione. Si in principio spinalis medullæ tollitur respiratio cum resolutione omnium subiectorum, tantum non læsa facie. 9.Epid.

Si dimidia pars tātum, resolutio dimidii lateris. At ponit exemplum Gal. in quo omnes partes subiectæ resolutæ sunt ex ictu circa spinæ principiū, at non læsa fuit respiratio. Vnde colligit nō plane in principio spinæ læsionem fuisse, sed circa, scilicet sub quarta vertebra, vt septū transuersum illæsum permaneret, quod commētum est, ne cogeretur respirationem fateri motum esse naturalē. Si igitur læsio fuerit in 5. vertebra, paralysis fiet totius brachii & omnium inferiorum, seruata respiratione per musculos externos & septum transuersum, quod recipit neruos ex quarta vertebra. Si in 6. primæ partes brachii illæsæ permanent: si in 7. adhuc minus: si in 8. nulla læsio in brachio, sed vox læditur secundum partem ob musculos intercostales. Quidam tamen in 8. percussus obmu- 3.lo.af.10. 4.lo.af.3. 1.Sy.ca.5.

tuit. Si in inferioribus vertebris læsio ad musculos abdominis & crurum, vesicæ & intestinorum.

Vesicæ & intestinorum paralysis ex spinæ luxatione in interiorem partem magis fit, aut concussione, huius signum est suppressio, aut inuoluntaria emissio Paul. Et Hipp. Qui euadunt, incidunt in vrinæ incontinentiam, & crurum impotentiam. Emissio inuoluntaria fit ob resolutionem musculorum continentium, suppressio ob affectum proprium vesicæ & intestinorum: putat Gal. ob inflammationem communicatam ab ictu spinæ, ideo pertinere ad facultatem naturalem. At ex ictu statim fit suppressio, non statim inflammatio. An quia sine villis & sensu non fit expulsio? Ideo etiam facultas naturalis læditur per consensum neruorum, quod negat Gal. Si læsio in radice tantum aut propagine non in spina, nec in cerebro, resolutio particularior erit.

Prognostica. Ex solutione continui incurabilis. Ex casu aut ictu, si non subito, sed paulatim accedat, curatur. Raf. desinente inflammatione post 7. diem. Spinæ luxatio in exteriorem partem tutior, in interiorem deterior. Concussio deterrima, an quia abrumpuntur villi? Nam pereunt ob retentionem vrinæ & excrementorum. Paralysis vnius lateris periculo vacat, quia non tollit respirationem, neque vrinam. Quæ ex cerebro periculosæ ne in apoplexiam transeant.

Gula resoluta periculosa, ob priuationem alimenti. Aet. Ex scirro incurabilis. Ex tumore tarde curatur. Ex sola frigiditate citius. Membrum paralyticum valde extenuatum non curatur, vt tabidum. Simili modo & caliditate & siccitate, cum progressa fuerit. Si valde frigidum, malum, peius si membrum sanum valde calidum.

CAP. XXXVIII.

Curatio Paralysis.

PAralysis ex sola frigiditate curatur frictione partium, quæ maxime facit Paul. Vnguento ex laurino, costino,

ſtino, liliaceo, marciaton, Rutaceo. Styrax; medulla ceruina, pinguedo Taſſi, vrſi, anatis, oleum nucis muſchatæ. Vnguentum ex euphorbio, aqua ardens. Balnea calida. Victus calefaciens, vinum vetuſtum moderatius, allia, porra, apium Trall. Ex ſola caliditate & ſiccitate. Trall. Solo victu humectante & refrigerante. Ptiſana, Hallica, cicorium, lactuca. Inunctio ex hydræleo. Balnea dulcia, non medicamenta purgantia. Ad paralyſim ex inflammatione, vt in contuſione & luxatione ſpinæ. Reſtitutis prius articulis, aut aliis oſſibus fractis, venæ ſectio ex latere oppoſito. Poſt ſananda contuſio, non putrefacientibus vt in carne, ſed ſiccantibus. Frigida & ſicca defendũt ab inflammatione repellendo, & à putredine, at neruis inimica, ideo ~~negantur in conuulſione, conceduntur in paralyſi~~ Paul. quia humor non intra villos continetur vt in conuulſione, in qua aſtringẽtia impingunt magis. Repellentia in principio ex albumine oui, oleo roſaceo, myrthino, abſinthio ſicco, millefolio ex vino aut aceto Hipp. Ceratum roſaceum adiecta pice ſicca, perfuſio vini auſteri. Poſtea tranſeundum ad digerentia, vt in conuulſione. Deſinente inflammatione ſponte ſanantur poſt dies 7. Si relinquitur paralyſis, emollientib. vtendum Raſ. Nam ſcirri modo indurantur. Recipit farinæ fænugræci vncias duas, Ben, id eſt glandis vnguentariæ ſeminis Macalep id eſt, ceraſi ſylueſtris, ſeminis Ricini ſingulorum drachmas duas, bdellii, ammoniaci vtriuſque vnciam ſemis, adipis anatis, olei liliacei, ceræ ſingulorum quantum ſufficit. Inteſtina quadrupedum calentia impoſita ſæpius. Balnea ſulphurea, nitroſa, aluminoſa. Luta Balnei S. Caſſiani. Hæc digerendo exſiccant. Trallianus monet non immorandum in balneo diutius, nec bis in die, permittendum vt deſcendant in frigidum ſolium, ne ſiccentur nimium, & alternatim humectantibus vtendum. Ad frigidam & humidam euacuatio prius à toto, deinde à parte. Venæ ſectio Aet. parce tamen ob affectum frigidum, & particulam frigidam, à partibus ſanis, non ſi ſuc-

3. Catag. 2.

1. Frac. 21.

1. loc. aff. 6.

cesserit ad apoplexiam. Rasolius purgationis meminit. Varia medicamenta in affectibus neruorum trahentia à longinquis ferè omnia recipiunt genera gummi, bdellium, sagapenum, opopanacem, assam. Pilulę fæditæ Ras. & Mes. de colocynthide Trall. hiera Archigenis Paul. addit aliquid castorii, vt penetret in neruos. Præparatio inter purgationes per digerentia incipiendo à leuioribus, aqua mellis, oxymel Sy. de stœchade, de calamento, scyllitico, decoctiones vel aquæ stillatitiæ, saluiæ, roris marini, betonicæ, iuæ, polii, chamædreos, rutę, sampsuchi. Post purgationem ad reliquias digerendas, castorium drachma vna in catapotiis, opopanax fabæ magnitudine, sagapenum erui magnitudine. Diatrion pipereon Paul. anacardina Ras. theriaca. Auic. Recentiores herbam prædicant, Split vulgo appellatam ex genere fumi terræ in alpibus inter saxa, eius radices in vino coctæ obstructo vasculo crusta panis, exhibent decoctionis vncias duas diluculo per dies quinque, initio reddit ægros quasi ebrios, cerebrum valenter expurgat & neruos. Alii exhibent guaiaci decoctum. Victus calidus & siccus, carnes assæ cum pipere. Ius cicerum cum oleo & sinapi, nuclei pinei, hydromel, decoctum sarmentorum viridium Aet. Ad particulas affectas digerentia, & emollientia in inueteratis. Incipere à leuioribus, vltimo ad ea, quæ possunt cutem cruentare, cauendo exulcerationem Paulus Aetius mitissima acopa ad lassitudinem descripta, vnguentum glesechum, recipit cum digerentibus quædam astringentia Dioscor. Irrigatio ex oleo & aceto cum lana succida, vel addito nitro, in principio, præsertim si ex ardore, nam acetum refrigerat. Trall. marciaton, medulla cerui, oleum rutaceum, scylla ex oleo, ranunculus, sinapis cum cærato cyprino.

Cucurbitulæ aut particulis affectis, aut proximis, postea cataplasma ex semine lini, fœnugræco, farina hordei cum oleo veteri.

Em-

Emplastrum ex pice, resina, thure, bitumine, artemisia, calamento, ruta, coniza, nitro, muria. Vltimo balnea sulphurea. Sed per interualla reuertendum ad cerata, & emollientia. Ad torturam oris ex paralysi, remedia in oppositam partem, & conuulsione in eodem. Sanguis detractio sub lingua post totius euacuationem, cucurbitulæ in ceruice ad duas vertebras. Vnctiones & sinapismi ad vertebras, in mala, prope nasum, in supercilio, tempore, vnde nerui egrediuntur. Ad linguæ laringis, & œsophagi paralysim sanguinis detractio sub lingua, cucurbitula sub mento & in occipite, gargarismi acres, inunctiones tonsillarum. Ad vesicæ paralysim, educta vrina per syringam, intromittere castorium cum oleo, aut opopanacem, si vesica proprio affectu laboret. Ad intestinorum paralysim clysteres ex rutaceo, anethino, adiecto cumino, castorio, aut ex ptisana incocta centaurea, colocynthide. Ad musculos sedis & vesicæ, fouere iisdē calorificis. Aet. & Paul. Astringentibus vtuntur & refrigerantibus ad relaxatos: si non iuuent, transeundum ad contraria. Trall. suffimentum ex lapide molari ignito & vino asperso, nam digerit & astringit.

7, Cata. 12.

CAP. XXXIX.

De Torpore, & Tremore.

TOrpor græce Narce, vnde actiones torpidæ, id est, diminutæ, pigræ, & medicamenta narcotica, stupefacientia, sed stupor proprie significat amissionem sensus & motus, vt in apoplexia & paralysi.

At torpor est sensus & motus diminutio neruosarum partium, leuis quędam paralysis vulgo indormentato. In cute & visceribus solus sensus tactus læditur. In musculis etiam motus voluntarius, forte & in viscerib. motus naturalis, qui per villos neruosos perficitur. Inquit Gal. in torpore motus quidam fit, sed ægre, nam vincitur magis & minus virtus à pondere, ideo motus mixtus ob pugnā grauitatis & virtutis. At idē in tremore contingit

1. Sy. cap. 8.
2. Sy. cap. 2.

sine

sine læsione sensus, quo differt à torpore. Causa eadem quæ in paralysi, at non omnimoda obstructio vel clausio, quia spiritus aliqua ex parte transeunt. Frigiditas, vt ambulantibus in niue. Compressio, vt incumbente graui corpore. Medicamenta stupefacientia. Torpedo viuens etiam contactu retis. Spiritu aliquo frigido neruis communicato. Hipp. de virginum morbis, inquit. Torporis causa est compressio, vnde sanguis immobilis redditur, vt si quis diutius desideat, torpor ad tibias & pedes, impedito egressu, vnde & crurum impotentia. Reuertitur facile per se ipsum. Celerrime autem, si quis aqua frigida pedes madefaciat vltra malleolos, nam per antiperistasim reuocatur calor. Si diutius perseuerat, considerandus locus affectus & affectio vt in paralysi. Similiter & curatio.

Tremor est motus compositus ex voluntario & naturali ob grauitatem & imbecillitatem, modo vincente grauitate, modo virtute. Symptoma quodammodo interactiones diminutas ob virtutis imbecillitatem, quodammodo inter deprauatas, quia deprauatur ab altero motu grauitatis. Causa est imbecillitas motiuæ. Differt à rigore conuulsione concussiua. Palpitatione, qui & tremores aliquando vocantur, quia cæteri inuoluntarii sunt, ideo non in nobis est eos sistere. At tremor posito membro sistitur. Contingunt tamen tremores inuoluntarii, vt in problemat. ex vino adeo acres, vt homines comprimentes omnes eiicerent. Et ex morsu phalangii, quam tarantulam vocant, quiescere nequeunt nisi dormiant. Et in febribus ardentibus tremores qui ab humoribus noxis transmissis ad neruos fiunt. Et qui in principio paralysis fit, virtute violentius irruente, vt excutiat. An æquiuoce tremores dicuntur quicunque ab irritatione fiunt? Proprie enim tremor à Galeno accipitur, qui ex sola virtutis imbecillitate fit, vt indebilitatis à morbo, in senectute, in timentibus, in cordis affectibus. At rigor, palpitatio, conuulsio motum similem tremori faciunt, vnde & tremores

mores appellantur, sed non sunt voluntarii. Inter hos reponi potest neruorum incontinentia, quam Hippocrates Acratiam vocat, quia nec in motu, nec in quiete neruos continere possunt, quod contingit ex nimio vsu calidorum, ex morsu Phalangii, ex meri potu & humoribus calidis in febre ardente expulsis ad neruos. Aliquando lingua incontinens fit. Auic. omnes comprehendit, inquiens, alium fieri ob imbecillitatem virtutis, aliū ob membri vitium, alium ob vtrunque. Aristot. in problematis reducit omnes ad defectum caloris natiui, vel per se à frigore, vel per accidens à calore. Frigiditas immobilitatem præstat aut diminutionem, caliditas motum facit deprauatum. Signa tremoris proprie dicti. *5. Aph. 16.* *6. Aph. 26.* *7. Aph. 40.*

Si posito membro cessat, qui ex irritatione non cessant nisi in somno, quia in somno spiritus non feruntur extra ad neruos, sed vergunt ad viscera. A frigore in naturis frigidis, senectute, hyeme. A calido neruorum incontinentia. Phalangii morsus, si ex febre ardente.

Prognostica. In senibus non curatur. In febre ardente delirio soluuntur, quia ex venis transitus fit in arterias & neruos, ex corpore in mentem. Si lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis stupescat, melancholicum est. Lingua obtremiscens signum non constantis mentis. Gal. inquit, ob calidum affectum lingua nequit quiescere. Capitis tremor, affectionem significat in exortu spinæ, & septimo pari neruorum cerebri. In sinistro latere deteriores, Auic. *6. Aph. 26.* *7. Aph. 40.* *1. in 1. Pror. 20.*

Curatio ad virtutis imbecillitatem, instauratio & corroboratio per victum. Ad solam frigiditatem *Ras.* Balneū calidissimum, vt sudet, inde in sole maneat. Ad humores frigidos euacuantia vt in paralysi, postea digerentibus vtendum. Intus radicis altheæ decoctum eupatorium ex aqua. Ruta, sphondylium, castorium, nitrum ex oxymelite. Stœchadis drachma vna per se vel cum hiera. Auic. panax, piper. Leporis cerebrum assatum comestum Pau. Auicen. Dioscor. nam reficit debilitatos. Extra fricatio

Mes.

Mesoperiri harena vel cinere calido, accubitus in furno calido quantum ferre possit.

3. Aph. 16. Balnea sulphurea, marina, Auic. oleum de andacocca id est, loti sylvestris. Sed immoderatus vsus calidorum neruorum incontinentiam facit. Ad calidum prius euacuatio humorum actium. Paul. relaxantia, fouet oleo veteri, lanas operit, si perseueret, balneum in oleo, vel hydræleo, frictiones modicæ. Cucurbitulæ ductæ à prima vertebra ad lumbos per dorsum, castorium in potu cum mulsa, non vinum. Remedia conuulsionis: nam est imbecillis quædam conuulsio. Torpedo viua imposita

9. Cata. 12. ceruici, & membris trementibus statim sedat neruorũ incontinentiam. Emplastra & cerata ex ranis rubetis, vel palustribus & sanguine testudinis, variæ confectiones traduntur ad spinam adhibendæ, agunt partim digerẽdo, partim obstupefaciendo. Huc transferenda sunt remedia, quæ ad ictum phalangii tradita sunt. Victus ex cibis velocis coctionis, sorbitionibus, auiculis, piscib. saxatilibus. Vinum nocet, & aqua frigida, minoris nocumenti aqua pluuia.

CAP. XL.

De Hydrocephalo, & Catarrho.

HYdrocephalon, id est, aqua in capite, est inter morbos facultatis naturalis, quia vitiatur coctio in cerebro mutato sanguine in aquam, vt hydrops, præcipue infantibus contingit. Paul. Aet. Hipp. Aut intra cranium, aut extra, intra cutem, vel pericranium. Hipp. liquari à caliditate pituitam, quæ aut descẽdit, aut egreditur pe-

8. Morb. runq; copia vrinæ, aut colligitur in capite, vnde intumescit vehementer futuras diffungens, si intra cranium. Si non succedat curatio per purgantia, secat aut cutem solam, aut pericranium. Os non tangit. Paul. Hippocrat. secat vt in fracturis. Raro visitur hic morbus apud nos. Sæpius aqua egreditur per fluxum lachrymarum, aut descẽdit in distillationibus. Catarrhus vocatur symptoma

ma exeuntis mutati qualitate vel quantitate, vt pituitæ multæ incoctæ, acidæ, salsæ, putrefactæ, origo omnium morborum, qui ex distillatione contingunt. Proprie est defluxio humorum per palatum. Gal. fluxio à capite ad pulmonē per asperam arteriam, delatio multorū humorum per palati foramina afficiens subiecta loca. Cōmunis distillatio quæcunq; à cerebro, græce reuma, siue per meatus manifestos, siue per insensibiles. Nares ex anterioribus ventriculis, palatum ex medio. Hinc duo genera distillationis, Gal. catarrhus per palatum, coryza, id est, grauedo per nares. Mes. & recentiores, quæ per palatum in duas diuidunt, raucedo græce brancos, cū fauces affligit, catarrhus, cum fluit ad pectus. An pro diuersitate partiū afflictarum innumerabiles? nam omnes partes corporis tentari possunt distillatione à capite, vel per meatus supradictos, vel per venas, arterias, neruos, vel occultos meatus. Causa materialis humiditas præter naturam, humor tenuis & incoctus, pituita salsa vel acida, calida acris vel salsa exulcerans, frigida acida. Auic. quādoq; crassus, quandoq; tenuis aquosus, an humor crassus ineptus ad fluxionem nisi liquetur? vtrum bilis flaua atra? an continentur sub humiditate præter naturam? vtrum sanguis pituita dulcis, pus aut simile puri? an sanguinis fluxus exiens est toto genere præter naturam, pituita dulcis sola quantitate, nam secundum naturam descendit ad linguam & ventriculum. Pus & simile puri secundum naturam expurgatur, quia concocta.

8. Pla. 5.
2. Prog. 49.
3. Aph. 12. li. Def.
3. Aph. 12.
9. vsf. pa. 3.
2. prog. 49.
1. Tu. sa. 7.
2. Prog. 49.
6. Tu sa. 9.

At catarrhus defluxio est qualitate præter naturā. Reuma autem cōmuni nomine ad omnes pertinet, vel symptoma morborum, vel causa, vel neutra, sed salutis causa. Efficiens quodcunq; commouet vel gignit materiā, caliditas vel fundens coagulata, vel gignens acredinem, salsedinem, putrefactionem. Frigiditas vel exprimens quoscunque humores fluxibiles, vel frigidos gignens, replentia caput, ventriculi cruditas, hepatis caliditas, veteri affectiones, cerebri caliditas attrahens, euaporantia

2. Prog. 49.

rãtia, lac, vinũ Austri, hyeme, vere, autumno, senectute obstructio, stipatio, locus affectus, à quo, cerebrum aut ob propriam affectionem, vt in ventre mala coctio Intemperies calida, frigida, humida, obstructio narium, palati, constipatio cutis. Aut ob vitium mandantis, ventriculi, hepatis, vteri. Ad quem quælibet pars subiecta recipiens, propter imbecillitatem. Per quem, meatus naturales, nares, palatum, præter naturam, oculi, aures, venæ arteriæ, nerui, & meatus insensibiles. Signa catarrhi, afflictio partis vnde fluit & ad quam, aliquando viarum, exitus humoris. Ras. pruritus in naribus & palato, commotio, sternutatio. Sternutatio sequitur grauedinem magna ex parte. Humor tenuis & incoctus modo per nares, modo per palatum, vnde morsus, pruritus & commotio.

3. Sy. ca. 4.

1. Nat. hu. 22

2. Prog. 49.

Internæ medullæ cerebri patientis defluxio per nares, palatum ad fauces, gulam, asperam arteriam, pulmonem. Externæ patientis defluxio per neruorum exortus intra vel extra membranam ad oculos, aures, nares, dentes, linguam, viscera, spinalem medullam, vnde paralysis. vasorum patientium, defluxio per venas & arterias, vnde febres, inflammationes partium: per neruorum substantiam, conuulsiones, dolores articulorum. Frigidæ distillationis sensus frigiditatis, tum in mandante, tum in recipiente, liuor, vel albedo faciei. Sed contingit ob morã in parte incalescere & putrescere. Excrementa multa aquosa, acida, insipida, hi iuuantur à febre Auie.

Senectus, hyems, pluuiæ, naturæ frigidæ. Calidæ distillationis signa sensus caliditatis, morsus, excrementa pauca acria, salsa, amara, aliquando sanguinolenta. Rubedo faciei, vel color flauus, pustulæ. Si febris accesserit, non iuuantur. Tenuis colligi nequit, quia imbibitur in profundum; crassus euelli nequit ob tenacitatem, distẽdit, grauat, obstruit. Obstructionis tensio circa capur, in collo, ad oculos, prohibetur exitus, vnde regurgitant excrementa in alias partes. Per consensum à subiectis partibus,

tibus, earum afflictio, interualla. Tunc fit cõtinua distillatio, vbi facto circulo distillatio descendit ad mandantes.

Prognostica. In valde senibus non concoquuntur. Quæ per venas cito interimunt Galen. Quæ per palatum longæ, periculosiores quam per nares, quia à partib. subiectis difficilius expurgantur. Grauedines & sternutamenta in morbis pulmonis mala. Salsæ & acres phtisim pariunt, si ad pulmonem. Frigidæ tusses diuturnas, asmata, empiema faciunt, nam retentæ incalescunt. Si humores in cerebro calido vel frigido similes colligantur, facilius corriguntur, quam si dissimiles. Sic calida distillatio in ventriculum frigidum difficilis. Frigida in calidum difficilior ob repugnantiam remediorum. Si frigida in frigidum, calida in calidum, facilis.

De loc. in hom.
2. Aph. 40.
3. Aph. 12.
2. Prog. 49.
6. Tu sa. 9.
2. Tu. sa. 10.

CAP. XLI.

Curatio Catarrhi.

IN curatione catarrhi sistendus est humoris motus. Sed prius remedia adhibenda sunt ad causas. Vltimo ad noxas partium in quas influxit, sed hæ in morbis singularum traduntur. Inquit Galenus pleraque Medicorum pars occurrit partibus fluxione tentatis, cum satius sit capiti prospicere, in quo est fons. Incipiendum à causis, nisi interim ex fluxione periculum immineat suffocationis, erosionis, pulmonis, aut alterius grauis mali. Ad materiam euacuatio, alteratio.

6. Tu sa. 9.

Purgatio magis quam venæ sectio, quia turget. Venæ sectio, vbi multitudo sanguinis, vel crassities, veluti limus. Si id cum paucitate sanguinis, præcedat purgatio, dein refectio, postea venæ sectio. Iterũ reficere, contẽperare, purgare, atq; iterare venæ sectionem. Pil. ex aloe, scammonio, colocynthide, agarico, bdellio, & gummi ad plures excrementorum species. Postea iis quæ nigram bilem ducunt. Adacres humores nos cassiam, mannam, tamarindos cum decocto violarum, iuiubarum, prunorum, lebesten. Syr. rosatus solutiuus. Diaprunis, diacatholicon.

5. Meth. 14.

Rhabarbarum electuarium de succo rosarum, pil. sine quibus, nisi adsit febris. Ad pituitam pil. cocchiæ, aureæ, diaphœnicon agaricum. Ad atram, pil. Indæ, ellebo-
rus niger, cum hiera.

Alteratio concoctione fit, quæ omnem excessum ad mediocritatem reducit, quod natura præstat calido innato, adiuuatur tamen à Medico ad calidos & tenues per refrigerantia & humectantia, incrassantia, Sy. violatus, de endiuia. Iulubinus, aquæ similes, hordei ad frigidos per calefacientia & siccantia, digerentia, attenuantia, abstergentia. Sed ne augeant fluxionem, eligenda mi-
5. *Meth.* 14. tiora, aut admixtis refrigerantibus, oxymel, Sy. de capillo veneris, de liquiritia, de hyssopo. Ad causas efficientes. Ad calidam intemperiem liquantem Trall. reprehendit
6. *Tu. sa.* 9. Gal. imponentem sinapismum capiti, thapsiam, & stercus columbinum ad impetum fluxionis reuellendum non ad causam tollendam. Nam & idem Galen ad causam tollendam damnat colorifica, laudat ablutionem capitis ex aqua tepida, non frigida, ne poris astrictis prohibeatur effluxus. Rosaceum per se vel cum modico aquæ frigidæ, vel oxyrrhodinum in balneo temperato. Ad frigiditatem ambientis, Ras. pannum calidum circundat capiti efficacius suffumigatum furfure, thure.

Vnguentum irinum, cerottum de betonica in sinciput. Balnea naturalia sulphurea, bituminosa, non alu-
6 *Tu. sa.* 9. minosa. Ablutiones ex lixiuio incocto chamæmelo, asaro, stœchade, abstergẽdo cum puluere iridis. Ad obstructiones post odoramenta nigellę errhina, apophlegmatismi. Ad partes mandantes remedia in earũ morbis explicantur. Ad motũ humoris distillantis motus contrarius, vel quies, motus auertens ad loca distantissima, reuulsio in maiori impetu fluxionis, ad proquinqua deriuatio in fluxione diuturna. Reuulsio ascendentiũ ad inferiora, acri clysteri, frictionib. crurũ & manuũ ex scylla, nitro, vinculis, saltem prohibent ferri ad vnam partem.

Descendentium reuulsio fit ad superna ad verticem, cata-

cataplasma attrahens ex stercore columbino, thapsia, sinapi, quibus vtebantur antiqui & Gal. etiam in calida ad periculum euitandũ ex fluxione, quod damnat Tral. in calida valere tantũ in frigida. An tutius est cataplasma Aet. ex cochleis, contusa earum carnẽ cum thure & aceto ad futuras: nam extrahit ex alto sine vehemẽti caliditate, & magnas fluxiones sistit, præcipue ad oculos. Si noxa ex calefacientib. licet alternatim corrigere refrigerantibus. Cucurbitulæ in vertice ad quẽcunq; fluxum. Paul. ad diuturnas fluxiones thoracis oculorum ex supernis inurit in vertice vsq; ad os, quod & radit, vt vlcus diutius perseueret. Laudat & Tral. inustionem in frigido affectu, hodie sine discrimine confugiunt ad hoc remedium, inustione facta ad futuram coronalẽ, quę si perueniat ad membranã plerunq; inflammationẽ parit phrenitim, conuulsionẽ. Ne igitur trausuras, non ferro inurendũ sed funiculo accenso, vt in locis neruosis præcipit Hipp. vbi os radendũ cauere oportet futuras. In occipite ad fluxiones tendẽtes ad oculos. Derivatio ad partes proquinquas in diuturna fluxione, nã sensim facit. Ad nares cum per palatum. Ad nares & palatũ cũ fluxio ad spinam quies paratur quiete corporis & somno nullis irritantibus. Incrassantia in tenui & calida distillatione. Siccantia & modice calefacientia in frigida. Astringẽtia in vtraq;, nam faciunt ad robur & viarum laxitatem, nunc intus, nunc ad palatum, nares, nunc in sincipite. In calidis sy. violatus, de papaueris, diacodion, sy. iumbinus psyllii mucillago, aqua lactucę, violarũ, portulacæ, nenupharis, balneũ tepidum, saccharum rosaceum cum bolo armeno, opiata vesperi post cœnã, trochisci diaspermat. Gal. scrupulo vno in frequenti vsu ad catarros erodẽtes. Philonium Roman. ciceris magnitudine. pil. de ynoglossa scrupulus semis. Semen papaueris in cibis, oleum violatũ, de semine cucurbitæ, populeon in nate., victus frigidus & humidus, prisana, halica, lac. Haustus aquæ frigidæ in periculo suffocationis. Ad frigidam saccha-

2. Morb. 4. Meth. 6. 5. Meth 13. De int. aff.

1. Ali. fa. 31

rum roſaceum cum thure, aut maſtiche, Sy. myrrhinus, de roſis ſiccis, decoctio nucum cupreſſi, gummi iuniperi, quæ ſandaraca arabum, macis gariophylli, lignum aloes, cinnæ decoctum, aut guaiaci ſine cortice, theriaca noua inter opiata, ſuffumigia nigellæ torrefactæ ex aceto.

Gummi iuniperi, thuris, gargariſmi aſtringētes ex thure, lentiſco, myrthillis. Victus ſiccior parcus ex aſſis carnibus, mulſa, non vinū, Raſ. Non iacear ſupinus. Hippoc. curatio ad capitis repletionem, ſi aqua non exierit per aures, vel nares, aut per vrinam, aut poſt has excretiones morbus reuertatur, iterum purgat, & lacte reficit, poſtea octo cruſtas capiti inurit. Duas circa aures, duas in occipitio hinc atque hinc, duas in naſo circa angulos, duas ad venas circa aures, donec pulſare deſinant, nullas in vertice, quia non eſt locus decliuis ad effluxum. Verum vbi os perforandum ſit vſq; ad cerebrum in hydrocephalo, perforat circa verticem, quia os ea parte tenuius eſt.

CAP. XLII.

Oculorum Conſtitutio.

OCulorum conſtitutio propter officii præſtantiam cunctis admirabilior videtur: nulla n. pars apparatum adeo exquiſitū nacta eſt, nulla nobis charior pupilla eſt, ideo diligentius præ cunctis tractanda eſt. Includitur in centro pila quædam criſtallina puriſſimæ perſpicuitatis ad ſpecies externas viſibiles ſuſcipiendas. Huic ſubſternitur humor alius aquæ perſpicuus vitreus appellatus, vt ſpecies receptas interius communicet mēbranæ ſpiritum viſiuum continenti. Supra eundem tertius humor ſimili modo perſpicuus continetur, albugineus, ſeu aqueus appellatus, vt per hunc medium criſtallinus ſpecies externas recipiat. Includuntur humores prædicti membranis, quarum prima vitreum amplectitur amphiſuliſtoides vocata ad ſimilitudinem retis, contexta ex arteriolis minutis per neruum viſorium deſcen-

descendentibus è cerebro, ad species visuas in spiritu sine materia suscipiendas, quæ visio ipsa est. Altera membrana hanc tegit simul, & oculum totum relicto paruo foramine anterius, vt lumen externum cum speciebus per illud, tanquam per feneſtram, ingrediatur. Vuea hæc vocatur variis coloribus exornata, partim ad splendorem augendum, partim ad colligendam virtutem visuam, exoritur hæc a tenui membrana visorium neruũ tegente extenui cerebri meninge. Supra hanc tertia mẽbrana extenditur vniuersum oculum amplectens, dura appellata, ortum ducẽs ex dura cerebri meninge, omnes neruos vestiente, sed anterius è regione foraminis vueæ perspicua est ad similitudinẽ cornu pellucidi, ideo cornea vocatur, ad intromittendas species externas. Intra corneam vuea cum foramine abscedit à dura, spacium relinquens, quod ab humore aqueo repletur, circulo descripto, qui iris vocatur & corona, vbi vueæ color apparet. In eius medio foramen vueæ conspicitur nigri coloris ob profunditatem. Pupilla hæc vocatur, quæ dilatatur & constringitur ad luminis receptionem quantũ oportunum sit. Quarta membrana extima ex pericranio exorta vsque ad corneam eam oculi partem tegit, quæ alba est, & musculos oculum mouentes, adnata seu coniunctiua appellata. Præter membranas oculum tegentes duæ aliæ pro septo intus positæ sunt. Vna inter vitreum & albugineum exoriens ex vuea, circulo terminatur ad cristallinum, ciliaris vocata. Altera cristallinum ab albugineo dirimit tenuissima & translucida, arachnoides appellata, vt internum oculi spacium veluti duobus talamis distinguatur, in interno vitreus, in externo albugineus. Cristallinæ pilæ dimidium in interno, alterum in externo. Totus oculus veluti bulbus à palpebris clauditur. Caruncula quædã in angulis spongiosa lachrimas recipit & effundit extra, aliquando in nares per orificium illis adiunctum.

Nerui visorii omniũ crassissimi in grandioribus ani-

malibus meatu peruii, non ad spiritus transmittendos vt putauit Gal. Sed ad humores ex medulla cerebri pro nutrimento humorum in oculo existentium. Intersecant se crucis modo, quod & in cæteris neruis fieri probauimus, quamuis ob tenuitatem non appareant. Insomnio Gal. non credendum est, vt duo eoni visionis vnus iudicaretur, nam in cæteris sensibus alia ratio est.

CAP. XLIII.

Oculorum morbi, & de Ophthalmia.

MOrbi visum lædentes alii ob perspicui perturbationem contingunt, vt Opacitas, calor alienus, nam impediunt receptionem specierum. Sunt qualitates mutatæ aut ab intemperie, aut ab humore alieno. Si id contingat in crystallino glaucoma vocatur, est immodica eius concretio ob siccitatem, vnde color glaucus, cæcitatē præ omnibus facit. Si in aqueo, suffusio vocatur, vulgo catarracta opacum corpus. Si in cornea, albugo cicatrix est alba non diaphana. In omnibus color alienus, ex icteritia flauus, vnde omnia flaua videntur. Alii ob defectum spirituum animalium, vt contingit in obstructionibus neruorū, absciſſionibus, vertigine, animi deliquio. Alii ob defectum humoris aquei vt in perforatione oculi, aut senio, ad quem sequitur pupillæ constrictio, & corneæ corrugatio Alii ob repletionem distendentē vueam, vnde pupillæ dilatatio, ruptio corneæ, egressio vueæ.

Adnatæ inflammatio, quæ ophthalmia dicitur. Lachrymarum fluxus. Præterea angulorum & palpebrarū morbi, nec non & musculorum oculos mouentium. Nos de præcipuis agemus.

Ophthalmia. Lippitudo, est oculorum inflammatio, scil. membranæ adnatæ, quæ corneæ adhæret, pericranei, vnde communicatur circumstantibus. Aet. esse superficialem inflammationē, differre à perturbatione ex fumo, puluere, ardore, à chemosi, in qua ob magnam inflāmationem inuertitur palpebra, vt vix oculus contegatur,

tunica

tunica adnata in tumorem elata sanguine multo repleta, vt oculi nigrum in fouea videatur. Pau. à sugillatione, ob ictum extra venato sanguine. Lippitudines humidæ à sanguine & pituita. Siccæ à flaua bile. Ab atra carcinoma in cornea. Pau. carbũculus vel in bulbo, vel in palpebra. A flatu, inflatio Aet. Ab aquea fluxione tumor in palpebris. Causa efficiens, fluxio aut à capite, aut venis & arteriis externis, vt plurimũ ob intemperiẽ capitis frigidã vel humidam rarius ob calidã & siccam. Lippitudinis siccæ causa, aquilonia constitutio ob frigiditatem exprimentem. Humidæ causa, caliditas fundens, in æstate, austrina constitutione, ab aliquo in oculos illapso irritante, pungente, vrente, ob sensum acutum, & mollitiem. *3. Aph. 12.* *13. Met. 22.* *3. Aph. 12.* *14* *3. Aph. 11.*

Signa, sensui manifesta, ob id non explicat Gal. à sanguine dolor tensiuus, tumor cum multo rubore adnatæ, vel palpebræ. Lachrymæ multæ & calidæ. A flaua bile, ardor, punctio vehemens, harenosa siccitas aut acris lachryma. Ab humore salso, lachrymæ multæ erodentes. *4. lo. aff. 2.*

A pituita, tumor mollis & laxus palpebrarum, decolor, sine dolore lachrymæ multæ. Ab atra bile, aliquando tumor durus, non dolens, aliquando cruciatus vehemens pertingens ad tempora. Pau. à flatu dolores oculorum vehementes cum tensione pauco rubore & paucis lachrymis. Si per arterias pulsatilis.

Prognostica. Alui profluuio corripi bonum. Si pustula oboriatur periculum cæcitatis, aut ob erosionem tunicæ, vnde egreditur humor aqueus, aliquando ipsa vuea ad similitudinem acini vueæ, aut ob cicatricem. *6. Aph. 17.*

CAPVT XLIV.

Curatio Ophthalmiæ.

AD dolores oculorum varia remedia ponuntur ab Hippoc. Meri potio, aut Balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut medicamentum epotum. *6. Aph. 31.*

Ad magnas inflãmationes ex sanguine, venæ sectio ex humeraria, cũ larga incisione Aet. vt cito animi deliquiũ *De cu. pers. 17.*

sequatur. Ex eodem latere bis eadem die. Raſ. ex brachio vel manu oppoſiti lateris. Vt in Pleuritide incipit ab oppoſito, quando adeſt multitudo cum virium imbecillitate, ne ſi ex eodem latere parce, trahatur materia ad partē affectam.

Ad reliquos humores in toto corpore medicamenta purgantia, præcipue quibus aluus perpetue eſt ſuppreſſa, vnde aggregatio. Aet. initio ex aloe cum ſucco braſſic. catapotiis. Nos caſſia cum ſpeciebus hieræ, manna, ſyrup. roſato ſolutiuo. Poſtea efficacioribus, ſcammonium cum hiera ad bilem. Aet. Raſ. Mirabolanos citrinos cum manna, & ſucco fructuum. Nos rhabarbarum, electuariū roſatum, pil. ſine quibus.

Ad pituitam. Aet. Euphorbiū cum pipere & ſale hammoniaco præparatum. Nos diaphœnicon, agaricum, pil. aureæ, pil. lucis.

Ad atram bilem epithymum ſcrupuli ſex cum hiera & ſcammonio. Nos confectionem Hamech, Senam, polypodium. Ad paruas affectiones. Balneum, Meri potio, fomentum. Balneum reſpicit humores à toto corpore fluentes euacuando, & acres contemperando. Conuenire concocta iam phlegmone. Galenus vſus eſt ad acres humores. Aetius ad pituitoſam mollem & laxam, in ſimili ætate & frigidis naturis extollit balneum. An de naturaliter calido intelligendum eſt, ad digerendum? Meri potio ad impactos humores craſſos, vbi non exiſtat plenitudo. Galenus vſus eſt in corpore ſqualido, ſed venis oculorum ſanguine craſſo plenis, in egreſſu balnei, ex potu meraciori in profundum ſomnū incidit, ſurrexit ſanus. Nam diſcutit, & motus vehementia obſtructiones aperit. Aet. in corpore frigido & ſicco. Caueri quibus caput tentatur, An aqua ardens efficacior, & minus replet? Fomentum ſecuriſſimum remedium ad humores impactos digerendos, ſanat præcipue vbi humores tenues, ſi alii non amplius fluant, reliquos diminuit. Si autem ex fomento dolor augeatur, ſignum eſt egere euacuatione

3. Meth. 21.

6. Aph. 31.

vel

vel per venæ sectionem, vel purgationem, vel balneo. Fomentū fit ex aqua calida cum spongia, multum expressa in pituitosa, humidiore in biliosa. Ex decocto melioti, fœnugræci semel in die aut bis aut sæpius, si vehemens dolor. *4. Catat. 2. 12. Meth. 8* Fomentū siccum ex milio ad flatus. Localia post euacuationes, & reuulsiones, per cucurbitulas, fricationes, vincula. Ad aeres humores, quæ morsum prohibent & repellunt. Collyria asperitatem lenientia, exemplastica liquidis vel siccis. Albumē oui intra oculum instillatum maxime anodynū in valde sentiente ob lentorem adhærentem sine morsu, ideo reliqua medicamēta eo excipiuntur. Lac mulieris iuuēculæ ac boni succi lenit dolores. Aet. dānat, quia facile corrumpitur, vnde morsus fit. Oleum inimicissimum oculis. Repellentia non valida ne exasperent, & ne intus occludatur materia erodens aut distendens Aqua rosacea rubi cū albumine vel lacte, sief albū Ras. cū lacte, obstruit & obstupefacit, si opium recipiat. Gal. damnat obstupefactiōtia in oculo, nam imbecillia non reprimūt fluxiones sed inculcāt, valida pattem induratam relinquunt, & obtenebratam. *4. Catat. 2 6. Aph 31.*

Contentus est solo albumine, fomento, & balneo, repellentia valida fronti & temporibus conueniunt ex astringentibus, bolo armeno, sanguine draconis cum aceto, si fluxio per venas externas fit, si pulsauerint nimiū medicamentum imponendum valde constrictiuum, ex galla, hypocistide, aut arteria filo apprehensa præcidēda est. Ad humorem distendentem prius venæ sectio & purgatio & reuulsiones efficaciores, postea fomenta ex aqua dulci modice calida in decocto melioto & fœnugræco. Non repellentia, sed relaxantia & euocantia Instillādū in oculum fœnugræci decoctū, nam præ cæteris digerit sine noxa, sed curiose prius lauandū fœnugræcū à puluere mordente. Aet. curiose decoquit rectis duob. decoctis, vt auferatur amaritudo, tandem decoquit ad mellis crassitiē, infundit in oculis exulceratis ad abstergendū sine morsu, relaxato rumore & dolore sedato ō- *13. Meth.*

ueniũt adstringẽtia ad robur, admixtis digerentib. & concoquẽtib. Colliria varia ex croco, myrrha, lycio, castorio, thure; squama æris, ære vsto, acacia, cum albumine. Paul. oleum per se ex aqua & albumine vel addito croco, gũmi. Hodie tutiam præparatam, æruginis modicum, saccharum cum aqua chelidonii, euphragiæ, fœniculi, vel rosatæ, rubi, vino maluatico, incocta ruta, verbena. Cataplasma Paul ex carne palmarum, meliloto, croco, pane, capitibus papaueris, roscaceo, sapa, luteis ouorum tostis, exterius applicandum. Mitius ex mali appii vel rosei pulpa sub cineribus cocti, cum saccharo & aqua rosacea, liberat ab inflammatione contusiones oculorum. Illinitio palpebrarum ex collicio nardino. Galen. Hodie butyro excipiunt medicamenta digerentia vel astringentia, nam prohibet cohærere palpebras à sordibus siccatis. Idem præstat pinguedo porcina sine sale per se illita. Ad diuturnas lippitudines, dimissis oculis capiti prospicere, aut vasis externis. Paul. cucurbitulam in occipite cũ scarificatione vel hirudines. Hodie cauterium in occipite, brachio eiusdem lateris.

Contingit oriri pustulã in oculo, in variolis & morbillis, præseruandi oculi repellentibus, extincto auro in aqua rosacea, vt sæpe instilletur in oculum cum albumine oui. Si pustula exorta sit, dolorem ingentem parit, præcipue si ex pustula carbunculus fiat. Sedandus dolor ex albumine & lacte adiectis concoctoriis, croco, myrrha, thure optime leuigatis super lapidem porphyrium cũ eodem liquore eadem die, ne acescat. Si vrgeat vehemẽtia doloris adiecto succo mandragoræ, polygoni, rosarum, Sicfalbum cum lacte, tutia præparata. Si ex his nõ sedetur pulsatio in oculo, suppuratur, vnde magna erosio succedit, & humoris albuginei effusio, & tandem vueæ egressio. Ad pustulam carbunculosam herbæ prunellæ succus cũ lacte instillatus, & cataplasma ex eadem herba tusa, adiecta farina triticea, & butyro, super oculum. Cum sanies eruperit Actius fœnugræci succo vtitur vel solo, vel adiecto melle,

melle, quibus teruntur metallica, tutia, antimonium plumbum vstum, squama æris. Raſ. addit opium, excipit tragacantha & gummi Arabico ſolutis, hæmatite, antimonio, acacia, aloe.

Prohibendus vueæ egreſſus Raſi pila ſuperpoſita, infuſis interim medicamentis.

Sanato vlcere remanent veſtigia cicatricis, quæ vbi è regione foraminis vueæ fuerint, viſum impediunt, albugo vocatur. In pueris deleri facile poſſunt, in adultis nequaquam, niſi albugines fuerint valde tenues delet nitrũ cum oleo veteri tritum & illitum. Sepiæ teſta trita cum melle ſubacta & vſta, ac leuigata illita. Hodie ſiccum ex ea collyrium efficiunt cum ſaccharo cando leuigata. Cornu cerui aut caprarum vſtum, extergent ſine morſu. Raſ. prius emollit vapore aquæ calidæ, deinde ſi oculi non rubuerint, indit collyrium ſiccum, quod etiam ex brutorum oculis maculas delet. Victus, dum viget inflammatio, tenuis, abſtinentia carnium & vini. Vbi acris diſtillatio, frigidus & humidus, ſomnus. Non iaceat ſuper oculum ægrum, nec teneat depreſſum. Fugiat lucem. Iuuat inſpectio coloris fuſci & cœrulei, & viridis.

4. Cat. vlt.

4. Cat. 4.

10. Vſ. pa. 3.

CAP. XLV.

De Suffuſione.

SVffuſio Græce hypochima, Raſ. Aqua in oculum deſcendens, vulgo cataratta; eſt collectio humoris præter naturam inter cryſtallinũ & tunicã corneam viſionẽ impediens. Vitium inſtrumẽti inter abſceſſus toto genere præter naturam. Differt ab Hypopio, id eſt pure in oculo. Nam pus præ grauitate deſcendit in concuſſione capitis, ſuffuſio ob leuitatem non manet inferius, niſi cõpingatur, ſimilis nebulæ, oritur aliquando à ſeroſo humore, temporis diuturnitate fit veluti limus. Paul. Glaucoma & hypochima vnum quoddam mali genus apud veteres. Poſteriores glaucoma humoris cryſtallini colorẽ glaucũ incurabilem. Aet. Glaucoma duobus modis dicitur, proprie

10. Vſ. pa. 1.

14. Met. 18.

prie mutatio cryſtallini humoris ad Glaucum, ſiccitas & concretio, quæ incipiens ſanari poteſt. Altera oritur ex prægreſſa ſuffuſione, humore iuxta pupillam vehementiſſime congelato ac reſiccato, incurabilis, vulgo Magla dicitur. Differentiæ quædam viſum deprauant tantum, vt appareant culices aut muſcæ ante oculos, aut pili, aut telæ araneæ. Corpuſcula non continua. Aliquando corpus vnum vel totam pupillam occupat, viſum tollit in totum, vel partem, vnde pars tantum videtur, vt aliquando Idolū ante oculos videatur pro eius figura. Differunt præterea loco, vel extra vueam, ſcilicet prope corneam, vel intra, vel in ipſo foramine vueæ omnes in humore aqueo. Vtrum in humore vitreo? Poſſibile quidem eſt poſt cryſtallinum colligi ſimilem humorem, à quo impediatur viſus, vt ante cryſtallinum. Eam recentiores appellāt guttam ſerenam, quando ſcilicet tollitur viſus aut depraūatur, nullo apparente obſtaculo in oculo, non enim exteriùs intuenti apparent, quæ intra cryſtallinum colligūtur. Quædam imaginationes tantum ſunt iis ſimiles, qui ſuffuſionem patiuntur, per conſenſum ob vapores ab ore ventriculi, aut à cerebro, vt in phrenitide ob fuliginem bilis. Non colligi in oculo, patet ex ſignis, ſatis eſt in cerebro colligi, aut neruis, & ſpiritus animales afficere, non autem eſt neceſſe ea, quæ in imaginatione ſunt, ad ſenſoria peruenire, licet videantur à ſenſibus percipi in vigilia. Senſus enim internus non differt ab externis, niſi quod externi non mouentur niſi ab obiecto externo. Interni autem abſque obiecto externo moueri poſſunt. Anima enim percipit ea, quæ intus ſunt non per ſenſoria, ſed virtute imaginatiuæ, quæ eadem eſt cum ſenſu interno. Dicitur enim ſenſus præſente ſenſibili, imaginatio eo abſente.

Hinc ſoluuntur multæ dubitationes, quæ in ægrotantibus circa imaginationes contingunt. Signa conſenſus, videri eadem idola vtroque oculo, quod & cæteris contingere poteſt. In pupilla nihil tenebroſum. Inteſtari à

crudi-

cruditatibus. Tolli medicamento ex hiera, vomitu, inedia. Per essentiam temporis diuturnitas post quartum mensem perdurare, aliquando per annum. Continua, nō simul in vtroque oculo, neque eadem apparentia. Extrinsecus inspiciēti pupilla altera tenebrosior turbidior. Progressis color magis conspicuus aut aeris, aut vitri, albicans, cœruleus, glaucus, qui incurabilis, Aet.

Si visus tollitur sereno oculo apparente, signum est, intra crystallinum vitium esse, aut in vitreo humore, aut membrana spiritum visorium continente, aut in neruis opticis. Prognostica. Recens curari potest digerentibus, confirmata nequaquam. Quibus pupilla non dilatatur altero oculo clauso, hi nunquam visum recipiunt: nam significat, spiritum visorium non ferri ad oculum. 14. Met. 19.

Curatio ad incipientem suffusionem. Si per consensum à ventriculo. Euacuatio per hieram pi. & cibis boni succi. Nos pil. Cocchias. Si per essentiam, initio venæ sectio ex cubito Paul. Aet. Postea purgantibus medicamentis, & acribus clysteribus, cucurbitula in occipite cum scarificatione. Celsus in fronte vel naribus. Auic p staures. Rasprohibet in cubitu, & omnino sanguinis extractionē per cucurbitulas, vt solebant in collo, quia affectus est frigidus ex aqua descendente in oculum. Solis purgationibus vtitur sæpius repetitis, & victu exsiccante & calefaciente, potu hydromelitis. Recentiores deriuant ad occiput, Cauterio, aut ad brachia, ad os apophlegmatismi, non ad nares ob propinquitatem oculorum. Ideo nec Celsi curatio tuta est per sanguinis extractionem ex locis propinquis. Corporis exsiccatio commoda est per guaiacum. Euphragia in vino & ferculis. In oculis digerentia liquida pharmaca ex succo fœniculi felle, & melle Attico. Varia genera fellis, hyenæ, capræ, galli, viperæ, testudinis marinæ, callionymi, scari. Callionymus piscis alias Vranoscopos vocatur, quia cœlum respicit. Alii stacte myrrh. & balsamo vtuntur. Ad incipientes suffusiones vel ipsum cum aqua illitum. Populi nigræ liquor cum duplo 1. Sy. ca. 2. 4. Io. af. 2. 4. Cata. 4.

duplo mellis Attici. Recentiores aquam ex melle distillatam & suffumigia diuersa adhibent, cochlearum caro contrita & leuigata siccataq; in furno, & in puluerem redacta cũ pari portione saccari candi extrahit ex alto suffusiones, & albugines delet, abscedit crusta. Gallitrici semen integrum oculis iniectum caliginem contrahit, intumescit, & sponte exit, sine perturbatione. Plinius de Alectorolopho.

Ad inueteratas, cum extrahi nequeant, sola indicatio relinquitur translatio in inferiorem locum. Si pus fuerit, sponte labitur, concussione capitis. Si humor fuerit mediocriter densatus, maturam cataractam vocãt Medici oculares, compungunt corneam, & acu deprimunt, sed sæpius iterum attollitur, compungunt etiam ad pus educendum & humorem serosum, sed non multo post inibi colligitur veluti limus, pũctio parum supra circulum, in quo coniunguntur omnes tunicæ. Experimento discunt maturitatem, vt deprimi possit.

Compresso oculo ægro, sano autem clauso, si humor consistit, nec dilatatur, nimium concretus est, ideo inutilis cõpunctio, si diffluit, & statim coit, adhuc immatura est. Si dilatatur quidem, at non diffluit, matura est, vt compunctioni & depressioni sit oportuna.

CAP. XLVI.

De Pupillæ dilatatione.

PVpillæ dilatatio græce mydriasis Paul Aet. seu ab ortu, seu postea superuenerit, visum debilitat. Constrictio ab ortu aciem acutiorem reddit, sed post superueniens magis impedit visum quã dilatatio. Distortio vel fractio nihil aut parum offendunt. Læsio ex dilatatione est dispersio spiritus visui, offenditur à multo lumine, melius in vmbra vident, visus breuis ob diffusionem spiritus Ae. Decipiuntur circa magnitudinem, nam videtur minora. Videretur oppositum, quia sub maiori angulo. Multæ responsiones probabiles apud recentiores.

Arist.

Arist. Cur luscioſi literas minutas ſcribunt? quia ob viſus imbecillitatem coguntur palpebras contrahere in anguſtum, vnde angulus fit exiguus. Quaſi apertis palpebris maiora videantur ſub maiori angulo. An contingit dilatata pupilla conſtringi vueam ad ſeptum, id eſt, ciliarē, vnde cryſtallini pars tegatur, quo fit vt minores imagines repræſententur, vt in minori ſpeculo, non pro meſura pupillę, quia alia eſt in lumine, alia in vmbra, conus tamē idem. Læſio ex conſtructione pupil. nulla, ſi ab ortu, ſed viſus perſpicacior, quia ſpiritus melius conſeruātur, cū non diſpergātur à multo lumine. Huius gratia vueæ colores ad nigrum tendentes magis conferunt ad viſum. 31. Prob. 8. & 15.

Quæ ſuperuenit lædit non ob anguſtiam, ſed propter alia vitia, ſiccitatem, defectū humoris aquei. Ex anguſtia viſus protenditur longius, valde propinqua nō vident, quia conus per anguſtū non protenditur ad cryſtallinū. Ideo ſenes melius vident paulo diſtantiora. Sed ratio non procedit in iis, quæ minora ſunt pupilla, hæc n. non per conum ſed per coni perpendicularem videntur.

Arabes & Pau. & Aet apparere iis maiora. An quia anguſtata pupilla ſeptum contrahitur ad vueā, vnde maior cryſtallini pars detegitur, ideo maiores imagines tanquā in maiori ſpeculo repræſentantur. Omnes tamen proportionales baſi externæ, vt latera laterib. vnde nō aberrant in magnitud ne, niſi oculus præter naturam cōſtituatur, vt præter conſuetudinem mutentur imagines. Cauſa dilatationis eſt vueæ repletio aut à ſpiritu, aut ab humorib. collectis intra vueam. A ſpiritu viſiuo ſecundū naturam, vt patet, ſi vnus oculus claudatur, dilatatur alterius pupilla, quibus non dilatatur, ſignum eſt in ſuffuſis non ferri ſpiritum viſiuum ad oculum. Conſtringitur autem in lumine ſecundum naturam, dilatatur in vmbra, vt certā luminis quantitas recipiatur; quæ ſpiritum viſiuum non offendat, & ſpecierū ingreſſum nō prohibeat. Cōſtrictionis cauſa eſt inanitio, vnde in ſenib. fit corneę corrugatio.

Ad

Ad exsiccationem sequitur Diaphani obscuritas, glaucedo, ideo egent maiori lumine, vt densum diaphanum penetrare possit. A rugositate deprauatur visio, quia imagines distortæ apparent ob inæqualitatem superficiei variæ refractæ, vt imagines in aqua vndosa. Ad egressum humoris albuginei vuea concidit in crystallinum angustissimo foramine, vt neque locus sit, vbi conus fiat, neq; si fierer, perueniret ad crystallinum ob angustiam. Signa dilatationis & constrictionis pupillæ patent sensui. Repletionis in cauitate, tumor totius oculi. In sola vuea, sola dilatatio, res minores apparent. Constrictionis ex siccitate, quam phtisim oculi vocat Paul. Oculus æqualis alteri, res maiores apparent ex inanitione aquei. Rugæ in cornea, paruitas oculi. Si ob atrophiam, paulatim oculus redditur minor. Prognostica. Dilatatio magna incurabilis, præsertim si ex vehemēti Cephalea ortum duxit, Ras. Nam vbi distenta fuerit, & indurata, cōtrahi nequit. Aet. Si ex percussione, sanari facile potest. Constrictio superueniens deterior est dilatatione. Si ex effusione aquei, reparari nequit nisi in puero, ex siccitate difficile reparatur. Curatio ad repletionem inanitio prius à toto Paul. Aet. Venæ sectio in cubito, purgatio. Sin, venas in angulis oculorū diuidere, deinde cucurbitula in occipite. Reuellere ad inferiora clysteribus frictione, deambulatio in locis vmbrosis. Oculis astringentia & digerentia, ex aqua marina ad frontem & totam faciem, muria, posca, hyeme tepida, æstate frigida. Non vehementer astringere, neq; siccare, ne induretur membrana. Ras. adhibet Sief de fellib. abstinendum à vino. Ad inanitionem repletio. Victu boni succi, sorbitionibus, vinum fuluum & odorum. Somnus post cibum, balneum, capitis & faciei confricatio, vt trahatur alimentum. Oculi quoque fricentur summis digitis. Ablutio capitis ex aqua calida, inunctio ex irino, Collirium attrahēs humiditatem ad oculum; ex ammoniaco, crocomagmatæ croco, Ærugine ex aqua. Ad atrophiam. Spongia ex aqua calida expressa ad oculos adhibeatur,

beatur, lac tepidum instilletur, abstineat à colliriis. Exercitatio superiorum partium, humerorum & manuum, detentio spiritus. Pau. Aet.

CAP. XLVII.

De fluxu lachrymarum.

IMmodicus lachrymarum fluxus. Græce Rheas Aet. Rhyas Trall. Epiphora Gal. Celsus tenuis pituitæ cursus molestat palpebras asperitate, pruritu, aliquando visum. Causa materialis, serosa humiditas secundæ vel tertiæ coctionis, vt sudor. Efficiens affectus oculorum, aut aliarum partium mittentium. Oculorum lippitudo, asperitas, vlcus. Carunculæ defectus in angulo maiori. Aet. Nam lachrymam alibente m continere non potest, sed in malas defluit, sæpe ob chyrurgi errorem auferentis oculi vnguem. Ægylops fistula lachrymalis à recentioribus vocatur. Est paruum tuberculum absceſſui simile interna si os, & magnum oculi angulum, qua parte vtplurimum rumpitur, vnde sanies in oculum, & in processu lachryma. *4. Cata. 7.* *4. Aph. 32.* *5. Cata. 2.*

Antequam rumpatur anchilops vocatur à Paulo. Suppeditatur materia, aut à cerebro, aut ab aliis partibus mittentibus. Sæpius ob animi affectus, præcipue in mœrore, per expressionem, exeunt, lachrymæ exiguis meatibus in finibus palpebrarum angulo interno magis. Voluntarias has vocat Hipp. Quæ ex vitio corporis inuoluntarias. Damnat enim lachrymas inuoluntarias in omni febre acuta aliquando crysim expectandam per sanguinis fluxum è naribus, aut mortem, quamuis Galen. aliter accipere videatur, non malas esse quæ ex vitio oculorum. At oppositum colligitur in prognosticis. Signa affectionis oculorum patent sensui. Ex cerebro, seu vasis internis, dolor profundus, sternutatio Paul. Ex vasis externis, venarum amplitudo. Pulsus in fronte, aut circa tempora. Aet. Caliditatis signa, lachryma acris, exulcerans, pruritum faciens, hæ facilius concrescunt, & sordes siccas in *1. Pro. 30.* *2. in 1. Ep. 80.* *4. Aph 52*

palpebris faciunt, oriuntur magis ex tertia coctione, frigidæ liquidiores permanent vt vrina & sudor, in secũda coctione magis. Prognostica. In febrib. acutis, omnes involuntariæ malæ. Laryma inarescens mala. Nã vstionem significat. Quæ ex carunculæ defectu in angulo, incurabilis est ægilops ægre curatur, nisi cito succurratur. Quæ ex internis vasis, ægre curatur; at vt plurimum ex externis, quia palpebræ extra oculum positæ sunt. Curatio: materiæ euacuatio per alias partes: ne oculum labefactent, reuellendo & deriuando: concoctio vt in distillatione. Ad causas oculorum recipientium affectus irritantes tollere. Cerebri mandantis intemperiem corrigere, vasorum laxitatem astringere. Euacuatio à toto, si plenitudo adsit, per venæ sectionem, per medicamẽta purgantia deorsum, non per superiora. Si à cerebro, apophlegmatismis, non enrhinis. Si à partibus externis capitis, scarificatio occipitis, attractio ad verticem non vehementer calidis, ne intemperiem calidam cerebri lædant, vnde augetur colliquatio, & lachrymarum copia. Sed iis quæ simul corroborent, & vasa constringant, vt est cataplasma Aet. ex cochleis explicatum in catarrho. Deriuant cauteria in occipite, ad brachia, cucurbitulæ, & frictiones ad dorsum. Auic. & Mes. cauterium in vertice laudant. Melius Hipp non in vertice, sed octo crustis in loco decliui. Varia chirurgia apud Pau. & Aet. cels. ex græcis & Affricanis, hanc inter cæteras affert. In vertice vbi lineæ ex vtraque media aure & ex naso concurrunt, scalpello quidam inciderunt, & post fuso sanguine osi bidem adusserunt. At non probanda hæc curatio, quia locus incidit in futura sagittali, quam neque scalpello, neq; igne tangere tutum est. Paulus inustionem capitis nunc in superficie tantum laudat, non per ferrum, sed per medullam lignorum: aut lino, nunc profundam per ferrum, vt os aduratur, & squama separetur. Aet. tamen periculosam esse profundam asserit, quia inflammat, & nutrimentum adfert oculis, & reddit incurabiles. Requiritur

titur hæc cirurchia, cum ex profundo cerebri materia euacuanda est. At lachrymæ ex externis potius erumpũt concoctio molienda est per ineraſſantia & modice ſiccãtia Aet. victu optimi ſucci, aquæ potu, parco cibo, exercitiis, deambulationib. Frictione capitis, acraſura, & frigidæ perfuſione. Oculi ſublinendi ex medicamẽtis meatus obſtruentibus, & frigefacientibus. Succus plantaginis ad ſolem addenſatus, & ſiccatus in puluerẽ pro collyrio, iycium, glaucium, crocum. Poſtea abluantur oculi ex aqua frigida, & poſca, aut roſacea, rubi ſuccus foliorũ oleæ Sy. cum vino extractus, & ſiccatus in collyrium eorundem decoctum ad ablutiones. Illinitiones capitis & cataplaſmata glutinatoria ad externa vaſa, non ſi vitium in internis eſt, neque vbi inflammatio: nam dolorẽ augent. Concoquentia, crocum, myrrha, thus, trita ex aqua polygonum, & maſtichæ, cataplaſma ex nuo farina & thure. In calida materia victus refrigeratus, in frigida calefaciens & ſiccans. Decoctum ligni guaiaci, cinnæ, in potu & perfuſione capitis. Ad pruritum palpebrarum & aſperitatem Gal. extollit lapidem phrygium vſtum, nã defendit oculos, ſiccum collyrium, palpebris inſpergens Ad exeſam caruncula Trall. puluis aloes lotæ ſæpius in vino, aſperſus. Ad ægylopas, digerere efficacioribus, ſed ſine morſu, ne oculi inflammentur, quod difficile. Ad recentes Aet. in initio vtitur repellentib. ex collyrio Antonino, & aliis ob ſtupefacientib. Poſtea tranſit ad concoquẽtia ex neruo cum melle, ſuccus auenæ herbæ cum melle, thus cum ſtercore columbino, hammoniacum, concoctus cito perforandus. Aet. angulum ſcindit, poſtea lenticulam coctam, aut malicorium imponit Gal. ex Archigene, diuiſo angulo, & foraminibus continuis pertuſo, capitale emplaſtrum adhibet. Sic enim ſquamæ diſcedẽt, aut oſſe denudato cauterium adhibet. Alii guttam liquefacti plumbi per tenue infundibulum inſtillant, qua parte oſſis perforatio eſt in nares, nam inde profluent lachrymæ.

4. Catatey.

CAP. XLVIII.

Aurium Constitutio, morbi, & de dolore.

AVris cauernulã continet in osse petroso flexuosim peruiam vsq; ad membranam duram, qui meatus est auditorius. Extrinsecus dilatatur in auriculam chartilagineam ad soni collectionem, quam surdastri adiu-
6. Meth. vl. uant vola manus. Intrinsecus septum membranosum ex dura membrana & neruo constans quinti paris cerebri. Includi aerem implantatũ Arist. tradit 2. de An. 83. Duo
De ner. dif. 6. & 11. vs. Pa. 12. officula sub membrana, vnum incudi simile, alterũ malleo. Vesal. ad membranæ tensionem, & repercussionẽ, vt cordæ in tympano. Falopp. Excrementum proprium sordes cæræ similes, cærugo. Læsiones propriæ, surditas, grauitas, grauitas auditus, tinnitus, communes, dolor, intemperies, obstructio, tumor, vlcus, aurium dolor, si ob solam intemperiem, à frigore magis contingit, quia pars membranosa & ossea frigida est. Si ob solutionem continui, præter violentiam externam à quibuscunque humoribus fit, aut flatu, distendendo, grauando, mordendo. Sæpius à flatu ob locum cauernosum. Signa frigidæ intemperiei, dolor alte fixus sine grauitate, tensio-
3. Catag. 1. ne, & ardore. Paul. Ex causis procatarcticis, à frigidis ventis, in peregrinationibus, balneis frigidis. Humorum frigidorum, decoloratio, grauitas, cibi pituitosi, mali succi, crassi & viscosi. Flatus, tensio sine grauitate, frigus externum densando includit. Humorum calidorum, bilis in febrib. acutis cum vigilia, delirio. Sanguis in inflãmationibus, febris, tensio, pulsatio, rubor. Saniosi humores aut serosi, aut pus, dolores mordentes excitant. Patent quoque ex iis, quæ excernuntur. Prognostica.
3. Catag. 1. Ex frigiditate sola, cito curatur. Ex humoribus frigidis,
3. Prog 13. 14. diuturnior, ex flatu medio modo. Ex humoribus calidis aurium dolor acutus cum febre continua ac vehementi difficilis est, nam periculum delirii & mortis. Natu minores die 7. aut cititus intereunt. Natu maiores mul-

multo tardius., quia febris & delirium minus infestant, & aures antea suppurantur, sed recidiuæ plurimos interimunt. Si per aures pus effluat candidum, expectari potest natu minorem cõualiturũ, si aliud bonum signũ apparcat 7. Epid. describitur auris dolor à puertia fluidus, fistulosus, grauis odoris 4. Epid. Athenienſi puero post dolorẽ dentium auris suppurata. Parotides in febre ardente periculosæ 7. Epid. & in coacis prædict. Curatio ad sola frigiditatẽ, sola calfactio. Oleum infusum incocta cepa, allio, ruta, pipere tenuissime trito, euphorbio, pauxillo balsami gutta Paul. auris ferre potest acerrima medicamenta, si non adsit inflammatio. Si ex nimis calidis dolor irritetur, mitigandus ex albumine ouis lacte tepidis, adeps anserinus, abluere oleo. Ad humores frigidos Raſ. purgat pil. cochiis. Gal. infundit in meatum dissecantia & abstergentia, omnia amara, sed ad mitigationem doloris ex oleo. Oleum amygdalarum amaratum, pinguedo anatis, anseris, incocta aristolochia, iride, polio, cinnamomo, carpesio, mitro, radice cucumeris syl. brioniæ, ati, elleborialbi, nigri. Citra mordacitatem, ne dolorẽ exacerbent, quod fiet, si tenuium sint partium & molliter tractando, meatum guttatim explendo, & exhauriendo sine tactu per gossipium. Paul. prædicta medicamenta ex aceto & melle infundit, fel ouillum cũ oleo communi vel amygdalarum, porri & cæpæ succus cum melle. Origanum cum melle & lacte mulieris. Ad flatus Gal. eadem. Paul. priuatim cucurbitulã adhibet circa aurem, cũ prius fomentum adhibuerit ex aqua calida. Saculus ex milio frixo Raſ. furfure, ad inflammationẽ venæ sectio, ad acres humores in febribus purgatio. Instillandũ in aurem rosaceum tepidum, aut oleum de salicibus cum modico aceti, lac mulieris ex mamilla, albumen oui Gal. nardinum. Si vrgeat vehementia doloris, modicum opii cum rosaceo, cum lacte, aut albumine, aut cum sapa & castorio. Deinde concoquentia ex oleo amygdalarum dulcium, pinguedine anatis, gallinacei, o-

3. Catag. 1.

6. Meth. 11.

leum ſeſaminum. Raſ. Gal. collyria ex glaucio, croco, gutatim explendo meatum, & tegendus molli lana. Poſt maturationem ſuccedit ſanies diſrupta puſtula ſponte, tunc infundendum mel roſaceum. Raſ. hydromel. Gal. glaucium ex aceto, aut crocum. Trochiſci ex myrrha, ad fætētes Trochiſci Androninis ex ſapa. Scoria ferri ex aceto acerrimo in ſole leuigata efficaciſſimum remedium ad ſiccanda vlcera manantia multo pure: niſi dolor impediat. Gal. Ad vermes in aurib. enecantia amara, ſuccus abſinthii, centaurii, porri, cedria, vel oleo explere meatum. Nam aut ſponte egrediuntur, aut enecantur. Idem remediū ad pulices illapſos. Victus tenuis, vbi febris, abſtinētia vini. In dolore ex frigidis humorib. Raſis vinum generoſum tribuit, ſed modicum. Ad parotidas non repellentia, ſed relaxantia & digerentia: quia locus eſt non periculoſus, vt meatus auris glandulopſus ad recipiendas cerebri fluxiones, quæ non debent repelli. Si ex magnitudine inflammationis immineat periculum ob cerebri propinquitatem. Minuenda fluxio per venæ ſectionem ex brachio eiuſdem lateris, ex cephalica. Locus fouendus ex oleo amygdalarum dulcium, chamæmelino, cataplaſma ex farina tritici, hordei, ſeminis lini, fenugræci, cum decocto altheæ chamæmeli, quibus aut digeritur, aut ad ſuppurationem vertitur. Vbi calidior eſt fluxio, lana butyro imbuta, archig. plantago cum ſale trita aſſidue impoſita, pro cataplaſmate, rumicis ſyl. radix cocta in vino. Vbi frigidior fluxio, ſiccantia magis. Fouere ex muria, ficus ſiccæ coctæ in murta pro cataplaſmate, aut adiecto abſinthio & vino, aut ruta, marrubio. Si non diſcutitur, tranſeundū ad ſuppurantia, efficacius adiecto fermēto, axungia, quidam addunt oua anſerina. Ad ſuppuratas ſectio: quidam ſine ſectione pus digerunt medicamentis valde ſiccantibus ex farina lupinorum, ſtercore columbino, pice ex lixiuio,

CAP.

CAP. XLIX.

De Tinnitu.

TInnitus est aurium sonitus præter naturam, actio deprauata, molestus, nam parit insomniam. Sētiunt motus internos præcipue arteriarum, pulsus imitantes, aut alios flatus inclusos genitos in capite, aut aliunde delatos, vt in oculis imaginariæ suffusiones ex ore ventriculi. Vult Gal. aliquando fieri ob sensum exquisitum, scil, ob nimiam subtilitatem audiendi, eo argumento, quia tinnitus aliquando sanantur obstupefacientibus. At absurdum videtur, perfectionem sensus lædere actionem. Negare tamen non possumus in sensu tactus idem contingere, maximi n. dolores fiunt, ob sensum exquisitum. 3. *Cata. 1.*

At vero si tinnitum sentientes id patiuntur propter auditum exquisitum, is erit non circa obiecta externa, sed circa interna. Inquit enim Hipp. Eleuantur venæ & pulsant, & dolor per totum caput dispergitur, & aures sonitum percipiunt, ac nihil audiunt. Et sonitum quidem percipiunt, vtpote venis pulsantibus & palpitantibus, tunc enim sonitus est in capite, grauiter autē audiunt partim præ interno strepitu ac sonitu, partim cum cerebrum & venæ circa ipsum eleuantur. Præ nimia enim caliditate vacuam partē circa aurem cerebrum de se implet, atq; ex hoc grauem auditum habent. Non oportet igitur grauem esse auditum circa sonos internos, sed quo exquisitior, eo magis tinnitum percipiet. Inquit enim Aristot. esse signum audiendi vel non audiendi, sonare aurē semper sicut cornu. Semper enim proprio quodā motu mouetur aer, qui in auribus, sed sonus extraneus & nō proprius est. Id est, quamuis ille aer implantatus immobilis per se sit, vt omnes sonos percipiat, motum tamen quendam perpetuum habet, qui nō sonum facit. Sed si prohibeatur foras exire corpore ad meatum apposito, præcipue si concauum fuerit, sonum perpetuum facit, vt cornu, vtpote repercussus ad corpus obiectum, vt Echo, quod si- 1. *Morb.* 2. *An. 84.*

gnum est audiendi, si sonet, non audiendi, si non sonet. Est autem motus ille connaturalis efflatio quædam, quæ non potest sentiri nisi illidat exterius alicui corpori obiecto, aut propriis anfractibus: magis autem sentietur, vbi motus vehementior, & facultas sentiendi acutior. Indicio autem tinnitum sonum esse internum, non externum, quia magis sentitur clausa aure quam aperta, & corpore concauo auri admoto sentitur veluti sonitus maris, & in silentio noctis magis quam interdiu, intestantibus externis. Commouetur autem aer implantatus præcipue à motu arteriarum, aut à vaporibus, vt in vertigine. Aliquando ex inedia, vigiliis, febribus, venere immodica, vt in tabe dorsali tradit Hipp. in crisi. Aliquando ex repletione, vt in crapula, cruditatibus, in hydrocephalo. Aliquando ex plaga, vomitibus. Medicamentis auricularibus calidis. Signa Trall. Ex humoribus crassis obstruentibus, paulatim accedit, & continue affligit grauitas auditus. Ex vaporibus ascendentibus, repente, & per interualla. Galen. inquit. Si non iuuent dissecantia & euacuantia, à nimio sensu fieri. An à caliditate & inanitione? Prognostica. In febribus nunciat sanguinis fluxum è naribus. Si non erūpat sanguis, in melancholiam transit. Curatio. Ad humores crassos, euacuatio Ras. per pil. Cochias sæpius, victu extenuante, absque vino, apophlegmatismi. Gal. Toti capiti & in auribus dissecantia, attenuantia, & discutientia. Oleum amygdalarum amararū cum aceto, oleum ex semine Rhaphani cum melle & aceto. Elleborus niger, albus, castorium. Auris super vaporem aquæ decoctionis sampsuchi, stœchadis, absinthii, mentastri, origani. Ras. Aut fouere spongiis expressis calidis. Ad vapores ascendentes rosaceum cum aceto Archig. Cuminum & oleum crassitudine mellis. In febribus & crisi, nihil agendum. Si perseuerauerit ob flauam bilem fouere decocto absinthii, dein instillare acetum cū rosaceo. Postea fortiora digerentia. Si ea non prosint, signum est à caliditate commoueri flatus. Galen. ob acuitatem

tatem sensus. Opii grana duo cum rosaceo. Aut mandragonæ succus. Paul. Castorium & cicutæ semen tritum cũ aceto instillatum. Nam obstupefacientia sistunt motum. Victus frigidus & humidus. 13. Met. 22.

CAP. L.

De Surditate.

SVrditas aut omnimodam ablationem auditus significat, aut diminutionem, quæ difficultas & grauitas auditus vocatur. Causa vel facultatis deperditio, aut diminutio, vel instrumenti virium. Deperditur facultas aut ob magnam particulæ intemperiem quamcunque, aut ob spirituum defectum, qui ex quinto pari neruorũ cerebri in aurem feruntur, vt in paralysi. Instrumenti vitia sunt aeris implantati defectus, eo euanescente in febribus malignis, in senectute, in sono ingenti, & quacumq; concussione valida. Septi disruptio ab iisdem motibus ingentibus, aut erosio à pure. Egreditur tamen aliquando pus ex suppurata aure, & sanguis in magnis concussionibus sine læsione auditus, quando exitus est inter os & mẽbranam, sic enim septum illæsum permanet. Membranæ insitum aerem continentis crassities, laxitas, ob superfluam humiditatem in constitutione Austrina. Obstructio meatus extra septum à corpore illapso, aut cerumine, crustula, carne supercrescente, inflammatione, aut quocunque tumore. Intra septum ab humoribus crassis ex cerebro aut membranis ob multitudinem sanguinis aut bilis, bilis præcipue aures tentat, indicio cerumen colore flauo. Signa læsionis intra septum, dolor capitis præcedens, obstructio extra septum, visu & tactu percipitur. Humores indicabunt exeuntia, & causæ. Aeris implantati exitus patet ex vlcere, si retento spiritu effiet per aures. Prognostica. Incurabilis à pueritia, inueteratæ obstructiones difficile curantur, post duos annos redduntur incurabiles. Ex flaua bile facile curantur. Ex disrupto septo, aut eroso, cum aer implantatus euanuerit, restitui nequit. 3. Aph. 5. 4. Aph. 28.

Propter quid in febribus quidam surdescunt, quidam acutius audiunt? An surdescunt quibus humores feruntur ad aures? Acutius audiunt, quib. aures exsiccantur? Senes autem licet sicciores, abundant tamen excrementis, & facultas ob frigiditatem imbecillior. Curatio. Ad obstructionem interni meatus aut nerui, euacuatio prius à toto deinde à parte. Venæ sectio in inflammatione, & percussione, & reliqua remedia dicta in dolore. Purgatio ad humores crassos per pil. cocchias. Ras. Per hieram & catapotia ex colocynthide. Gal. Apophlegmatismi. Toti capiti resiccantia & roborantia. Victus attenuans. In ipsam aurem incidentia & attenuantia. Muria cum modico aceto. Origanum, hyssopum, lauri baccæ folia, absinthium in aqua decocta & melle. Efficacius penetrat vapor per fistulam susceptus. Ad bilis multitudinem, quæ in febri-
4. Aph. 28. bus repente irruit sufficit purgatio bilis. In auriculam rosaceum cum aceto, si perduret, absinthium addendum. Quæ extra septum obstruunt, auriculari scalpro extrahenda, prius molliendo ex oleo amygdalarum dulcium. Ad callum & crustam, corrodentia. Elleborus niger in aceto & melle coctus.

Ad siccandam superfluam humiditatem relaxantem, suffumigia absynthii ex aceto. Croci globulus filo appensus inditus. Pili pinnæ, quæ vulgo naccara, qui byssus antiquis. Simili modo intromisso globulo efficacius extra-
31. Pro. 2. hit humiditatem. Ad membranæ disruptionem, vt contingit natantibus sub aqua. Glutinantia resina, abietina, lycium, albumen oui. Ad erosionem, abstergentia & siccantia, mel rosaceum, squama æris, aloes. Carnem gignētia. Thus, myrrha, crocus. Ad aeris insiti paucitatem solo victu humectante curat Rasis.

CAPVT LI.

De Narium affectibus.

8. vsp. 6. 7 NAres instrumentum olfactus & respirationis, sunt duo meatus ob duplicem sensum dextrum & sinistrum

ſtrum ſepto cartilagineo diſtincti, qui naſum cõſtituunt, tendentes ad proceſſus mamillares cerebri, qua duo ventriculi anteriores, inter medio oſſe ſpongioſo & dura meninge inſtar cribri perforato ad ingreſſum odorabilium inſpirando, & egreſſum excrementorum, nunc ſponte nunc ſternutamentis. Iidem peruii ſunt ad palatum, vnde potus aliquando per nares egreditur in angina. Patiuntur obſtructiones in coryza, quæ grauedo appellatur. Carunculas ſupercreſcentes, qui polypi dicuntur, & vlcera, quæ Ozenæ vocantur. Apertionem oſculorũ venarum, vnde fluxus ſanguinis. Ex iis læditur aliquando olfactus deperdite, diminute & deprauate, aliquando reſpiratio, aliquando loquela: nam cõcauitas ad vocem facit & articulationem. De coryza dictum eſt in catarrho exceptis particularibus remediis. Ad calidam, oleum violatum cum aaua roſacea ſolatri, plantaginis intus, & extra, lac recens emulſum, mucillago pſylli Meſ. Ad frigidam oleum amygdalarum dulcium, pinguedo gallinæ, mucillago altheæ, ſeminis lini, faciunt ad concoctionem. Deinde ſuffumigia, in calida ex hordeo in aceto ſandalis, canfora. In frigida, ex thure, gummi iuniperi nigella torrefacta in aceto Raſ. Eadem faciunt ad olfactum deperditum, vel diminutum ex obſtructione in colatorio, vel proceſſibus mamillaribus. At ſi tollatur olfactus ex depreſſione naſi aut ab ortu, aut ob contuſionem, incurabilis eſt. Reuocant olfactum vapor aceti calfacti, puluis inſufflatus ex cyclamino, ſale ammoniaco, ſtruthio, nigella, colocynthide, elleboro albo. Mitigatur vis medicamenti, ne palato noceat, interim aqua tepida in ore detenta, aut incocto furfure, aut inſperſa farina, ptiſana, deinde in nares lac, oleum de ſeminibus cucurbitæ. Oleum vetus inſtillatum depreſſo capite in poſteriora tribus vicibus in tribus diebus, nam purgat. Si ex ſola intemperie frigida pereat olfactus in prioribus cerebri ventriculis, quod cognoſcitur Paul. ſi vox ſeruetur incolumis, ſi neq; reſpiratio læditur. Odor caſtorii ex

3. Cat. 3.

4. lo. af. 6.

aceto,

aceto, rutæ, cardamomi, piperis. Si ex intemperie calida, rosaceum ex aceto in nares, & toti capiti remedia dicta in dolore capitis. Polypus tumor est præter naturam in naribus similis polypo animali in colore, & compage, quasi albus & pluribus veluti radicib. affixus. Pau. eiusdem naturæ est & sarcomæ, id est carneæ substantia. Celsus inquit carũculas esse in narib. similes muliebrib. mammis, quæ imis partibus carnosissimis inhærent. Polypus vero est caruncula modo alba, modo subrubra, quæ narium ossi inhæret, & modo ad labra pendens narem implet, modo ad palati foramen post vuam conspicitur. Hæmorrhoidas nasi vocat Auicenna, carnes adnascentes nunc molles & albas sine dolore curatu faciles, nunc rubras aut fuscas cum vehementi dolore, difficiles. Cancrum diuersum ab iis durum & siccum, qui corrumpit figuram nasi. Hippo. Polyporum quinq; genera affert, primus mollis, vt gurgulio in respiratione exiens & retrocedens. Secundus caro dura nares implet. Tertius ex cartilagine intrinsecus caro rotunda prominet ad contactum mollis. Quartus ex cartilagine intrinsecus durum quid nascitur, & videtur caro esse, sed si attingat strepitum edit vt lapis. Quintus ex obliquo cartilaginis in summo nascitur veluti cancer. Causa Galen. humores crassi & viscosi ex capite, at conuertuntur in carnem à subiecta particula, vnde emanant, vt in vlceribus caro supercrescens ex osse & cartilagine durior, ex cute mollior, temporis diuturnitate induratur magis. Alba pituitosior est rubens, sanguinea, liuida, melancholica, sicca, vel præhumida, vnde sanies emanat ob putredinem. Morbus in numero, vt cancer morbus in magnitudine, & figura. Polypus autẽ cancerosus similis cancro colore, duritie, malignitate carnis supercrescentis. Signa patent sensui, impediunt respirationem & vocẽ. Prognostica. Molles facile curantur. Quo duriores, eo difficiliores. Cancerosi in profundo delitescentes nõ attingendi. Cancros occultos vocat Hip. vt in palato, in sede, in pudendo muliebri. Qui in summa corporis

3. Cata. 3.

2. Morb.

6. Aph. 38.

poris parte hærent, curabiles, si radicitus euelli possunt. Gal. Distinguuntur cancerosi affectus venis conspicuis. Curatio polypi. Post vniuersales euacuationes caput primo siccandum & firmandum, Gal. Aet. Emplastrum capiti raso ex Anemone, aut ex cochleis cum suis testis contusis numero quinq; ouorum duorum albumine, myrrhæ, thuris, singulorũ vncia vna. Sinito per dies nouem. Trall. addit ceram, vt facilius auferri possit. Faciunt ad omnem defluxionẽ prauorum ex cerebro. Naribus Galen. indit medicamenta mixta ex astringentibus, dissecantib. attenuantibus, discutientibus, siccantibus, & condensantibus, vt caro superflua nutrimento destituta sponte abscedat. Puluis imponitur postquam vino astringente elueris, ex alumine, chalcantho vsto, chalciti, squama æris, galla, semine ericæ. Adduntur mitigatoria ex thure, myrrha. Sola etiam vrentia ex melle imposita. Sinapi, dracunculi radix & semen. Dioscor. ad Narium polypum & carcinoma. Vsus tempore teneatur aqua in ore, sinantur per diem vnam linteolo excepta. Tutius diuturniori tempore, mitioribus vti. Galenus medicamentum ex malis punicis trium generum cum suis corticibus tusis, succus expressus modice coquendus ad mellis crassitiem, reliqua substantia crassior leuiganda, vt formentur collyria. Vtatur modo collyrio intromisso in puluerẽ, modo succo assidue, nam siccat sine morsu, & sine consensu. Adhuc mitiores sunt, rosæ siccæ. Hip. vtitur varia chirurgia, aliquando ferro & igne. Paul. molliores tuto attingi scalpello, duriores & cancerosos non tangendos. Ras. neque medicamentis.

3. Cata. 3.

De aff. & 2. de Mor.

Ozæna ab odore fœdo dicta vlcus est nariũ ex humoribus acribus & putrefacientibus. Si acres tantum, fiunt vlcera ægre curabilia, at non graue olentia, comprehenduntur tamen sub Ozænis. Graue olentia aliquando soli ægrotanti infesta, vel quia olfaciendi facultas ob perfectionem vel parua vitia sentiat, vt aliquando tinnitus in auribus, vel quia humor prauus nõ extra exhalet, sed intra,

3. Cat. 3.

1. Sy. ca. 4.

tra, vnde omnes odores iudicantur illi similes, vt in arquatis amara & flaua, præcipue si prauitas sit supra colatoriũ, cum infra est, fœtor magis sentitur exspirando. Ex osse viriato ex cancerosis, fœtor maior, vt in morbo gallico. Signa patent ex eiectis. Crusta in vlcere sicciori nascitur, humor exit in humidiori. Omnia difficilia ob locum obnoxium defluxionibus, & partẽ ossẽ vel cartilagineam. Inueterata corrumpunt os, vnde simitas oritur, & quibusdam os palati, vnde vox egreditur in nares. Curatur post totius euacuationem, & capitis corroborationem vt in polypo, per repellentia & siccantia naribus iniecta, astringentia & discutientia. Superficialia solis astringẽtibus ex malis punicis, cerussa. Maligniora per ea quæ crustam inducunt, vt in polypo. Gal. vtitur pastillo Andronis aut polyidæ ex vino dulci aut austero Succus balsaminæ, fructus, qui momordiba appellatur, siccat sine morsu. Ad fœtorem odorata, thus myrrh, reliquis medicamentis admixta. Gal. in diuite excogitauit vsum hedychroi ex vino falerno, quo remedio breui sanatum. Ad crustas auferendas, odor vaporis aquæ calidę ex spõgia illinitio ex cerato & adipe gallinæ. Ablata crusta intromittatur penicillus ex aceto & sale Resc. ad ossiũ caries, Celsus chirurgia vtitur, inurit enim ferro per fistulam intromisso.

CAP. LII.

De affectibus Oris, & Dentium.

OS cauitas est, qua cibus assumitur saporis instrumentum per tunicam laxam & mollem palato & linguæ ob ductã, ad quã neruus ex tertio & quarto pari neruorũ cerebri distribuitur. In cauitate lingua cõtinetur ex carne & neruo constans vndiquaq; mobilis ad deuorationem & loquelam. Circumcirca dentes maxillis, 2. Epi. infixi viginti octo ad summũ triginta duo. Quibus dentes plures magis longæui Hipp. Postremus in vtraq; maxilla dẽs sapiẽtiæ vocatur, seu prudẽtiæ, quia nascitur in quarto

quarto ſeptenario non omnib. Duo inciſorii vnica radice infixi anterius tam in dextris quã in ſiniſtris. Duo canini iuxta inciſorios è regione oculorum, duplici radice cõſtant, ad frangendum, tres maxillares iuxta caninos, ad cibum molendum, tribus radicib. vnus in poſtremo dens prudentiæ quatuor radicib. conſtat inter maxillares. Ad radicem neruus ingreditur, qua ſenſus & alimentum tribuitur, augeſcunt autem ſecundum longitudinem vt cornua, & vngues. Per ætatem rariores fiunt, quia attritis ſupremis partibus relinquuntur partes prope radicem anguſtiores, ideo in ſenectute nutant, quia non explent ſuos ioculos. Fulciuntur autem gingiuis, quæ caro eſt mollior. Dentium affectus dolor, corroſio, mobilitas, denigratio. Dolor nunc in ſolo dẽte, nunc in neruo, nunc in gingiua. Ex intemperie calida vel frigida, humore diſtendente vel mordente. Corroſio à ſolo humore acri mordente & putrefaciente fit, vnde perforatio veluti à verme. Denigratio ab eadem cauſa fit. Inter cętera argentum viuum dentes corrumpit, & mulieres quæ vtuntur fuco ex ſublimato, maxime id patiuntur. Signa nerui dolentis, communicari maxillæ, labio, extenditur aliquando ad tempora, & guttur. Extracto dente permanet inflammatio. Si in gingiua tumor extra vel intro. In ſolo dente nulla ex his. Signa inflammationis pulſatio, tenſio, dentis protruſio, mobilitas. Intemperiei calidæ vel frigidæ, iuuantia & lædentia. Prognoſtica. Hipp. inquit. Circa tertium dentem ſuppurationes plures, quam circa alios omnes, & ex narib. fluxiones craſſæ, & in temporib. dolores ex hoc maxime fiunt. Idem pueris in dentione gingiuarum pruritus, febris, conuulſiones, & maxime vbi dentes caninos producunt, tum craſſiſſimis pueris, tum iis, qui duros vẽtres habẽt. Et 5. Epid. inquit. Ad vehementẽ dolorem tremor in maxilla, gingiua, brachio. In coacis præn. Ad abſceſſum circa gingiuam dentis corruptio. Ex dentis corruptione vehemens febris & deliriũ lethale, niſi vlcera ſuppurentur, & oſſa decidant. Dolor vehemens circa maxillas minatur oſſis eductionem. Cura-

4. Epid.

3. Aph 52.

ata. 8. Curatio dentium, ad inflammationem, si multitudo defluxionis adest, capiti prospiciendum, si ex toto corpore, eius etiam cura habenda. Alioqui statim remedia ad particulam, repellentia & discutientia, si in gingiua, mitiora. Ex oleo lentiscino tepido in ore detento. Nam à vehementioribus astringentibus veluti contunditur,
ata. 9. ab actioribus eroditur, eadem in pellicula oris & linguę; decoctum rosarum aut foliorum rubi, lentisci, oleæ in vino, diamoron ex aqua plătaginis, hordei, dactilorum, caricarum, pulpa ad suppurandum superposita. In dente seu neruo interiore vehementissimis opus est medicamentis, seu repellere opus sit, seu discutere. Ideo pleraque ex aceto acerrimo præparantur, aut vino astringentia vehementia, galla, myrthus, pentaphylli radix, platani, pilulæ, thæda pinguis, pix, discutientia valida, cedria, propolis, vini fæx, nardus, hissopus, piper, pyretrum pulegium, allium. Feruefiunt in vino aut aceto ad collutiones, balsami gutta. Ad acres humores, & calidam intemperiem, lac asininum ore detentum, ranæ decoctum ex aqua & aceto, solanum, hyosciamus, alicacabi radix. Extrinsecus oleum lumbricatum etiam in auribus instillatum lana sordida, fomentum ex sale & milio frixis, farina hordei, seminis lini in sacculis. Naribus betæ succus inspiratus deriuat, aut indatur collyrium ex cumino, myrrha, cucumeris syl. medulla cum lacte, brachiis ranunculi folia imposita, qua parte dolor, nam exulceraut. Radix isatis syl. quæ vulgo herba sancti Antonii, qua mendicantes crura exulcerant, si imponatur ad carpum, aut in vola manus astringatur, dolorem dentiu sedat. Ad erosos dentes inustio ex gutta seruentis olei instillati ramulo origani aridi, aut ex opopanace linteolo excepta, & in feruenti oleo liquata aut stylo ignito, cera præmunito dente. Gutta olei sulphuris intra cauernulam, chelidonii radix indita, aut ellebori nigri disrumpit, vt per se excidant. Titimali succus cũ galbano. Ad gingiuas erosas, siccantia & astringentia, alumen & sal,

sal, si morsus concitetur, ablutio ex vino, aut decocto foliorū oleę. Ad nomas, tangantur ex feruente oleo per spectillū cum lana. Hodie habemus oleū sulphuris præstātissimum remediū ad omnē corrosionem sistēdam. Postea curentur p siccantia, ex galla & myrrha, aut ex melle rosaceo. Ad gingiuas relaxatas & mobiles dentes, puluis ex ꝑdicio, id est parietaria, & siderite mediocriter tostis, & sale atq; alumine & melle vstis, additis odoratis, malabathro, iride, pipere, cinnamomo, eo fricētur dentes vsq; ad radices. Ad denigratos dentes & sordes inhærētes abstersio p dentifricia, ex sale, alumine, pumice cū linteo, vel incoctis radicib' Maluæ ex aceto & puluere aspersis, additis odoratis: subsstantia autē lapidosa dentib. adnata scalpro eget. Ad carnē in gingiuis supercrescentem, quæ parulides vocantur, iisdem remediis tollūntur, quibus polypi.

CAP. LIII.

De lingua affectibus.

LIngua vt instrumentum gustus patitur eius diminutionem aut de ꝑditionem ob intemperiem præcipue calidam & siccā in febrib. aut p consensum vitio neruorum. Deprauationē autem ob prauos humores in tunica. Vt instrumentū motus, obmutescentia, balbutio, vel ob neruos affectos, vt in paralysi, cōuulsione. Vel ob linguæ vitiū, vt tumorē, vlcera, membranæ, quæ sub lingua est, breuitas, q̄ nuper natis abscindere solent, quia vtplurimum à natiuitate contingit. Aut ob cicatricē. Inter tumores est ranunculus appellatus Aet. Ranula à recentioribus, qui tuberculus est sub lingua ranæ similis inter venas raninas appellatas. Rasis glandulam vocat. Hanc ſignificasse videtur Hip. cum inquit. Quæ circa linguam eleuantur collectiones & parui calculi, & quæ podagricis fiunt circa debiles ipsorū articulos sunt. Nam ossiū natura causa est, vt hæc & indurentur & distēdantur. Præterea in lingua maxime apparent signa aliarū partiū. Nam linguæ colores humores tales significant, vt vrinæ, vel in toto corpore, vel in partib. vicinis, vt vētriculo, hepate, pul-

1. Sy ca. 4.

4. lo. af. 6.

8. Epi. 3.

. in 6. Ep. 14.

mone, capite, vt Gal. docet in com. Lingua rubra sanguinem p̃cipue inflãmationem partium vicinarũ ostẽdit, vt rubedo in vultu. Vidi feruentẽ & valde rubrum ex nimio vsu piperis, pallida, flaua, alba, liuida, nigra nunc cũ sorde nunc sine sorde, quia vel humor in superficie vel in corpore, facile n. à quocumq; coloratur, quia eius substantia laxa est, & spongiosa. In paralysi vnius lateris dimidia lingua eiusdẽ lateris coloratur. Aspersa & nigra in febrib. ardentib ob spiritus caliditatẽ, vt fumus. In peripneumonia flaueſcit, post nigra fit. Odor aliquãdo deprauatur ex putredine in ore, aut ex subiectis partib. ascendente euaporatione, qua ratione & odor aromatũ mandẽdo sentitur. Signa patent sensui. Progn. Pustulæ in lingua ex vulnerib. capitis suppurationẽ significant, & desipiens moritur æger plerunq; conuulsus. Lingua aspera & animi deliquiũ in febre hyemali mala, nec fidendũ, si videatur febris remittior. Lingua, quæ in principio inhorruit, in colore vero ꝑmanet, & in progressu exasperatur, & liuescit, & rumpitur, lethale, si vero valde nigrescat, in 14. iudicationem significat. Periculosissima autẽ nigra, & cum virore pallida. Circa bifidam sui partem velut saliua alba obduci significat febris remissionem, si crassa eadem die, si tenuis altera die vel tertia. Lingua tremula & denigrata celerem mortem significat, mentem non firmam.

3. Morb. & de aff.

Vul. cap.

4. Acu. 61.

Con. præd.

Curatio. Ad quamlibet intemperiem, collutiones contrariæ. Ad sordes abstergentia ex aceto & mulsa. Ad ariditatem mucillago psyllii aut semiuis cotonei. Ad tumores repellentia & digerentia. Ad Ranulã detractio vt in polypo. Ad inflationẽ repellentia, curauit Ga. solo succo lactucæ, purgato prius corpore: ex pil. ex aloe, vesperi: adeo intumescebat, vt in ore cõtineri non posset, q̃ vitium iis cõtingit, qui vnctione argenti viui vtuntur. Rasis digerentibus curat, fricando, ex cæpa, aut ex succis acidis, vt saliua multa exeat: tãdem ex sale & aceto, hæc magis ad paralysim. Sed tutior est Gal. curatio, vt flatus repellantur, vt in priapismo.

14. Meth. 8.

Libri quinti finis.

ANDREAE CÆSALPINI ARTIS MEDICÆ

LIBER VI.

De morbis Thoracis.

Faucium constitutio & morbi.

CAP. I.

FAVCES, Græce pharinx, interior concauitas intra os gulæ principium, præiacens, spatium gutturi. Est communis locus cibi & spiritus, in quem desinunt à superioribus nares & os. Ad inferiora incipit gula in ventriculum tendens, & larynx caput asperæ arteriæ in pulmonem, velut in quatriuio se intersecant meatus spiritus & alimenti. Distinguitur ab oris cauitate duabus carunculis à lateribus auriculatum modo spiritum colligentibus Hippocrates vocat septum, quod gurgulionem distinguit. Isthmus vocatur, vt angusti processus inter duo maria: vnde paristhmia, loca ad Isthmum attinentia, tonsillæ Latinis. Altera caruncula à supernis pendens in fine palati, quæ gurgulio græce gargareon vocatur, alias vua, vulgo vuola dicitur. Spiritum reflectit quasi plectrum. Recipit fluxiones pituitæ ex capite instar infundibuli. Inferius lingua, ad eius radicem larynx & os yoides. Gandulæ magnæ & conspicuæ ad Paristhmia & larynga resudantes pituitam. Larynx, latine guttur, bronchii caput, est principalissimum vocis instrumentum, constat ex tribus cartilaginibus, vt dilatari, & constringi, & claudi, & aperiri meatus possit.

2. Epi.

3. Aph. 26.

7. vs pars.

3 Ali. 6.

Scutiformis anterior maxima, posteriores duæ, inferior circularis, superna Aritænoides in angustum desinēs nectitur primæ & secundæ. Intra Aritænoidem glottis, id est, ligula membranosa & pinguis rimulam constituēs. Exterius epiglottis operculum est cartilagineum supra scutiformem exoriens, flectitur in posteriora, dum ligula cū Aritænoide anterius trahitur, vnde integra clausio fit in deuorando necessaria, attollitur autem in respiratione. Dati sunt musculi in paruo loco multi: duodecim proprii, octo communes cum circumstantibus. Quatuor contrahunt primam cum secunda, duo externi, duo interni. Quatuor aperiunt, duo trahentes Aritænoidem ad posteriora, duo obliquè ad latera externi. Quatuor claudunt, duo primam tertiæ connectunt, exactè claudentes instar crumenæ, quibus duo alii transuersi opitulantur ad basim Aritænoidis, qui forte epiglottim trahunt interni omnes. Octo scutiformem cum circumfusis corporibus colligant ad dilatationem & constrictionem. Duo ad os pectoris, duo iuxta ad epiglottim attollēdam, duo ad os yoides, duo ad gulam amplectendam in deuoratione cibum exprimentes inferius. Musculi præterea ossis yoidis in ceruice ad totum laryngem attollendum in deuoratione & deprimendum in apertione faucium, & linguam mouendam. Qui introrsum linguam trahunt, faciunt ad sorbitiones & potus, vnde aliquādo impeditur potus, aliquando cibus, iidem faciunt & ad loquutionē. Neruos habēt à sexto pari neruorū cerebri, qui reuersiui appellātur & à septimo pari, aliquādo commiscētur qui à ceruice. Faucium affectus. Tonsillæ græce paristhmia, vulgo gotaccioli nominantur à parti cula. Auic. amygdalas vocat. Supra laryngem sunt, vbi glandulæ. Inflammationes aliquando solius membranæ quæ communis est, ventriculo, ori, gulæ, & faucium, aliquando musculorum subiectorum, interagino sos affectus, lædunt deglutionem tantum. Antiades, quæ tonsillæ induratæ à Paulo dicuntur, glandulæ ipsæ tumidæ,

vtplu-

vtplurimum sine inflammatione. Aet. lædunt aliquando respirationem. Columella græce cionis, quasi colũnula, est gurgulio similis columnæ productus. Imantosis cum ad similitudinem lori aut caudæ productus est, si tangat epiglottim, lædit respirationem & vocem. Staphyli, cum rotundatur ad similitudinem acini vuæ. Laryngis affectus raucedo, græce brancos, & angina morbus acutus. Sub hoc explicabuntur cæteri anginosi affectus.

CAP. II.

De Angina.

ANgina græce cynanche & synanche à cane & sue. Anchone dicitur omnis strangulatio à quacunque causa, vt laqueo, vbique ob angustiam. Proprie est affectus colli acutus, difficilis, angens præfocatione. Differentiæ ex affectu. Phlegmone, erysipelas, aliquãdo œdema. Raro scirrus. Aui. inter anginosos potius, vt in glandulis. Conuersio vertebrarum ceruicis ad interna. Conuulsio. Siccitas collum peruertens, vel tendens musculum internum, vnde clausio. Ex loco affecto tres species. Prima grauissima, in qua nec in faucibus, nec in ceruice conspicuum, quid cum plurimo dolore & orthopnea affectio intra laryngem Gal. Secunda, tumor & rubor in faucibus cum magno dolore, minore difficultate respirandi. Gal. interpretatur tumorem in ceruice, ruborẽ in faucibus. Tertia, fauces & ceruix rubent minori dolore, diuturnior, extra laryngem & supra. Gal. quinq; species facit, prima, in qua fauces inflammatæ. Secunda in qua nullibi tumor cũ periculo suffocationis. In tertia extrinsecus tantũ tumor. In quarta tũ intra, tum extra. Quinta cũ peruertitur collũ vertebra intro lapsa. Quib. nomina diuersa recentioribus. Cynãche, in qua hiant vt canes, nullibi tumor. Aet. intelligit eã, quę ex luxatione vertebrarũ fit, synãche & synanchus inflammatis faucibus & musculis gulę pręiacentibus, para cynanche extra

4. Aph 34. li. defi. 3. Prog. 18. 3 Aph. 22. 4 loc. aff. 3. 4. Acu. 32. 4. Aph. 34. 35. 3. Prog. 16. 17. 18. 3. loc. aff 3. 4. Aph 34.

gutttur, perasynanche iuxta fauces in musculis, qui adiacent faucibus. Causæ synanchus fit, cum hyeme & vere fluxio multa & viscosa ad iugulares venas fluxerit, & cũ æstate & autumno fluxerit à capite calida & nitrola fluxio. Gal. tenuem in tenues gutturis musculos, crassam in latiores faucium venas. Aet. ex Archig. occultam anginã fieri per neruos affectione calida ad cor, & pulmonẽ, inde ad carotidas & adiacentes partes: non fieri apoplexiã quia sola intemperies non coarctatio meatuum; quasi viscosa & multa fluxio ad venas iuiulares apoplexiã faciat coarctatione, vt notat Auic. & Arist. inquit, apprehensis venis in collo sopiri animal. Et Hip. luxatis mandibulis sopor contingit. Affirmant suspensi laqueo cum forte reuiuixerint, insensibiles tunc fuisse. Idem significasse videtur Hip. cum inquit, ex viscosa fluxione obstrui permeationes spirituum, sanguinem coerceri, inspissari vrina, immobilem reddi sanguinem, ob id suffocari. De calida autem inquit, mordet, vlcerat, spiritu impler, orthopnœam parit, siccitatem q; multam, & quæ intuenti apparent, nequaquam tumentia sunt, talibus arteria vlceratur, incenditurq; pulmo. Quasi non ob inflammationem gutturis, vt Gal. vult, sed repletionem pulmonis orthopnœam patiatur, quod & ex remediis patet. Nã inquit faciendum vt citissime spuat, & pulmo gracilis fiat. Causa igitur suffocationis in angina non semper est laryngis coarctatio, sed aliquando carotidum, aut pulmonis repletio. Indicio cynanchem vtplurimum transire in peripneumoniam. Communicati hanc per neruos ex Archig. significant verba Hipp. tendines quoque ceruicis posteriores intenduntur, tetani modo, non igitur mirum si & guttur ob conuulsionem constringatur.

3 Acu. 30. 31.

De som. 2. 2. Arti. 22.

3. Morb. 5. Aph. 10.

4. Acu. 32.

Signa pathognomonica duo Gal. Dolor in faucibus & difficultas respirandi. Et Hipp. fauces dolentes strangulantes Ras. & Aet. deglutiendi angustia in omnib. non in omnibus difficultas respirandi, nam in tertia specie non spirant difficulter. Deuoratio in omnibus læditur,

4. loc. af. 3. 2 in 1. Pro. 53. 3. Prog. 18.

quia non fit sine motu laryngis, & transitu per fauces. At respiratio non eget motu laryngis nec faucium, cum solo septo transuerso fieri possit. Proprie tamen angina dicitur à suffocatione. At in paracynanche seu parasynanche, cum leuiores sint morbi, non est necesse respirationem lædi, pertinent potius ad affectus anginosos. Cynanchem sentit Hip. pluribus modis fieri. De quadã inquit, neq; saliuam deglutire potest, respirat violenter, & stertit, aliquando etiam febris corripit. Iterum inquit febris corripit & rigor, dolor capitis, maxillæ intumescũt, sputum difficulter deglutit. Fauces plenæ saliua viscosa, & non potest excreare, neq; decumbere, difficulter loquitur. Intumescit aliquando linguæ posterior pars, & sub tonsillis ad guttur, si cogas aliquid deglutire, effluit per nares. Aliquando intumescit gurgulio, aliquando sub lingua & prope pectus. Iterum addit, oculi affecti prominent vt strangulatis, intente intuẽtur, nec possunt conuerti, anxietas, ardor in facie, faucibus, collo. At intuentibus nihil mali habere videntur. Sensus obtusi & intellectus, hians decumbit, saliuam fundens. In paracynanche autem deficit aliquod signum. Compressionis carotidum signũ, sopor insensibilitas, venæ tumidæ, vertebræ luxatæ cauitas in ceruice posterius, colli peruersio, vox strangulabunda. Si peruersio in latus, paralysis vsq; ad manum. Conuulsionis, tensio ceruicis vt in tetano, cibum & potũ aliquando reddunt per nares. An impelluntur ad nares à spiritu, cum deglutire nequeant? Siccitatis, vox clangosa. Humiditatis raucedo, decoloratio, sine dolore. Prognostica, vincentis naturæ signum, Fluxionem ad externa vergere. Tumor aut rubor in pectore aut collo bonũ. Coctio, si cito multa & crassa excreantur & facile. Vincentis morbi symptomata grauia, Si neq; diebus decretoriis deleatur rubor, nec tuberculo in sedem exteriorem vergente, pus non facile excreet, ac videatur sine dolore agere, mortem significat, aut recidiuam ruboris. Translatio ad pulmonem lethalis, nã per-

2. Morb.

3. Morb.

2 in 1. Pro. 54.

2. Epi. 2.

2. Morb. de Int. aff.

7. vf pa. 7.

6. Aph. 37.

7. Aph. 49

5. Aph. 10.

cunt in 7. diebus, si vlterius, suppurantur, & dementes fiunt. A febre habito lethale, si sine tumore, febris superueniens soluere potest. A flaua bile eadem die aut non
3. Prog. 20. 4. Aph. 34. vltra 4. suffocantur, si intro, aut liberantur, si extra. Quæ
35. ab humoribus crassis, vlterius. Pituitosa ad 40. diē, serrosa ad annum. Auic. modus solutionis per coctionem, excreationem, translationem extra. Interius per suffoca-
3. Prog. 16. 2. in 3. Epi. 4 tionem, famem, translationem, intro. Signa suffocationis, respiratio sublimis, id est, per partes superiores thoracis, narium pinnæ motæ, exigua & longa ob loci angustiam. Extrema frigida & liuida, pulsus paruus, sudor
2. Aph 43. frigidus sub axillis Aui. spuma circa os iam strāgulatis.

CAP. III.

De curatione Anginæ.

ANginæ curatio remediis perficitur ad fluxionem, ad id quod influxit, ad symptomata. Initio ad fluxionem, humoris fluentis euacuatio reuellens, postea
4. Acu. 30. deriuans. Venæ sectio quamprimū ob morbi celeritatē Hip. ex brachiis, id est, vtroq;, quia fauces in medio. Rasi. ex cephalica. Trall. aliquando ex crure, in supressis menstruis, hæmorrhoidib. An vrgente fluxione prius ex brachiis? antequam morbus corripiat, ex crure ad præcauēdum, non larga sanguinis missio, ne lapsis virib. humor
De cu. per san. 19. intro prorumpat. Paul. Tral. Melius partiri per vices eadem die sæpe, mox sub lingua, vbi eius venæ tumēt. Hip. Trall. si non apparuerint sub lingua, ex iugularib. Hipp.
3. Morb. maxime sub mamma cucurbitulis. Concomitatur n. hac parte ex pulmone spiritus calidus, qui orthopnæam facit. Medicamenta purgantia conuenirent ob turgentiā,
4. Acu. 20. at tardius operantur, quam venæ sectio, interim magis agitant. Hipp. vbi æger ex sanguinis multa euacuatione debilitatus fuerit, clysteri vtitur alternis diebus. Trall. in valde robustis post missionem sanguinis vesperi exhibet scāmoniū, si deuorare nequeat, clysteri vtitur. Ad id
2. Gla. 2, quod influxit, initio dum viget fluxio, repellētia, postea con-

concoquentia, vltimo digerentia, & extrahentia. At repellentia suspecta in angina, & vbi recursurus sit humor in partem principē: melius enim est extra vergere, quam intro, fauces rubere, quam ruborem delitescere. Vtitur tamen repellentibus gargarismis. Gal. Sed vbi non imminet suffocatio, nec aliud graue symptoma, in grauiangina non repellentia adhibet, sed extrahentia, in remediis Archigenis. Hip. post venæ sectionem inquit, attractoriis vtendum & calidis gargarismis. Quamprimum cucurbitulas in collo affigit ad vertebras, deinde capiti raso & iuxta aurem ab vtraque parte sinantur multo tempore adhærere. Postea fumigium ex nitro, origano, semine nasturtii coctis in aqua & aceto pari mensura & oleo modico, vt fumus in os assumatur, aqua calida extrinsecus fouendo, sic enim excreatio succedit Aet. Si nullibi tumor, cucurbitula ad primam vertebram adhibenda, & frequentius auellenda, quod remedium facit, & ad vertebras luxatas. Si tumor in maxillis aut sub mento, super ipsum tumorem affigenda cum scarificatione, & sal iuper scissuras aspergendus, & affricandus. Interim ne fiat attractio ad partem, reuellentibus vtendum, cucurbitulis ad scapulas, dorsum, latera, infra vmbilicum, incipiendo ab inferioribus, & affixæ deorsum trahendæ ex Aretæo. Externa medicamenta relaxantia ratione doloris. Hipp. Caput derades, ceratumque tum collo tum capiti circūpones, lanisque circumuolues, mollique spongia ex aqua calida expressa, fouebis, an incocto chamemælo meliloto, semine lini. Tral. Ceratum ex cera, butyro, adipe anserino, ad totā ceruicē, postea concoquentia, digerentia, & extrahētia. Cataplasma ex caricis, radice altheæ decoctis, pinguedine anatis, chamemelo, farina hordei, melle. Postea additis validioribus, digerentib. & attrahentib. Fermēto, sinapi, stercore canino albo, columbino, sulphure. Nido hirundinis, id est stercore, sinapi. Monet Gal. ante vsum cataplasmatis & post, fouendū locum ex aqua calida. Hip. ad mitigandum seruorem, cum rubor ad pectus, & ceruicem

6. Cat. 1.

6. Cat. 3.
4. Acu. 30.
2. Morb.

4. Acu. 30.

De par. fa. 2. Mor.

uicem eruperit, imponēda betæ folia ex aqua frigida tincta. Interna ori propria, ſtomatica vocata mitiora quā externa ob mollitiē & tunicæ tenuitatē, guſtui non ingrata. nō internis noxia. Gargariſmi, illitiones, pulueres, ſuffumigia. Inter repellētia ad mitiores anginas. Diamoron ex aqua plantaginis, hordei, decocto iuiubarum. Dianucum efficacius, additis validiorib. aſtringentib. roſis, rhu punicæ granis, ſucco. Concoquentia in augmento & ſtatu. Crocum, myrrha, cum decocto ficuum pinguium, dactilorum, liquiritiæ. Diſſecantia ad pituitam, craſſam & glutinoſam, oxymel cum decocto hyſſopi, ſerpilli, origani, thymi. Digerentia calida in declinatione. Nitrum, ſulphur, piper. Confectio diabelaſa. Trall. qua multi ſanati abſque venæ ſectione. Extrahentia, cum vrgent ſymptomata quocumque tempore. Suffumigia humida ex poſca & oleo incoctis, origano, ſemine naſturtii, nitro. Suffumigia ſicca ex thure, myrrha, ſtyrace, gallia muſchata, iride, ariſtolochia, hirundinibus, ſemine rapi, ſuper carbones. Illitiones faucium, cum penna ad vomitum prouocandum ex oxymelite, additis ſinapi, elaterio, aut ſtercore canino albo cum ſapa, melle. Pulueres inſufflati ex pipere longo, albo, piretro, iride, cinere hirundinis. Mitiganda vſtio ex oleo gargarizato, vel decocto lentium. Quidam rumpunt vomicam vngue. Hippocrat. ferro acuto ad digitum alligato facta ſuppuratione. Sæpe ſufficit candela intromiſſa. Ad ſolam ſiccitatem ſufficit oleū amygdalarum dulcium intus & extra, hydrælæon. Decoctum hordei, iuiubarum, liquiritiæ, lambere ſyrupum violatum, de papauere, mucillago pſyllii, oleum ſeminis lini. Ad conuulſionem remedia dicta in conuulſione, totam ceruicē fouere multo oleo calido. Ad ſymptomata. Cum vrget ſuffocatio, Hip Fiſtulas detrudere conuenit in fauces iuxta maxillas, quo ſpiritus ad pulmonem trahatur. Interim deprimitur larynx, ne epiglottis incumbat palato. Et faciendum, vt citiſſime ſpuat, & pulmo gracilis fiat. Calidis gargariſmis, ſuffitu. Extrahenda

6. Cat. 1.

2. Morb.

2. Morb.

3. Morb.

2. Morb.

pituita

pituita ramulo cum lana, iterum inquit, tepidas colluat, si non exit saliua, frigidam aquam bibat. Galen. insistendum in reuulsionibus, c'ysteribus acutis, & medicamentis efficacioribus ad fauces. Cucurbitula in occipite Pau. & Auicen. moliuntur perforationem asperæ arteriæ, vt præciso bronchio & extracto magnitudine lupini per foramen illud respiret. At si vera sunt quæ diximus, remedium incertum, nec discedendum ab Hippoc. quamuis gutture penitus resecto viuere possit, sed sine voce. Hipp. Cum vrget deuoratio, ne fame pereat, interim nutrire licet per clysteres, nam venæ mesaicæ etiam ex intestinis trahunt alimentum. Quod videtur significasse Hipp. dicens, cum ob copiosam sanguinis euacuationem imbecillis fuerit, clysmum tertio quoque die ventri infundes, donec in tuto æger fuerit, & fame indigeat, id est, cum ob anginam deuorare nequeant, & refici, licet per clysteres nutrire, donec in tuto fuerit, & ex fame indigeat adiectione. Victus, bibat aquam & mulsam nõ frigidam, cremorem q; assumat, vbi ex iudicatione in tuto fuerit. Tral. exhibet ouа sorbilia. A vino abstineat & ptisanæ succum tenuẽ sorbeat. Cum morbus remissus fuerit, & cibos gustauerit, elaterio purgandus, ne reuertatur.

6. Cat. 3.

De princ.

4. Acu. 30.

4. Acu. 30.

3. Morb.

CAP. IV.

Ad affectus anginosos.

AD tonsillas, gargarismi repellentes, raro digerentes ex vsu sunt, quia in superficie tantum, sæpe sufficit attritio tuberculorum, qui in carpo oriuntur per consensum. Ad glandulas tumidas, post vsum repellentium & astringentium, digerentia validiora, piper, sulphur, iris, thymum ex melle, aut oxymelite. Ad inueteratas & duras. Emollientia: ex pice cũ oleo veteri, medullis, pinguedine. Hammoniaco, galbano, bdellio, tũ intus illinendo, tum extra emplastro. Ad columel. relaxatam, qui vuæ casus dicitur. Auicen. Sedata inflammatione per repellentia, valde astringentia adhibenda. Decoctum gallarum, glandium,

glandium, fructus miricæ, aut pulueres cum cochleari. Flos æris cum melle illitus Dioſc. ad reprimendas vuas & tõſillas. Meſ. retrahit ſurſum, extẽſione auriũ ſurſum dolorifica, & capillorũ vertici, vt cutis auellatur. Cucurbitulis in vertice, emplaſtro aſtrictorio in vertice ex ſucco acaciæ cũ aceto, gallis aduſtis cũ aceto. Aet. picẽ liquidã illinit poſt capillorũ detractionẽ. Sternutamenta. In ſanitate defendit à tonſillis, ex vuæ relaxatione. cũ facies lauatur, hauſtus modicæ aquæ frigidæ. Cum longior fuerit, vt ad laryngem perueniat, reſpirationem lædit, ſi per aſtringẽtia non retrahitur, præcidenda, at non tota. Hipp. inquit. Gurgulio cum periculo ſecatur, vritur, & ſcarificatur, quã diu rubidus & magnus fuerit, ob inflammationem, & ſanguinis fluorem. Expectandum vt gracilis fiat ſuperius & nigreſcat in ſummo. Iterum. Ex diſtillatione præceps dependet, rubicundus fit, & poſt nigreſcit, ſi turgentem non ſecues, ſtatim inflammantur adiacentia.

Vlcera oris & faucium, quædam in ſuperficie tantum, Aphthæ Græcis dictæ, peculiares puerulis lactentibus cũ ignea caliditate, ex vitioſo lacte nutricis, aut mala coctione ventriculi infantis. Quædam profundiora putrefacientia carnem ſubiectam, cartilagines, aliquando perforantia os palati, vt in morbo Gallico. Vocantur vlcera maligna, aut depaſcentia, Græce cacoetæ, & nomæ. Oriuntur ex putredine, ex argento viuo. In ore cito putredo accedit ob loci humiditatem & caliditatem, à quacunque cauſa inceperit exulceratio, & quia medicamenta non incumbunt ob ſaliuam abluentem. Quædam à ſanguine, quædam à bile cũ partis inflammatione. Quædam à pituita, quædam ab humore melancholico, cum acredinem conceperint, aut ſalſedinem abſque inflammatione. Signa. Cognoſcuntur viſu & tactu. Color rubicundus, flauus, albeſcens, liuidus & niger. Durities, mollities, ſordes craſſæ, ichor tenuis. Prognoſtica. Superficialia non maligna, facile curantur. Reliqua diuturniora. Quæ in epiglotti & faucibus periculoſa, ne ſanies pulmonem

nem exulceret. Os palati aut cartilago exesa incurabilis. Cartilago epiglottis exesa prohibet deglutionem, quia cibus & potus labitur in asperam arteriam. Curatio, post totius & capitis euacuationem, aut venæ sectione aut purgatione, & corroborationem, particularia remedia. Ad Aphthas simplices, mediocriter astringentia. Infantibus nutrices cibos mandant, lentem cum pane & medulla ceruina aut vitulina, aut mala austera, pira, mespila corna. Si magis inflammata, lactuca, endiuia, portulaca. Illinire ex diamoron, rosarum puluere adiecto. Adultioribus efficaciora. Succus nucum, punicæ cum melle rosaceo, adhuc magis in corporibus duris, rhus, galla, hypocistis, alumen, colluere, illinire. Si adiuncta inflammatio, lac, solani succus, folium in ore detentum, plantago. Ad malignas inducentia crustam & auferentia, non seiunctim vt in cæteris, sed simul ob loci humiditatem. Arida medicamenta caustica cum melle quod abstergit, sæpius illinenda, quia eluuntur a saliua. *6. Cat. 2.* Stercus caninũ cum melle. Cinis hirundinum, atramentum sutorium vstum, non venenosa, vt præcipitatum. Recentiores vnguentum Ægyptiacum. Galenus imponebat Misy aut æruginem cum vino. Chalcitim cum oleo ad mitigandam eius acrimoniam. Diphriges seu per se, seu cum melle despumato perfecte sanat & ad cicatricem ducit omnia putrescentia oris vlcera, columellam præsectam, & pudendi vlcera. Hipp. Florem æris accipit. Idem Dioscoridis tradit cum melle ad deprimendas vuas & tonsillas. Nihil autem refert, seu diphrigem, seu florem æris, seu squamam assumamus. Hodie caustícum habemus securissimum & efficacissimum. Oleum sulphuris aut vitrioli, si tangatur gossipio, postea corrigatur inustio lacte, aut oleo amygdalarum dulciũ: nam & squamæ ossium abscedunt, quæ cum abscesserint, reliquis remediis cædunt. *9. Simp.* *2. Mor.*

CAP.

CAP. V.

De Pleuritide.

THorax ſuperior venter ab Hipp. vocatur, in quem recipitur ſpiritus & redditur reſpirationem faciens. Circumſcribitur à ſuperiori parte iugulo, ab inferiori ſepto tranſuerſo, à poſteriori ſpina dorſi, ab anteriori oſſe pectoris, à lateribus coſtis. Additi ſunt muſculi quidam inter ſingulas coſtas vnus interior, alter exterior. Alii extra coſtas, inter cætera officia adiuuantes motũ reſpirationis, coſtas dilatando & conſtringendo. Alio modo ſeptũ tranſuerſum cauitatẽ thoracis ampliorẽ reddit, cũ contrahitur inſpirationem faciens, quia per eius tenſionem inferius vergit, cum relaxatur exſpirationem, quia ſurſum reuertitur. Toti cauitati ſubtenditur membrana ſuccingens coſtas, in qua pleuritis naſcitur, de qua nunc agendum eſt. Denominatur à particula latine morbus
3. Meth. 1. lateralis, laterum compunctio, dolor lateris, vulgo, mal di punta.

Eſt inflammatio eius membranæ, quæ lateribus ſubiacet. Deſcribitur grauiſſima, quæ & exquiſita eſt. Eſt
2. Glo. 1. li. Def. dolor lateris ac ſubcingentis mẽbranæ vſq; ad clauiculã & ſummum humorem & ſcapulam pertinẽs cum febre acuta nõ intermittente, cũ dolore confodiente, horrore, ſpirandi difficultate, & tuſſi. Differẽtiæ ex affectu, phlegmone, eryſipelas. Nam œdema, neq; ſcirrus, quia ſine dolore, niſi admiſceatur ſanguis aut bilis inflammationẽ faciens. Neq; inflatio ex flatu. nã dolor in eo cõtingit ſine febre, quia ſine inflammatione, exquiſita quæ ex
3. Aph. 14. flaua bile, notha, quæ ex mixtione frigidorum. Pleuritis ſicca cum nihil expuitur, contingit magis in exquiſita, cõtingit tamen & in notha, quã diu cruda eſt. Humida, in qua multa expuitio, cõtingit magis in pituitoſa, ex loco affecto. Quædam aſcendit ad iugulum, magis inter
2. Acu. 10. exquiſitas. Quædã deſcẽdit ad ſeptũ tranſuerſum magis
12. inter nothas. In mẽbrana ſubcingẽte exquiſita, in muſculis

sculis notha. Auic. addit, in mediastino. Hipp. quædam in dorso. Sed hæ pertinent magis ad peripneumoniam. Quæ in musculis intercostalib. ad pleuritidē pertinent, quia ob propinquitatem communicantur membranæ. Minus quæ in costarum periostio, adhuc minus, quæ in musculis externis, aut in membrana sub cute. Nisi enim membrana subcingens laboret, aut primario aut per cōsensum cum propinquis, pleuritis non est. Hinc fit vt aliquando peripneumonia vnius lateris pleuritis appelletur ab Hip. quia alicubi pulmo adhæret mēbranæ seu præter naturam, vt Hipp. inquit exsiccato pulmone, seu secundum naturam, in homine sub iugulo & scapulis vt à Fallopio notatum est. Causa materialis, quæ dicta est sanguis, flaua bilis, aut mixti inter se, aut cum pituita & atra bile. Humores tenuiores ad membranam magis penetrant, crassiores in musculis magis firmantur. Efficiens fluxio à capite, vel cęteris partibus ob redundantiam aut expulsis humoribus ad partem imbecilliorem, aut attractis ob dolorem, caliditatem, aut paulatim congestis ex nutrimento vitiato & virtutis imbecillitate. Tanguntur hæ causæ ab Hipp. vbi inquit. Pleuritidem à rigore vtplurimum incipere in hunc modum. Latus natura nudum carne præ omnibus corporis partibus, cum in ipso nihil sit quod renitatur, præter cauitatem, maxime rigorem percipit, quod confirmat ea sententia, cum scribit, rigor ex superiori ventre magis. Cum riguerit, caro & venæ contrahuntur, & conuelluntur, hinc bilis & pituita exprimitur ad interna ob caliditatem attrahentē à vicinis. Idem contingit post laborem, fit enim aliquādo carnis & venarum disruptio, aut dilatatio, vnde collectio oritur sicut in percussione. Ex potu quoq; largiore humectato corpore, si friguerit, expressio fit. Ideo contingit in Aquilonia institutione, & hyeme. Cur non in æstate ob liquationem? an fluxiones eo tempore vergunt extra? in ætate declinante ob imbecillitatem, & bilis abundantiam.

3. Morb.

5. loc. af 3. de lo. in ho.

1. Morb.

5. in 6. Epi. 31.

De aff. 3. Aph 5. 22.

3. Aph. 29.

CAP.

CAP. VI.

Signa Pleuritidis.

Signa pathognomica pleuritidis exquisitæ quatuor ponuntur à Gal. nothæ autem deest aliquid. Febris, dolor, tussis, respiratio difficilis, addit pulsum alibi. Febris symptoma inflammationis ob intemperiem, continua habens accessionis tertianæ ob bilem, vel sanguinē putrescentem in parte membranosa, quotidianæ in parte musculosa. A cuta ob affinitatem membranæ cum pericardio, septo transuerso, & quia pars affecta parum distat à corde. Quamuis thorax secundum partem musculosam neq; magnis vasis, nec vicinitate conuictus est cum corde comparatione pulmonis. Dolor symptoma est inflammationis ob solutionem continui ex humore mordente, aut tendente. Punctorius ex flaua bile, tensiuus ex sanguine, grauis ex frigidis humoribus, pulsatilis in musculis, dilaratus ratione membranæ, angustus in musculo, aut costæ periostio. Communicatur nunc iugulo, nunc septo transuerso, nunc vtriq; Hipp. in dorsali, nam peruenit aliquando ad inguina. Ad superiora, quia quatuor costæ superiores venas recipiunt ex iugulari, octo inferiores ex vena sine pari, hæc protenditur infra septum transuersum, vnde dolor aliquando ad inguina, in qua mingitur aliquando vrina subcruenta. Communicatur autem dolor magis per venas, quam per carnes, quia venæ magis trahunt. Hipp. Affligit magis in decubitu lateris oppositi, cum in membrana fuerit non solum ob pondus Particulæ, vt Gal. sed etiam quia trahitur membrana à pulmone, qua parte adhæret, quod magis contingit ad iugulum. Affligit magis in eodem, cum in musculis fuerit, ob attritionem. Hunc tabernaculum thoracis vocat Hipp. Non sentitur dolor in declinatione. Neq; in delirio, neq; in particulæ interitu, In hoc redditur aliquando latus liuidum mortuis simile, vnde icti dicebantur, & siderati.

Tus-

Tussis symptoma est inflammationis resudantis humorem in asperam arteriam, vnde irritatio ad expellendum nulla ex externa inflammatione. Sicca, cū vapor sōlus offendit, aut intemperies inæqualis, quod contingit in hepatis inflammatione, & in pleuritide cruda, cū humor non expellitur, aut quia vehemēter impactus ex flaua bile ob tenuitatem: aut quia crassior in humorib. frigidis. Respiratio difficilis symptoma est aut doloris prohibentis motum, aut morbi in magnitudine prohibentis integram dilatationem, quod magis cōtingit in peripneumonia: aut ob intemperiem calidam. Frequens & exigua, ob caliditatem magna, frequens & celer, at ob impeditā dilatationē frequentio: & minor ob dolorē tarda, & inæqualis. Pulsus symptoma febris sed minor ob arteriæ duritiem ex membranæ tensione, ideo crebrior & celerior: vocatur serrinus inter inæquales in vno ictu. Variatur ex natura humoris, & magnitudine inflammationis, & loco. Nam in humoribus ad costas æqualis est prorsus pulsus, id est, in partibus musculosis, nō vt in pulmone inæqualis. Prognostica salutis aut mortis, ex coctione & cruditate in sputo. Bonum cito spuere, & facile & permixtum valde cum flaua bile. Deterius si multo post, si cū multa tussi, si non valde permixta flaua vel rufa. Screatio flaua non multo permixta sanguine, si inter initia excernitur, salutari admodū est, si septima die pigrisque, minus secura. Omnis excreatio mala, quæ nō sedat dolorem, quæ vero sedat omnis melior est. Sincera flaua cum periculo est candida, glutinosa ac rotunda, inutilis, id est spumosa, non continet humorem peccantem. Viridis & spumans admodum est mala. Si adeo syncera, vt nigra appareat, difficilior quam illa est. Præter sanguinem omnis humores sinceri mali, quia significant exustionē, similiter spumosa. Gal. De sanguinolēta dubitatur. Nam Hipp. inquit. Sputum sanguinolentum & pleuritis sanguinea deterior quam subbilliosa, quia significat ruptionem carnis aut venarū, & necesse est suppurari, ideo fortis

2. Sy. ca 3. 4
4. lo. aff. 8.
5. lo. aff. 3.
1. de res 9.
4. ca. pu. 8.
4. Praf. 3.
1. Cris 5.
2. Prog. 43.
44. vsque ad 51.
2. Prog. 44.
3. Morb.

est pleuritis, dolorosa, & lethalis. An sanguis sincerus disruptionem significat, non sincerus nec multus resudationem? Nam Hip. inquit in coacis, sanguine nō multo per mixtum flauum in principio salutare, septima aut
2. Prog. 36. post, minus tutum. Valde sanguineum statim in princi-
4. Præs. 5. pio, periculosum. Ex communibus quoq; cum aliis mor-
4. ca pu. 8. bis, ex vrinis, alui excremētis, sudoribus, siti, calore, mollitie, somno, sumit signa bona vel mala. Hip. Pulsus valde durus, paruus & creberrimus exitialis, serrinus auctus cum facultate valida, suppurationē aut tabem significat: cum imbecilli, periculum habet. Modus solutionis coctione, translatione, suppuratione. Coctione euacuata
4. Acu. 78. paulatim materia per sputum aut per habitum digesta.
3. 13 Epi. 79 Cocta sunt sputa, cum similia puri. Aliquando per crisim
2. Prog. 52. in anaxione, per sudorem, aliquando per vrinam. Alui subductione, & venæ incisione. Quicumq; dolor in his sedibus non desinens neq; excreatione, neq; ventris subductione, neq; venæ incisione, ac medicamēto & victus
6. Aph. 16. ratione, in suppurationem vertitur. At in morbo laterali alui profluuium malum. Gal. in com. exponit. Quando ob morbi vehementiam, sine signis coctionis, significāt
3. Morb. imbecillitatem virtutis, non per loca conferentia thoraci. Hip. cōfirmat inquiens, cum dorsum rubescit, humeri incalescunt, grauantur in desidendo, venter turbatur, deiectiones virentes & valde fœtentes, hi propter egestionem moriuntur. Translatio ad externa bona, ad pulmonē mala. Si ad cor, syncopem facit. Si ad cerebrum, de-
7. Aph. 11. lirium aut soporem. Si ad neruos, tremorem, conuulsio-
4. ca pu. 8. nem Hippo. in coacis inquit, pleuritis sine conuulsione difficilior, quam cum conuulsione. An transmigratio ad neruos minus periculosa est, quam ad cor, aut cere-
2. Prog. 52. brum? quia ad partes externas. Suppuratio exspectanda,
5. Aph 8 si dolor perseueret. Quicunq; morbi laterales in 14. die-
2. Prog. 54. bus non repurgantur, 11. ad suppurationem vertuntur. Aliquando antea. Nam die 7. ægrotationis suppuratio aliquando excernitur, quod existentibus adhuc sputis bi-

liosis

liosis valde exitiosum est. Nam intereunt die 14. nisi aliud signum bonum apparuerit.

CAP. VII.

Curatio Pleuritidis.

IN curatione pleuritidis prius fluxio tollenda & eius causæ, deinde remedia adhibēda ad id quod influxit, & symptomata.

Sed videtur Hip. incipere ab eo, quod influxit, & ad symptomata, cum inquit. Tentare calidis fomentis dolorem soluere, cum tamen oppositum tradat libro de affec. vbi inquit. Cum pus excerni inceperit, latus calfacere expedit, & forinsecus maturare, prius autem nō expedit, resiccatur enim. Quod & Gal. passim monet, localia non conuenire ante totius euacuationem in omni phlegmone. An conueniunt, vbi non adest totius plenitudo, vbi causa fluxionis ex loco affecto oritur, vt ex dolore, vbi paruus est affectus. Interim fomenta præparant ad venæ sectionē adhibitis prius fomentis, venam confestim secare, vt sanguis effluat, qui coaluit in parte Ga. Faciunt & ad medicamenta purgantia Hip. Præhumectare fomentis oportet, vt corpus pharmacis magis obediat. Fomenta humida ex aqua calida in vtre, vesica, vasculo æneo aut testaceo intermedia lana, aut spōgia expressa linteis inuoluta, ne vapor calidus tendat ad nares, licet aliquādo iuuet scilicet in sicca. Gal. Faciunt ad acres & siccas fluxiones efficacius decoct. violarū, chamæmeli, florum papaueris, rheas, hordei, maluæ, furfuris. Fomenta sicca ex milio frixo & sale in sacculum, ad tenuem aqueosumq; sanguinem Gal. nam leue, iucundū, & beneuolū est milium, & sanat aliquando dolores ad clauiculam & humerum. Ga. & eos qui ad hypochondria media, id est, partim humida, partim sicca hordeum & eruum madefacta in aceto diluto vt quis bibere possit, vel paulo acidiori, perfusa & feruefacta in sacculū. Furfur eodē modo. Ad crassos humores & lentos, & ad flatus. Ex his

2. Acu. 8.

13. Meth. 6 5. 4.

4. Auct. 28

de inter. af.

2 Acu. 7.

morsu carent milium, hordeum, farfur aduersus mordentes succos Gal. Mordent orobus, sal, acetum, ad humores crassos & lentos. Si fomentis non sedetur dolor, non diutius calefaciendum, nam siccant pulmones, id est, prohibent sputum & ad suppurationem excitant. Sed quamprimum euacuandum aut venæ sectione, aut medicamento purgante. Si dolor ad clauiculam pertigerit, aut grauitas molesta sit brachio, vel mannæ, vel partibus septo transuersis superioribus internam cubiti venam secare expedit, qua parte dolor afficit, & eousque sanguis auferendus, donec rubidior multo, vel pro puro rubidoque humidus fluxerit, nam vtrumq; contingit. Sed dubitatur de loco, & quantitate. Nam Arabes secant in opposito latere, quod constanter negat Gal. sed vbique seruandam esse rectitudinem corporis, quam Hip. cauxim vocat. Quamuis autem multæ sint controuersiæ apud recentiores, facilis tamen est conciliatio ex distinctione Rasis. Si enim plenitudo adsit cum imbecillitate virium, vt æger non possit ferre integram euacuationē, non tutum est ab eodem latere secare. Cum enim ex modica euacuatione non exhauriatur pars inflammata, attrahetur potius ad eandem humor ex reliquo corpore. Ideo præcipiunt Arabes, vt prius secetur vena in opposito latere, vt ad partem sanam reuellatur sanguis, deinde repetitio fiat ab eodē latere, vt pars affecta exoneretur. Vbi autem vires sunt validæ, & tuto & cito succurritur integræ euacuando ab eodem, vt Græci præcipiunt. Vbi partiri oporteat, quidam incipiunt à pedib. At plenitudo totius citius tollitur ex media aut interna brachii, quam ex crure. Huius gratia etiam in defectu mēstruorum aut hæmorrhoidarum, non ex pede primum, sed ex brachio. Contingit tamen aliquando in pleuritide maligna & venenosa, vt venæ sectio in brachio lædat, non si ex pede aut hæmorrhoidibus, vt quid im ex recentioribus notarunt in statu pestilenti, quia humorum prauitas minus nocet, si ad infernas partes trahatur. Sed vbi pau-

2. Acu. 2.

2. Acu. 10.
4 Acu. 73.

de su. mis. 16.

paucitas sanguinis adest, egeat autem particula exoneratione, Hip. in manu secat eiusdem lateris in pleuritide sicca. Nam ex venis exiguis non fit multa euacuatio spirituum. Trall. in his cucurbitulam affigit in latere dolente, cum scarificatione. *1. Morb.*

Quantitas autem sanguinis certa præscribi nequit pondere aut mensura, quia vires non omnino mensurari possunt, colliguntur ex impetu fluentis sanguinis, ne *de sa. mi. 13.* fracescat. Expulsu ne in paruitatem & inæqualitatem mutetur. Ex mutatione coloris in facie, quam sequitur syncope. Hippoc. obseruat sanguinis exeuntis colorem, cui hodie fidere non possumus, quia vires deficerent, vt plurimum initio sanguinis exit impurior & turbidior, cum succedit flauior sistimus. Si initio fluat rubidior ac tenuior, Gal. præcipit compescendum, si nigrior & crassior audacter euacuandum. Consentaneum enim rationi est, vt ex vena scissa sanguis exeat prius, qui impurior est, postea succedat sanguis purior ex arteriis per anastomasim. At exspectare vt exeat qui vitiatus est in parte inflammata, non est tutum. Si enim pars affecta distantior est, aut astricta, exibit plus sanguinis boni quam praui. Tempus mittendi sanguinis non præscribitur dierum *San. mi. 20.* numero, dummodo vires persistant, & affectus indicet. At in progressu vt plurimum debilitantur, febre, dolore, inedia. Et affectus mutatur infixis humoribus, & sub purulentis. Ideo Hip. inquit. Venam confestim secare oportet, cum nondum fixa sunt omnia quæ contristant. *4. Acu. 28. 2. Aph. 29.* Et cum morbi inchoant, si quid videtur mouēdum, moue. Si autem prætermissa fuerit in initio, licet aliquando posterius, sed minus Obseruandus cibus recens aut semicoctus in primis venis. Hodie ad cautelā præmittimus clysterē, quod si adhuc in ventriculo sit, Trall. vomitum præmittit, mox sanguis mittendus. Quidam ex recētio- *4. Acu. 21.* rib. lenienti pharmaco exonerāt primas venas, ne humores crudi in illis trahantur ex venæ sectione. At Hipp. id facit secure, & mediocriter post missionē sanguinis, eli-

genda est accessionis declinatio, aut hora magis quieta,
2. Acu 11. præsertim matutina, nisi celerius vrgeat. Si dolor partes infestat sub septo transuerso, nullumque signum fecerit ad clauiculam. Item si dolor sub thorace fuerit, valdeque
4. Acu. 76. infestauerit, pleuritico ventrem subpurgabis. Gale. interpretatur, si dolor descendat ad hypochondrium, id est, ad octo costas inferiores, ad quas peruenit vena sine pari. Purgationem præfert, quia venam non habemus propinquam, humor autem inferius vergit. Nam venæ sectio non tollit dolorem, nisi ad clauiculam perringat. Venæ
2. Acu. 8. enim brachii ex venis iugularibus oriuntur. Neque mirum pleuritidem descendentem ad hypochondrium infestare partes sub septo transuerso, & sub thorace, aliquando vsq; ad inguina: nam vena sine pare vltra septū transuersum protenditur. Sed Gal. in his quoq; præfert venæ sectionem in cubitu, verius purgantis vsum in princi-
1. Aph 24. pio ex Hipp. In acutis passionibus raro. Et inflammatio-
4. Acu. 21. nes seu supra septum, seu infra non solui medicamento
22. purgante, sed venæ sectione. An infixa euacuare nō licet, nisi coctione præcedente? Antequam humores ex toto sint infixi, licet purgante educere, ne figantur, quod in
3. Morb. pleuritide descendente præcipit Hipp. in initio. Nam inquit: Medicamentum conuenit, antequam sputum biliosum adueniat. Si post dederis, sputum sursum prodire nō poterit. Exhibebat Hip. elleborum nigrum, aut pepliū. Galen. hieram ex colocynthide, in qua elleborum recipitur, non scammonium. Mesues cauendum à mirabolanis, & cæteris astringentibus, quia retinent sputum: ob id securius est agaricum, quam rhabarbarum. Lenientia, cassia, manna, syr. violatus solutiuus, oleum amygdalarum dulcium, cum terebynthina, oleū seminis lini: nam anodyna sunt, simul & euacuant. Quidam potione sudorifica vtuntur, vt materia dispergatur in habitum corporis. Lignum viscicercini in puluerem, drachma vna, cū decoctione pectorali. Aliud. Flores papaueris, rheas, drachma vna pulueris cum aqua hordei, ad biliosam pleuritidem.

tidem. In germania vtuntur meri potione vini ex Reno, nam calefacit & dissipat in habitum corporis.

CAP. VIII.

Ad humores infixos in pleuritide.

AD humores in parte post venæ sectionem, aut purgationem non repellentia cõueniunt, vt in cæteris, nisi parcius ne in pulmonem & cor trudantur humores. Si roborare oporteat, victu potius consulendum, parcius astringentibus. Incidantur concoquentia, expurgantia persputum. Digerentia exterius, & extrahentia, aut suppurantia. Coctio à natura fit quiete; quam tussis prohibet. Ideo sedanda iis, quæ arteriæ asperitatem leniunt, arteriacæ confectiones vocatæ. Gummi tragacantha, glycirizæ succus, amilum. Mucillagines. Fiunt cum saccharo linctus, Græce eclegmata, quia lambuntur. Arabes loch. præcipue ex mucillaginibus. De psyllio ad acres humores. Diatragacanthum frigidum, calidum. Adiuuatur coctio arte. Ad bilem per refrigerantia & humectantia, Sy. violatus de endiuia, iuiubinus, de papauere, sed parcius Auicen. ne nimia frigiditate congeletur materia. Diacodion per somnum coctionem facit. Aqua hordei, violarum, endiuiæ, capilli veneris, qui Mes. modice astrictionem facit ad robur pectoris. Ad pituitam modice calefacientia: nam efficaciora augent fluxionẽ & febrem. Sy. de liquiritia, de capillo veneris, de hyssopo, oxymel, acetosus Sy. Decoctio ficuũ pinguium, dactylorũ, farfaræ, origani, hyssopi. Expurgantia per sputum, quæ facilem excreationem faciunt, relaxantia thoracem & mitigantia dolorem, inunctio ex oleo amygdalarum dulcium, butyro, vnguento pectorali, inimica frigida & astringentia. Robur musculorum augendus in valida tussi, augendo victum cum excreatio adest. Sorbitione ptysanæ. Non vbi valde siccus morbus. Nam tunc solus potus humectãs, aut post potũ modica sorbitio. Materiæ tenuioris incrassatio iis, quæ ad bilis coctionem dicta sunt. Crassioris au-

11. Met. 17.

7. Cat. 1.

7. Cat. 2.

2. Prog. 43.

De Ptis. vlt.

1. Acu 22. 23.

tem attenuatio, inciſio & abſterſio, per mitiora, vbi febris vehemētior, ex melle, oxymelite, efficacius per acria & amara. Iris, porrum, ſcylla, marrubium, nitroſa quædam, vt ſemen vrticæ. Ex quibus potiones & edegmata, loch ſanum & expertum, de farfara, diapenidion, diaireos, de ſcylla. Quorum exempla multa ſcribuntur à Gal. Externa remedia digerentia balneum aquæ dulcis poſt euacuationes ad bilioſos humores temperandos & in totum corpus digerendos. Fomenta dicta in principio, non prius quam ſputum aduenerit, ſed cum pus expurgari inceperit, latus calfacere expedit, & ſotinſecus maturare. Cum iudicationes ſunt, dolentes locos humidis fomentis tepefacito, & oleo illinito. Poſt inunctionem inſpergendi puluere digerentes, ex aniſo, cumino, ireos, vehemētiora quoq; ob profunditatem, ſulphur, ſinapi, ſtercus columbinum, calamētum, ruta in cataplaſmate, quæ & extrahunt. Theriaca cum medulla panis calente ex furno ad malignas, præſertim in dorſali adhibita pectori & dorſo. Trall. & Aetius extrahunt per cuburbitulas loco dolenti & circa cum ſcarificatione, & vnctis vlceribus ne coaleſcant, ſingulis diebus repetunt, vt ſanies profluat; ſic n. prohibetur ſuppuratio, quo ſolo remedio multi ſanati. Si dolor perſiſtat, melius eſt ſuppurationem tentare, nam minus lethalis. Hip. Suppurentia calida & humida emplaſtica fomenta & cataplaſmata ex radice altheæ, ſeminis lini, fœnugræci, meliloti, farina hordei, pinguedine. Pus confectum ſatius eſt valentioribus digerentib. extrahere, quam latus aperire. Si non licet ob vomicæ magnitudinē, melius extra aperire, quā rumpi interius. Hip. inquit, in lateris tuberculo, vbi tumor deſe præbuerit ſignificationem, ſecato aut vrito, & poſtea pus paulatim emittito. Si ſpōte vomica intus rūpatur, pus per ſputum educendum, remedia dicenda in empiemate. Inter ſymptomata, ſi vrgeat febris, vt in erysipelate, conuenit aquæ frigidæ potus, Gale. licet actu frigida ſint inimica pectori & inflammationib. Alioqui

non

non ſedanda febris, niſi ſeptem dies trāſierint, quod fa- *de lo. in ho.*
cit per clyſteres, & balnea.

Si dolor vrgeat, nec ſedetur per vere anodina, conue- *7. Catar.3.*
niunt quædam obſtupefacientia, vt diacodion. Conce- *1. Ac.44.*
duntur quoq; opiata quædam, victus inſtituendus ad cu- *1. Aph. 7.*
ſtodiam facultatis vitalis, facillimæ coctionis ne diſtra-
hatur natura à coctione morbi, & quia ſummi labores
ob ſymptoma prohibent coctionem cibi. Facilius autē *2. Aph. 11.*
eſt implori potu quam cibis. Ideo potus ſolus in acutiſſi-
mis ſi vires validæ. Mulſa dilutior, nā meracior ſpumoſa *3. Acu. 13.*
reddit ſputa. Acetū mulſum, vel acetū & aqua, quā plu-
rimum, & humectatio fiat, vnde excreatio. Oxymel æ- *de lo. in ho.*
ſtate frigidum, hyeme calidum. Quod ſi multa ſitis fue- *1. Ac. 43.*
rit, melicrato vtendum & aqua: aqua hordei, paulatim *4. Ac. 71.*
& frequenter 2. Mor. Si vires imbecillæ, addenda ſorbi- *1. Acu. 22.*
tio ex cremore ptiſanæ, quæ lædit vbi valde ſiccus morb.
ſine ſputo, ideo præcedat potus vberior, ſequatur ſor-
bitio partior. Cum ſputa procedunt, augenda ſorbitio,
minuendus potus vſq; ad iudicationē pro augmēto ſpu-
ti. Sed oppoſitū videtur ſtatuere, cū inquit. Detractioni *1. Ac. 25.*
incumbendū magis quam adiectioni, & quod inquit. In *2. Acu 37.*
ſtatu & parum ante ſubtrahendū. An declinatio eſt, cum *1. Aph 8.10*
ſputa procedunt? minuitur enim dolor. At ſi tempora *1. Ac. 27.*
conſiderantur ſecundum coctionem ſputi, non ſunt in *& 2. Ac. 13*
declinatione. Non dicendum alia eſſe tempora coctio- *1. Cri. 18.*
nis, alia ſymptomatū. Nam eadem ponuntur ab Hip. cū *1. Aph. 8.*
inquit: In ſtatu labores extremi, quo tempore Gal. teſta- *1. Aph. 7.*
tur, coctiones maxime fieri. Et cum inquit. Circa initia
& fines omnia imbecilliora, cū vero cōſiſtunt omnia for-
tiora. An nō vnus eſt morb. inflammatio? alius enim eſt *2. Aph. 3.*
organicus in magnitudine vel in numero quādo cōuer-
titur in abſceſſum per ſuppurationē, alius eſt ſimilarium
in intēperie cum materia, morbi organici tēpora nō pe-
nes coctionē conſiderātur, ſed penes ſymptomata. Co-
quitur enim tantū modo materia morbū ſimilariū faci-
ēs. ideo tremore diminuto aut per venę ſectionē aut pur-

2. Prog 52. & 1. Ac. 27. 33. gationem, aut excreationem, aut aliis remediis, dolor desinit. Quo declinante augeri potest victus, nam qui relinquitur per coctionē soluēdus, melior est, & quo morbus est melior, eo pleniorem victum fert. Verum si tendatin suppurationē non adhuc in declinatione est: dum enim pus conficitur, dolores magis fiunt. Variandus igitur victus est pro diuerso genere morbi, vehementia, & temporibus. Vbi vehemens dolor & nullum sputum, solus potus conuenit. Vbi remittitur & excreatio talis, qualem oportet, addendus cremor, augendusq; pro augmento sputi, vt vires augeat ad execrationem & in eodem victu cōseruandus, donec iudicetur, & post iudicationem duos

de Pti. vl. 1. Ac. 25. dies. Postea mane detur sorbitio; vesperi autem ad alia cibaria transferes. Pro ptisana milii succus conceditur, aut

2. Morb. auenæ cremor. Trallian. Dioscor. Gal. concedit pisces saxatiles

1. Acu 27. & asellos ex aqua coctos cum marrubio, anetho, & sale, sed ad incisionem & absterſionem antea dandum oxy-

2. Morb. meli & alia maturantia sputum, singulis diebus, & bis

3. Acu. 4. in die, si consuetus sit. Vinum dulce, album, mollissimū, odorem non habens.

CAPVT IX.

De Pulmonis constitutione.

6. vs. pa. 2. PVlmo Græce pneumon à spiritu appellatur, est enim instrumentum respirationis & vocis. Caro laxa, fungosa, mollis ex triplici genere vasorum contexta, vena, arteria, aspera arteria.

Exoritur à spina dorsi circa basem cordis vndiq; pericardium amplectens, diuisus in dextrum & sinistrum distinguente membrana thoracis cauitatem ab osse pectoris ad spinam, quæ Mediastinus appellatur. In sinistro latere duo pulmonis lobi, totidem in dextro, addito tertio

6. vs. pa. 4. paruo iuxta venam cauam, spiritum externū pulmo excipit & reddit per asperam arteriam, frequentibus ramis in omnes lobos disseminatis iuxta venam & arteriam, vt cordis calor in mediocritate conseruetur. Gal. putauit, vt

amplius

amplius eo spiritu nutriretur spiritus animalis. Quam sententiam refellit Arist. non nutriri ignem, qui intus est spiritu, sed spiritum fieri humorib. in calescentibus, attolli & deprimi, vnde pulsus & respiratio. Ferturigitur ex corde sanguis feruidus per arteriam ex dextro vētriculo, quam Gal. venam arterialem vocat in pulmonem, iterūque cordi redditur per venam ex sinistro ventriculo prodeuntem, quam Gal. arteriam venalem vocat, interim in itinere contemperatur ab aere frigido inspirato in asperas arterias iuxta venas & arterias, vt circulatione quadam sanguis perficiatur in naturam spiritus, prius in dextro ventriculo deinde in sinistro. Ideo vas educens è corde vena arteria est ex duplici tunica, vt spiritus non euanescant. Vas introducens vena est ex vnica tunica constans, quia sanguinem iam refrigeratum continet. *De resp. 2.* *6. vsp. 10.*

Nec verisimile est pulmonem tanta copia sanguinis egere ad sui nutritionem, vt putauit Gal. est n. præ cæteris viscer ibus sanguine refertissimus, cum tamen exigua sit eius substantia ferme inanis. Principium autem respirationis à sola facultate animali pendere asserit Gal. motu voluntario per musculos, Arist. Principium motus augmentato calido, in quo principium nutritiuum. Nā hoc amplius factum necesse est eleuare organum, Gal. agnouit quoq; hanc causam, sed tanquam finalem accepit, nō efficientem. Patet autem veriorem esse sententiam Arist. in motu respirationis, qui reseruatur in apoplexia, & cōuulsione vniuersali. Adiunctus tamen est motus voluntarius per musculos, vt interim seruiat aliis operationib. vt voci, & ad continendum spiritum in magnis conatib. Læditur autem respiratio vel ob augmentum & decrementum caloris in corde existentis, vel vitio neruorum facultatem animalem præstantium, vel ob vitia pulmonis, quod proximum est respirationis instrumentum, aut ob angustiam cauitatis thoracis, aut ob thoracis dolores, vel tumores, *de mo. tho.* *& Pul. de vit & Mo. vlt.*

CAP.

CAP. X.

De Peripneumonia.

2.dif.ref 11. 2.Meth.1. Lib. Def. PEripneumonia seu pulmonia videntur differre. An pulmonia significat omnes affectus pulmonicos, asthma, tuberculum, vlcus? Peripneumonia autem est pulmonis inflammatio. Circumscribitur per signa. Cum febre acuta, spirandi difficultate, rubore in malis, quod signum proprium & inseparabile est. Differentiæ ex effectu. Phlegmone, erysipelas. Sicca vel humida. Magis à sanguine crasso vel pituitoso; quia caro laxa, mollis vndique vacua, ideo tenuis humor præterlabitur. At Mesues magis a flaua bile, quia nutritur sanguine tenui bilioso, & membrum bilioſum. An pulmo floridum sanguinem tenuem & vaporosum recipitá corde tantum? ideo purissimum. Sed recipit defluxionem a capite, vnde vtplurimũ afficitur. Paul. An defluxio pituitosa à capite per vias latas fit, replens bronchia, quæ si putrescat accersit sanguinem, bilioſa autem magis per membranas sit vt in angina, pleuritide. Intumescit autem pulmo ex erysipelate, quia sanguinem multum attrahit ex magnis venis, aliquando spiritum tantum in orthopnæa sicca. Varix aliquando pulmonis fit, ex sanguine melancholico cum tussi sicca, insequitur febris & rigor ad vtrunque. Tuberculum quoque pulmonis à sanguine aut pituita salsa, cũ congesta fuerint. Inquit etiam: fit erysipelas in pulmone, vbi plurimum resiccatus fuerit: tunc plurimum sanguinis in seipsum trahit ex magnis venis, & ex aliis vicinis, hinc febris & rigor. Per alias vicinas intelligendum est per mediastinum ex vena caua. Iterum: Cum bilis à capite fluxerit in pulmonem, per guttur & arteriam, pulmo tãquam natura rarus & siccus trahit in se humorem, quantum capere potest, vnde maior redditur, vt eius extrema latus contingant, adeo vt aliquando agglutinetur lateri & pleuritis sicca gignatur. Differentiæ ex loco affecto sic considerantur à Galen. Quædam in vasis, vt venis, arteriis,

1.Morb. 4.ca.pn. 12 6 Vſ.pa.10. De inte.af. 4. Acu. 31. Int. aff. 1. Morb. de lo. in ho. 4.Præſ. 2.

arteriis, broncheis, quædam in intercapedine. Aetius addit, in mediastino: quæ forte pleuritis dorsalis est apud Hipp. in vno latere vel in vtroque. *3. Morb.*

Propter hoc ambigit cum pleuritide. Inquit enim Hipp. cum in vno latere est, pleuritis vocatur, cum in vtroque peripneumonia. Contingit autem hoc quando pulmo agglutinatur membranæ subeingenti. Pleuritis enim dicitur, quia membrana affecta est, licet non primario. Cum in vtroque, significat totum pulmonem tumefactum ex repletione venarum. Vnicus enim truncus tam venæ quam arteriæ ramos distribuit in omnes lobos. Causa fluxionis efficiens vt in pleuritide. Frigiditas comprimens, constitutio Aquilonia. Hyems, repellentia adhibita. Caliditas attrahens, in vehementi motu pulmonis, tussi valida. Coba plasmata fundentia non extrahëtia ad anginam applicata. Particulæ laxitas, vt in pueris, imbecillitas in declinante ætate. Signa pathognomonica quinque, vt in pleuritide. Duo prorsus eadem, febris acuta & tussis aliquando sicca, aliquando cum sputo magis pituitoso, colorato ex bile aut sanguine. Reliqua tria differunt ratione partis. Respiratio difficilis ob angustiã instrumenti inflammati, vt suffocari videantur, aliquando cum orthopnæa. Nam ob tensionem comprimi nequit, neque amplius dilatari, licet magna adsit thoracis dilatatio, paucum tamen aeris capit, ideo celer & frequẽs, cum stertore: augetur necessitas ex febre, cum efflatione calidioris spiritus, & desiderio aeris frigidi in erysipelate. Pulsus magnus, languidus, mollis, ob pituitam, & pulmonis laxitatem, aliqua durities ex bile & sanguine: inæqualis ob compressionem arteriæ prope cor, in crassis humoribus magis, intermittens, intercurrens, vndosus, vermiculans, cum immodica humiditate pulmo computatur. Dolor grauitati magis similis, profundus, ex imo ad pectus & spinam pertingens, ob neruorum exiguitatem. Quandoque inter ambas scapulas, quandoque sub scapula pulsatio communicans iugulo & mammæ, præsertim *Lo. in ho.* *3. Aph. 5. 6.* *2. lo. aff. 9.* *4. lo. aff. 7.* *3. dif. ref. 12* *4. ca. pn. 12* *4. Prof. 3.* *2. Prof. 9.* *2. lo. af. 4.*

tim in tussi Auic.& Hip. Quandoque dolorem non sentiunt donec tussire inceperint. Quandoque delirium, quandoque sopor. Auic. addit signum inseparabile. uborem cocci in malis, ob floridum sanguinem pulmonis. Rubet & lingua, postea nigrescit. Paul. oculi intumescunt, supercilia deorsum nutant, cornea pinguescit, Aet. nasus timus in summo. An quia narium pinnæ attolluntur? signa loci affecti, dextri vel siniſtri, rubor in mala eiusdem lateris. Dolor vel grauitas. Non sustinent decubitum in opposito latere, nam sentiunt veluti pondus suspensum, quod signũ prolapsi pulmonis ad latus. Hip. in vtroq; grauitas sub vtraq; scapula vel iugulo, vnde totus pulmo suspensus pendet. Mediastini signum dolor dorsi & pectoris acutus. Biliosæ signum, æstus. Erysipelatis pulmonis maximum signum, frequenter re frigescere, quod fit ob sanguinis repentinam mutationẽ. Pituitosæ febris mitior, sputa aquosa in pueris, mulieribus. Melancholicæ vomunt pituitam acidam, quæ obstupefacit dentes, murmur in pectore. Prognostica. Periculosior est pleuritide, vt plurimum lethalis ob necessitatem respirationis, & cordis vicinitatem. Si virtus imbecilla, aut ex morbo præcedente ex pleuritide aut angina, in septem diebus pereunt, si effugerint suppurãtur. Si velit residere æger in vigore pessimum grauedines & sternutamenta præire vel subsequi malum, nam per membranas materia communicatur pulmoni ex naribus. Sputi retentio circa statum auxilium non habet. Salutaris screatio flaua nõ multo sanguini permixta inter initia. Vrinæ crassæ & multæ. Dubitat Gal. de via ad vrinas, putat transire oportere per cor. An facile per venã sine pari, aut cauam in dorsõ transumi potest? nam cum dolor pertingit ad inguina minuũt vrinam subauctam. Hip. Abscessus post aures, vel ad inferas sedes.

2. & 3. Morb.
3. Prog. 20. & 7. Aph. 12.
4. loc. af. 7
2. Morb.
inter. aff.
2. Morb.
int. aff.
loc. in. ho. 19. Meth. 3.
3. Aph. 10.
1. Prog. 20.
2. Prog. 49.
4 Ac. 78.
6 loc. af. 4.
2. Morb.
2. Prog. 64.

CAP.

CAP. II.

Curatio Peripneumoniæ.

CVratio eadem cum pleuritide. Hip. Differt ratione partis. Non fomenta anodina. Statim venæ sectio ex vtroq; brachio Ac. n. si affectio fuerit in altero tantũ. Non si successerit ad anginam vel pleuritidem, etiamsi dimissa fuerit ab initio Paul. At si pulmo venas recipit ex corde tantum, minus iuuabit, quam in pleuritide descẽdentes. An venæ cauæ nexus cũ mediastino & radice pulmonis exonerare potest? recentiores extollunt sanguisugas ad hæmorrhoidas ex Hip. qui inquit. Peripneumonia non capiuntur, qui venis sanguifluis laborant. Cucurbitulæ dorso & pectori cum scarificatione faciunt pro venæ sectione Paul. Purgatio ex elleboro nigro, non vltra quintum diem: nam si multus humor infra decedat à quinta die, mortem inducit, quia supernæ partes siccatæ sputi purgatione priuantur. Si non probè succedat sputũ, purgandus est per superiora elleboro albo, sexta, septima, & nona die & vlterius, aut simplici vomitorio. Clysteres alternis d ebus ratione febris. Nam infernã aluũ neq; valde suppressam esse oportet, ne febres fiant acutæ, neq; valde egerere, quo sputũ sursum educi possit. Hæc eadem in pleuritide obseruanda diximus. Ad humores collectos extrahentia ex profundo, relaxantia admixtis acribus, vt cutis aliquãdo exulceretur. Paul. itidẽ inspergit cerato, cyprino, ruraceo, nardino, medullam cerui, resinam, butyrum, œsipum. Hip. Balneum aquæ dulcis, inquit, peripneumoniæ magis confert, quam febri ardenti. Nam leteris & pectoris, & dorsi dolorem mulcet, sputũ maturat, educit, spiritũ facilem reddit, vrinas ciet, & alia multa cõmoda. Sed si non rite paretur, valde noxiũ. Gal. modũ nõ percipit, ideo hodie perditũ est remedium præstantissimum. Hippocr. modus est. Sit tectum sine fumo, via breuis, facilis ingressus & egressus, aqua copiosa multiplici mixtura calidæ & frigidæ. Sedeat æger

loc. in hom.

3. in. 6. Epi. 37.

4. Acu. 79.

3. Morb.

Int. aff.

11. Meth. 17

2. Gl 2.

3. Acu 58.

ger tacitus: ministri crebris perfusionibus sine absterſione perfundant totum corpus, caput quoque, neq; ſinant perfrigerari. Senſim procedant ad calidiores perfuſiones, & ſenſim reuertantur ad tepidiores. Spongijs aſtergere, inungere, ſemel vel bis in die ante cibum. Nocet in alui profluuio, & in nimis ſicca. Alibi idem Hip. ſi in principio non affueris, lacte ipſum craſſefactum in pectore ac dorſo vrito, ita non maxime à morbo liberari poterit. Et paulo poſt inquit: In pectoris diſruptione ſtatim lacte in potu dato, pectus & dorſum inurendum, nam celerrime ſanatur. Huius exemplo Arnaldus ad ignem ſine fumo calfacit pectus & dorſum, ſed remedium inualidum. Ad erysipelas pulmonis. Corpus refrigeretur betis aqua frigida tinctis & impoſitis, aut linteis ex aqua frigida expreſſis, maxime in recenti dolore, ſi non ſatis eſt. Terra figularis ſoluta in aqua frigida in cataplaſmate: decumbat ſub dio, vt frigidum inſpiret. Aquæ frigidæ potus, non aliter ſanaueris, quantum haurire vnica inſpiratione poſſit.

Si effugerit ſeptimam, tepefactoria adhibebis, vt in pleuritide, fomenta humida, balneū, inunctiones, & purgantia per aluum, ſputum. An & per vrinas, ſi eo vergat? Alioqui calefacientia nocent affectui & febri. Si prius extinxeris, iuuant. Expurgant per ſputum humectatia pulmonem. Si permittitur ſiccari pulmo, vt ſputum nō reiiciat, durior fit, & perimit. Oppoſitum videtur Aet. dicēs, Humiditas noxia pulmoni, conuenit exiguus potus. An ſoluit Gal. Ad humorē diſtillantem, tuberculum, & abſceſſum ſiccantia conueniunt. Ad humores craſſos in bronchiis multus potus & crebrior. Vomitorium ad ſputum prouocandū Hip. ex melle, lacte, aceto, aqua tepefactis cū ramulo Origani. Bibat poſt balneū aut ſenſim infundatur per fiſtulam appræhēſa lingua, ſimul humectat & irritat. Eclegma ad craſſos humores, ex Galbano, nucleis pineis, melle Attico. Abrotonum ex oxymelite. Panax feruefacta & percolata ex oxymelite. Amygdalæ amaræ plurimū conterant. Gal. Hip. Si ſpuere nō poſſit, & ſtertat

sterrat in pectore, ari radix leuigata ex oleo & aceto, & superbibat acetum aqua dilutum, Aet. ad idem. Sæpius assumat duo cochlearia aquæ mulsæ, in qua decoctum sit hyssopum, inspersonitro & iride sicca, cum oxymelit. liberat ab imminente suffocatione. Paulus mitigatorio vtitur, assumat butyrum recens tribus cochlearibus. Hodie eclegma mitigatorium, amygdalæ dulces, semina communia leuigata ex oleo amygdalarum dulcium, addita manna & iulep violato, vt lingi possint, & appellant vulgo sauoneam. *Ali. fac. 3. Morb.*

Victus plenior, quam in inflammatione hepatis, & ventriculi, quia non totum nutrimentum fertur ad pulmonem, vel solus potus vel addito cremore ptisanæ cum melle Attico, vel Hispano, quod hodie magis laudatur, & reliqua, vt in pleuritide dictum est. *11. Meth. 17*

CAP. XII.

De Empiemate.

EMpios græce, latine suppuratus dicitur, cum magna ad costas inflammatio suppurat, vel in pulmone, vel in aliquo viscere. Empiema, id est, suppuratio est ipsa affectio, quæ & empiesis dicitur. Reponitur inter abscessus, quæ apostemata græce dicuntur, quamuis hodie hoc nomine omnes tumores præter naturam intelligantur. Abscessus autē duplex est. Vnus cum phlegmone in pus versa, pus ipsum tam quam in sinu aliquo est collectum. Alter, cum absq; phlegmone humor aliquis statim ab initio colligitur sua acredine circumposita excorians & sinum sibi constituens inter duas tunicas vel membranas. Morbus est in numero simul & in magnitudine, & solutione continui. Alio modo apud Hip. Apostasis accipitur, cum corpora abscedunt, idem quod solutio continui, vel cum humores migrant in aliquam partem, abscessum vertunt inter criticas solutiones. Suppurati fiunt, cum plus influit in pulmonem quam defluat, nam retentum aut putrescit, aut in pus vertitur, quod melius *4. Ca. pu. 9. 2. Prog. 53. 57. 14. Met. 12. 3 de iis qua in medic. 1. 2. Prog. 67. loc. in hom.*

est. Pus in pulmone & thorace consistens vlcerat, & putrefacit, vnde ab vlcerato effluit, & concussione per tussim fluxionem à capite accersit, ex quo duplicatur affectio. Si pulmo in diebus iudicatoriis nō fuerit purgatus, suppuratur, si dolor non desinat. Fiunt etiam suppurati ex defluxu pituitæ à capite, si putrescat, & ex sanguine egresso ex venis. Signa incipientis. Rigor, febris, tussis sicca per multos dies, dolor lateris aut pulmonis perseuerās, alibi inquit, rigor, febris vehemens, pondus. Dū pus conficitur dolores & febres magis, quam pure cōfecto, antequā pus erumpat, antecedit dolor, spirandi difficultas, excreatio vehemens, orthopnæa, deinde pus erūpit, & multum expuit, sæpe etiam velut araneorū tunicas, sæpe suberuentum. Prognostica. Disrumpuntur vt plurimum die 20. 30 40. 60. Si cum pure fiat excreatio biliosa, exitiosum est. Puris inæqualitas imperfectā coctionem significat, aut malignitatem Gal. Si à puris excretione febris non deserat, aut cum videatur desernere, denuo recalescens innotescit, & sitiunt, nec cibum appetunt, aluus humida, pus viride, liuidum, vel pituitosum spumosumque, pereunt citius vel tardius, pro ignorum multitudine. Sanantur, si opposita appareant. Si febris eadem die dimiserit, si cibum citius appetunt, non sitiant, venter exigua & compacta, pus album, leue & concolor, & vacans pituita, si absque labore & valida tussi.

Contingit aliquando ex pulmone non expui pus, sed rumpi in thoracem, vnde sani esse videntur, quoniam ex angusto in amplam capacitatē effusum est, ideo melius spirant. Sed progrediente tempore pectus pure impletur, vnde tusses, febres, & dolores. Hi si intra 40. diē non repurgantur, in tabem transeunt. In annum prorogatur morbus. Purulenti ex pulmone maiores natu potius intereūt, per alias suppurationes minores natu potius. Oppositū videtur alibi cum inquit. In seniorib. facilius expurgari pus ob raritatē pulmonis, & arteriæ amplitudinem,

nem, & affectus imbecillitatem, at non penitus liberantur, sed longo tempore afflicti pereunt, cum alio superueniente augetur affectio. Quod non contingit iunioribus, nam si cito non intereant, sanantur. Curatio. Pus expurgare, sinum carne replere, quod est glutinare. Vlcus siccare. Expurgatio puris per sputum tussim inducendo, vt primum rumpatur vomica. Hip. infundit in os extracta lingua ari radicem cum sale, oleo, aqua & melle tepida, & postea humerum concutit, si ab his pus erumpat bene est, sin, alia acriora medicamenta infundit, postea cibis salsissimis & pinguissimis vtitur, vt vomat, & suffitū adhibet ex lacte, vino, succo Sii. Tussilagis radix & folia suffita, vt fumus in os trahatur, vomicas pectoris rumpit Dios. Postea lambat butyrum & resinam in melle liquatam Hip. & interponat potiones incidētes ex saluia, ruta, origano, satureia: amygdalæ amaræ, semē vrticæ & thus, origanum in vino albo, melle & oleo mōdico, licet & per medicamenta purgantia. Pau. Hieram ex cólocynthide vesperi dormituris. At Hipp. purgat per superiora ex elleboro albo cum vino dulci, & postea exhibet sorbitionem ex lente, vt vomat. Exterius cum pus in cauitate thoracis fuerit, nec satis per sputum expurgetur in diuturniori affectu, sectio inter costas, qua parte ex concussione sentitur fluctuatio; tutius in sinistro latere. Ad huc tutius si extumescat ad latus, quod in externis suppurationibus contingit, si hoc fiat secato aut vrito, non effluat totum. Sedanda tussis, ne pus reuellatur ad pulmonem. Post decem dies, toto pure emisso, intromittendum vinum, & oleum, ne pulmo repente siccetur. Si pus effluat fœtidum, praui coloris, moritur postquam effluxerit. Si locus non cognoscitur, linteum tepidum imponitur ex terrā Erethria liquata. Nam vbi primum exsiccatur, secandum aut vrendū proxime ad septum transuersum, ipsum cauendo. Super vstionem porrū tritū, per diem finito, vstio tutior quam sectio. Sinus repletur victu glutinate, & siccāte, potu mō

2. Morb.

2. Morb.

2. Morb.

2. Morb.

3. Morb.

Int. aff.

dico. Remedia ad vlcus dicenda in phthisi. Alium sectionis modum ad pus in cauo thoraci & aquas educendas tutiorem tradit Hip. inquit enim: Facti sunt multi pectore suppurati tuberculis obortis, quibus in principio tussis sicca & fauces exasperari videntur, succedit rigor & febris, & orthopnæa, & corpus intumescit, & pedes tument, & vngues contrahuntur, & donec quidem in superno ventre fuerit aqua, adest dolor acutus, postquam autem ad infernum ventrem venerit, melius habere sibi videtur, sed progressu temporis patitur qualia prius implecto ventre. Hoc cognito in vtro latere fluctuatio sẽtitur, tertiam costam ab vltima secato vsq; ad os, deinde cũ terebra caua vltra perforato, & vbi perforata fuerit, aquę parum emittito & linamentũ ex crudo lino indito, su ꝑimposita molli spõgia, & ne excidat deligato. Emittere autem oportet per duodecim dies semel in die, deinde tota aqua emittenda est, & si noua subnascatur, emittenda. Interim ventrem cibis resiccare oportet.

Int. aff.

CAP. XIII.

De Asthmate.

Asthma, anhelatio, suspirium, creber anhelitus, densus spiritus idem significant. Aliquando simpliciter spiritus vocatur, pneumatias. Dispnea mitior affectus. Orthopnæa, id est, recta ceruice spiratio, grauior est, nomen symptomatis etiam in febribus, in peripneumonia, angina, asthma sine febre tantum, crebra respiratio cum magna dilatatione thoracis, vt contingit iis, qui vehementi cursu defatigati sunt. Causa proxima, angustia instrumentorũ respirationis, qui morbus est in meatibus. Angustiæ causa, corpus cauitatem replens, vel in cauo thoracis, vel in brõchiis, humor, pus, flatus, tumor comprimens. Auic aliquando sola coarctatio pulmonis à frigore, siccitate, vt in senectute. Arist aliquando à dolore conuulsiuo 4. in 6. Epi. 4. Humor aut serosus pituitosusque multus in thoracis cauitatẽ subito confluẽs:

Synonyma.
3. dif. res. 12. 13.
6. Aph. 46.
7. Catat 6.
Cã proxima.
1. dif. res 11.
Vit. & mo. 1.
4 loc. af. 8.

aut

aut crassus, & glustinosus in bronchiis contentus. Pus vt plurimum ex pleuritide suppurata, in cauitate thoracis flatus Auic. & Hipp. Quibus orthopnæa sicca pus non subit: sed à spirituum intercłusione, & in angina, spiritu implet, orthopnæam parit. Tuberculus crudus pulmonis, vel thoracis ex humore frigido, aut paulatim congesto, aut ex erysipelate refrigerato. Si prope spinam exoriatur, gibbi ex asthmate fiunt. Tumores septum transuersum comprimentes, in hydrope, lienosis, grauidis, per consensum. Obnoxii pueri post dentitionem, & ante pubertatem. In ætate declinante, vtrique propter defluxiones. Senes etiam propter pulmonis refrigerationem & glutinosos humores. An & propter siccitatem? Arist. vbi inquit. Quæcunque faciunt pulmonem durum, aut propter abscessus, aut exeremenla, aut febres, densum spiritum faciunt, quia non possunt pulmonem longe attollere sursum, & demittere, tandem autem quando non amplius possunt mouere, moriuntur expirantia, & subiungit. Iuuentus est primæ refrigeratiuæ particulæ, id est, pulmonis augmentatio. Senectus autē huius decrementum. Ex largo sanguinis profluuio orthopnæa, aut ob solam refrigerationem, aut ob aquosum sanguinem effusum in thoracem, vt in hydrope. Qui tractant argentum viuum, quia humorum colliquatio fit. Inspiratio putridorum, puluis tritici, aer subterraneus conclusus. Fungi. An quia coarctant meatus pulmonis, venenosa qualitate. Differentiæ ex loco affecto. Pulmone, thorace, cauitate, proprio affectu, ex tumorib. infra septum per consensum. Ex causa. Humore, pure, flatu, tuberculo, venenis. Proprie orthopnæa est, quæ ab humore viscoso fit. Quædā p interualla accedit, & recedit Cels. ex distillatione, aut interceptione spirituum, & cum augetur necessitas respirandi. Signa pathognomonica manifesta ex essentia. Crebra & parua respiratio sine febre. Magnam alibi vocat, quia magna fit thoracis dilatatio, Parua autem, quia paucus spi-

1 *dif res.11.* 4. *Ac.21.31*

6. *Aph.46.* 4. *lo. af. 4.* 3. *Aphor.* 26. 30. 31.

De Vi. & mo.1.

9. *Meth.10:*

Differ.

7. *Catat.6.*

Signa.

2. *dif.res.7.* 3. *dif.res.5.*

ritus inſpiratur. Recta ceruice, & velox, quia ſic augetur
4.lo.af.4. cauitas pondere viſcerum. Spiritum ſublimem vocat
2 in 1. pror. 53. Hippocr. Galenus, quia coguntur reſpirare ſuperioribus thoracis partibus eleuatis. Celſ. dolorem adeſſe in pectore, præcordiis, interdum & in ſcapulis accedere, & recedere. At Galen. ſine dolore eſſe. An ſi dolor adeſt,
1.dif.reſ.11. ex motu violento contingit? Tuſſis inſequitur eam, quæ
6. Aph. 46. ab humore, vel pure, vel tuberculo, quando mollior eſt,
3.lo. af. 8. non, ſi durus & ſiccus: neque à ſiccitate fiat, aut à flatu. Stertor ab humore glutinoſo in bronchiis. Tuberculus incipiens ſine ſtertore increſcente affectu gibbi fiunt,
3.lo.af. 7. & ſterrunt. Hippocr. Stertunt & in apoplexia, at non crebra reſpiratio. Stertoroſa omnis, quæ ex anguſtia ſit. Sonitus ex humore grauior, & inæqualis ex ſola anguſtia acutior æqualis. Quæ ex humore glutinoſo, non ſubito irruit, nam craſſeſcit paulatim: aliquando in tantam duritiem, vt veluti grandiuis ex brõchiis excernãtur nunc tenuiores, nunc craſſiores. Trall. lapides. Ex humorib. tenuibus, & ſeroſis ſubita acceſſio ex defluxione, tuſſis vehemens cum paucis ſputis tenuibus, cum craſſeſcunt, facilior fit. Puris ſigna dicta ſunt in empiemate. Flatus tenſio permutabilis ſine ſputo, deſinit demiſſo flatu, vel inſenſibiliter. In cauitate thoracis, quodcumq; corpus fuerit, difficilis inſpiratio. In pulmone difficilis expiratio, ex frigiditate, aut ſiccitate, tã inſpiratio, quam expiratio Auic. Tubercuſi incipientis ſæpe nulla læſio, niſi in curſu. Si comprimat arterias, pulſus inæqualis, intermittens vt in Antipatro contigiſſe ſcribit Gale. Creſcente ſtertoroſo fiunt aliquando gibbi, aliquando ſpirituum interceptio. Ex venenis, ipſæ cauſæ. Prognoſtica. Quæ ex humore fiunt, ſanari poſſunt per excreationem, aut per vrinam, ſi tenues ſint, & aquoſi. In valde ſenibus nõ concoquuntur. Ex tuberculo plurimi intereunt, aut ſuffocati ante pubertatem, aut per ſuppurationem, citius, qui cum tuſſi, quia citius ſuppurantur.

Prognoſtica.

2. Aph. 40.
6. Aph. 46.

CAP.

CAP. XIV.

Curatio Asthmatis.

ASthmatis curatio diuersa ad diuersas affectiones. Eadem in paroxismo ad symptomatis mitigationē: tuncenim blandiendum potius est, quam curandum. Mes. Omnib. conuenit inspiratio acris frigidi ad auram, nudato thorace, & flabellis perflando, sedeat tacitus, haustus aquæ frigidæ, vt sedato feruore minuatur necessitas respirandi. Interim arteriacis vtendum ad facilem expurgationem, & reuulsionibus ad crura, per vincula & frictiones. Sedato symptomate remedia ad affectiones. Hic dicenda, quæ ad affectus thoracis faciunt, non quæ per consensum. Ad humores replentes, euacuatio prius à toto, deinde à parte. Venæ sectio vbi vrget necessitas Pau. An vrget vbi pulmo est valde repletus sanguine vel spiritu ob caloris abundantiam, cum non sufficiat inspiratio frigidi aeris. Vrget in orthopnea sicca ob spirituum interclusionem. Auic. ex sinistro brachio, vbi ex corde. Hipp. ad pulmonem præ calore tumentē prius adhibito clysteré, inquit, vena in cubitis secanda, in naso, lingua, & omni parte corporis: postea potionibus frigefactoriis vtendum, & vrinam cientibus. Mesues ex opinione Isach, non in principio, vt Pau. sed post quartam purgationem secari oportere, si plenum corpus & tempus annuat, vbi materia calida est & sanguinea. At ex Hipp. sufficit clystere prius ventrem inferiorem inanire. Nam pharmacā tutius adhibentur post venæ sectionem. Nec Rasis, nec Aet. meminerunt venæ sectionis in asthmate, quia proprie asthma ab humoribus frigidis fit. Purgatio sæpius iteranda præcedentibus alterantibus in crassis Ras. Ad tenues humores & calidos trochisci de violis, cassia, manna, sy. violatus solutiuus, oleum amygdalarum dulcium, terebynthina, serum lactis. Auic. Hieram pi.

4. Aet. 21.
3. Morb.

Ad crassos prius per vomitum Aet. ex Archig. & Ras. & Hipp. Dolores supra septum per superiora. Decoctum

4. Aph. 18.

Raphani ex melle & ſinapi poſt cibum. Auic. Elleborum album. Hodie antimonium præparatum, deinde per inferiora. Pil. de agarico, de colocynthide, hiera compoſita, pil. cocchiæ. Paulus inquit conuenire validiſſima medicamenta. Vbi vires non ſufferunt, ius galli antiqui cum ſemine cartami Meſ. & Auic. Clyſteres in vtraque materia ex hiera & colocynthide ad reuellendum. Ad fluxionem plenitudinis in thorace cauſam. Poſt totius euacuationem, vel ſtatim vrgente ſymptomate, reuellere vinculis ad manus, pedes. Cucurbitulis ad coxas, clunas. Fluxionem ſiſtere ſiccantibus & opiatis, quæ alioqui damnantur ad materiam, quæ influxit, nam prohibent eductionem Aet. Boli armeni drachma vna cum vino diluto. Diacodion antidotum Iſatheum inter opiata ad colicos, quod frequenti vſu liberat ab affectione. Diaſpermaton Gal. Theriaca recens poſt cœnam ad magnas diſtillationes. Corrigitur noxa ſi mane dentur, quæ pulmonẽ expurgant, Capiti in vehementi diſtillatione, quæ extrahant per ſuturas. Galen. Thapſiam & ſtercus columbinũ aut ſinapi. Euphorbium, Galbanum. Hæc ſuſpecta habet Trall. in diſtillatione calida, ſed corrigitur noxa, ex oleo roſaceo poſt ablationem cataplaſmatis.

7. Catat. 6.

6. Catat. 2.

Meſues inurit ſuturam coronalem, ſi cataplaſmata vrentia non ſufficiant. Roborantia caput. Puluis capitalis inſperſus in vertice poſt inunctionem, ad calidam ex roſis, ſandalis, flore labruſcæ, maſtichæ. Ad frigidam ex ſpica, thure, iride, nuce muſcata: inungatur prius ex oleo nardino, rutaceo & aqua ardente, & tegatur linteo ſerico aut laneo ex purpura, & pileus in hyeme ex pelle leporina. Cataplaſma ex cochleis Aet. additis puluerib. roborantibus vel calidis vel frigidis.

Cerottum de betonica. In inueteratis iuuant deriuantia ad occiput, ad brachia cauteriis. Humores, qui influxerunt in thoracem, educendi per ſputum, aut per vrinam, ſi tenues fuerint, & ſeroſi. Vt hi per ſputum educantur, egent incraſſantibus, non tamen aſtringentibus neq; obſtupefa-

7. Catat. 6.

stupefacientibus. Sy. Iuiubinus Mes. violatus, decoctio seminum communium, seminum lactucæ, sebestē; Succus scariolæ, solatri, fœniculi viridis, aqua cucurbitæ coctæ in pasta.

Elegmata ex tragacantha. Diatragacanthum frigid. Loch de psyllio cum lacte recenti, & si instent vigiliæ cū lacte emulso ex papauere albo & aqua frigida.

Victus, ptisana, & vinum modicum, sed vbi exardet, à vino penitus abstineat. Lac asinæ. Ad humores crassos & glutinosos incidentia & abstergentia sine vehementi caliditate, ne sputum magis crassescant; cum multa humiditate, vt facilius sputum efferatur Act. Acetum scyliticum, oxymel scyll. Ipsa scylla assa & tusa cum melle. Sy. de prussio vnciæ tres cū aqua calida Mel. Loch de scylla, de pino mitissima potio. Decoctio vuæ passæ enucleatæ & fœnugræci; efficacius addito abrotono, ruta, holenio, panace. Rasis laudat decoctum ficuum pinguium, dactilorum, seminis apii, fœniculi, capilli veneris, liquiritiæ, hyssopi, prussii, quod sumat per hebdomadam; ac præsumat confectiones calefacientes ex cardamomo, pipere; amygdalis amaris, aristolochia, semine vrticæ ex melle, aut alias similes, aut catapotia ex amaris & insuauibus, ex abrotono, ruta, absinthio, semine rutæ, castorio, hammoniaco, sulphure viuo ex aceto, dosis drachma semis, ante potionem mane & vesperi. Aetius trochiscos conficit ex scylla fulua assata in furno obducto formento, cui addit farinam erui, hammoniacum, panacem, iridem. Abrotonum, acorum, piper. Dosis drachma vna cum lacte asinæ vel mulsa. Sabina per se singulis diebus drachma vna vsque ad duas. Pulmo vulpis exsiccatus Mes. & Dioscor. crocus cum melle, terebynthina, enula. Suffumigia per traiectorium in os corpore prono operto stragulis. Tussilaginis radices super carbones, ferulæ fumus Mel. Globuli ex myrrha, costo, aristolochia, croco, cassia, auripigmento cum adipe caprarum, bis vel ter in die. Dioscor. Sandaracam laudat. Corrigitur noxa humectantib. Mel. Extrinsecus

2. & 3. Mor.

7. Cat. 6.

Dewm.

Pl. l.

Trot.

Suffity.

Topica. dilatantia thoracem & extrahentia. Oleum laurinum, rutaceum, nardinum. Fricatio pectoris cum pumice, nitro, fæce vini vsta, donec ignescat Aet. Cataplasma ex ficubus, farina lolii, terebynthina, iride, melle. Inueteratis inustiones plures, in collo, ad clauiculas, ad pectus. Aet. Victus humectans ex gallinis elixis, oleribus, amygdalis, nucleis pineis. Vinum tenue post cibum, potus multus.
7. Cata. 6. Ad tuberculum crudum frigidum, exsiccantia, ne suppu-
14 Met. 12. ret. Theriaca, mitridatum; diacalamintha. Decoctio ligni guaiaci, trochisci de vipera ad omnes occultos abscessus laudantur ex aqua scabiosæ aut morsus Diab. herbæ. An & suffumigia valentiora prædicta? nam liquant. Aet. imponit emplastrum nigrum Archig. Victus siccus ex carnibus assis, potus paucus vini. Ad frigiditatem & siccitatem vt in senibus, humectatio per victum calidum & humidum. Ad venena ex fumo aut argento viuo lac, Ad fungos, eadem quæ ad humores crassos.

CAPVT XV.

De sputo Sanguinis.

Sym. dif. 6. SAnguinis sputum symptoma est circa exiens mutatum toto genere præter naturam. Non si ex vtero, hę-
3. Sy. ca. 2. morrhoidibus, naribus, nam secundum naturam. Opera
Sy. dif. vlt. autem naturæ non sunt symptomata. Si præter naturam, non toto genere, sed quantitate, qualitate, tempore. Insequitur vasorum vitia: aut solutionem continui, vt vulnus, ruptionem, erosionem vasorum. Aut morbum in meatibus, vt anastomosin, id est, coopertionem osculorum, diapedesim, id est, transcolationem per tunicas rarefactas. Causæ vulneris scindentia, perforantia, contun-
3. Met. 2. dentia. Ruptionis tendētia ob motum violentum in cōcussione, cum quis deciderit ex alto, in vehemēti clamore, cursu, conatu quocunq; ingens repletio erosionis, hu-
4. Io. af. 8. mor acris aut salsus, Pus. Anastomosis intemperies calida, æstus, balneum relaxans, potio vini. Irritantia ad expellendū, vasorum imbecillitas. Diapedesis rarefacientia, sangui-

sanguinis tenuitas. Venenum Hæmorrhoi serpentis, febres quædam malignæ, visum aliquando in febribus simul vrinas cruentas excerni, cruenta alui excrementa, sputum cruentum, & vbicunque vlcus fuerit sanguin, manare.

Facilius rumpuntur tunicæ duræ, vt in senioribus, quam molles. Ex aquæ frigidæ potu indurantur tunicæ, ideo aliquando rumpuntur. Molliores facilius erodun- *De Ae. aq.* tur, vt in iunioribus ex distillatione salsa. Vena aliquan- *1. Morb.* do contrahitur & fit veluti varix, dolorem quendam tenuem inducens ac tussim aridam, in processu modicum sanguinem subnigrum reiicit, postea copiosum & sinceriss imum, deinde pus.

Pars affecta in sputo sanguinis: os, fauces, nares, caput, gula, ventriculus, aspera arteria, pulmo, thorax, aut *5. Met. 2.* ex vena, aut ex arteria, vase magno, vel paruo. Signa vulneris, sensui patent. Ruptionis, subita multi sanguinis reiectio ex causa tensionem faciente. Erosionis, paulatim sputa sanguine tinguntur, augetur indies sine causa manifesta. Expuitur aliquando crustula aut particulæ rameutum. Si ex distillatione, præcedunt sputa salsa, mor- *4. lo. af. 5.* dentia, exigua. Si ex pure, præcessit suppuratio anastomo- *5. Met. 4.* sis, eruptio per interualla ob causas calefacientes, replen- *4. lo. af. 8.* tes diapedesis modici sanguinis & tenuioris eruptio ob eadem causas.

Partis affectæ modus excretionis. Si absque tussi aut vomitu, ex ore, faucibus, aut superioribus palato. Si cum vomitu, ex gula aut ventriculo. Si cum tussi, ex spiritualibus, nisi descenderit ex superioribus Trall. Ex thorace sanguis nigrior, parcior, grummosus, dolor. Ex pulmo- *5. Aph. 13.* ne rubens & spumosus, ex aspera arteria parcior, dolor hebes, particulæ ramentum, vel vasis, vel pulmonis ma- *4. lo. af. 2.* nifestum locum ostendit. Magnitudo & paruitas vasis cognoscitur ex copia impetu sanguinis. Rubicundior ex arteria, nigrior crassior ex vena. Prognostica. Periculũ du- *Atr. bi. 1.* plex, vnũ ante quam supprimatur, ex immodica euacuatione,

tione. Nam aut mors repentina sequitur vel paulo post.
9. Met. 10. aut graues morbi superueniunt.

Morbi longi ex virtutis naturalis resolutione & frigiditate. Fiunt decolorati, praui habitus, hydropes, orthopnæa. Iecinoris & ventriculi imbecillitates, apoplexiæ, deliria. Alterum post sanguinis suppressionem, ex relicto sanguine putrescente, & vlcere.

6. Aph. 20. Si enim in ventrem sanguis præter naturam effusus
7. Aph. 15. sit, necesse est suppurari. Ideo à sanguinis sputo puris spu-
16. tum. A puris sputo phtisis hoc modo sanguis supra qua-
4. Aph. 25. liscunque fuerit, malus.

Ad grumos sanguinis sæpe insequitur animi defectio, color pallidus, pulsus paruus, obscurus, frequens, anxietas resoluens, quia insequitur putredo partiū & marcor, ob extinctionem calidi innati. Vlcus pulmonis, si statim ante inflammationem glutinetur, nullum peri-
5. Meth. 14. culum, post inflammationem insanabile redditur. Difficile glutinatur, ob motum respirationis, & tussim. Post inflammationem alia difficultas ob impeditam puris euacuationem, nam pus prohibet glutinationem.

5. Meth. 8. Inflammationis periculum est vsque ad quartam diem, quo tempore effugi potest, & glutinari etiam magna
5. Meth. 15. vulnera, aliquando duobus.

Ad inflammationem sequitur febris, deinde puris excreatio, ruptis in pulmone vasis, illesis asperis arteriis sanguis paucus resudat per oscula in asperas arterias, nec calidus nec ruber, affectus videtur leuior, primo aspectu, at grauior fit ob trombum sanguinis inclusum, qui prohi-
5. Meth. 8. bet glutinari. Idem in varice pulmonis periculum Hipp.
1. Morb. Erosio ex succis vitiosis insanabilis est, quia vitium falli-
5. Met. 14. laginis longo tempore corrigitur. In tempore autem interim vlcus non siccatum putrescit, & circumstantia depascitur. Aut siccatur in callum, quod longiori vita frui
5. Meth. 12. hominem sinit, donec iterum absedens nouum vlcus
7. Vsp. 7. excitet. In aspera arteria curationē recipiunt, nam membrana facile sanatur, nisi ex toto abrasa fuerit, vt bronchia denudentur.

In

In thorace magna ex parte glutinantur, sed periculum est ne pulmo vlceri agglutinetur, vt sæpe visum est. In ore, in capite nullum periculum. In ventriculo aliquando bonum aperiri oscula venarum, vt in hæmorrhoidibus, vtero, naribus, exonerante se natura Gale. & vlcera eius loci sanationem recipiunt, ac medicamenta facile perueniunt. *4.lo.af.5. lo. in ho. 1.na.hu.34 4.Arti.40.*

CAP. XVI.

Curatio sputi Sanguinis.

SI opus naturæ est se exonerantis per loca conferentia, vt ex naribus, aut ex aliis locis non periculosis, non sistendus. Sistendus est symptomaticus vt immodicus vndecunque fluat, & ex spiritualibus quicunque. Sanguis intus effusus quamprimum expurgandus, ne putrescat. Tandem sanandus affectus, vt vulnus, ruptio, erosio, anastomosis, diapedesis. Sistitur clausione vasis, auersione sanguinis, & immobilitate. Clauditur, vbi non licet suturis, linamentis, crustis, quibus vtimur ad partes externas, sed in internis solum per medicamenta assumpta, quæ astringunt & glutinant, & emplastica sunt, facientia simul ad rupta vulnera, & anastomosim. Interim auertendus sanguis per reuulsionem in cōtrarium, vbi adest vehemens impetus. Venæ sectio internæ cubiti si exeat ex inferioribus; externæ, si ex superiorib. bis vel ter eadem die: iterum postera die semel aut bis, si vires valent. Galenus vetuit in muliere ob inediam quatuor dierum vsus est ad reuulsionem acri clysteri, frictionib. extremorum acribus, & vinculis. Tral. vetat venæ sectionem in erosione, quod intelligēdum, nisi immodicus sit effluxus. Faciunt ad reuulsionem & cucurbitulæ ad hypochondria, cum è naribus exit, ad dorsum, cum è thorace. Si nō vehemens effusio, neque adsit plenitudo, sufficiunt claudentia & immobilitatem præstantia. Immobilem faciunt refrigerantia, aqua frigida opiata. Lapis iaspis viridis gestatus à proprietate sistit impetū, præcipue cui insunt veluti guttæ sanguineæ, Alber. *5.Met.8.13 Sa.mis.11. 5.Met.5. 9. Symp. 6.*

Claudit

Claudit per se grumus sanguinis, sed glutinationem impedit, si vero non glutinetur priuspuam phlegmonē
5. Meth. 8. contrahat, exigua spes est. Ideo simul dissoluendi grumi & emplasticis claudendum, & astringentibus ac siccantibus sine morsu, quibus fit glutinatio. Dissoluunt grumos in sputum posca diluta in potu ternis horis bis vel ter eadem die. Prohibet etiam sanguinis fluxum, acetum extinctionis cinerum vitis aqua temperatum, nam
de pa. fac. repellit, astringit, dissoluit concretum sanguinem. Dios. Lixiuia è ficu glutinat rupta, & sanguinem concretum dissoluit, idem ex cæteris lignis præsertim robore.

Glutinant astringentia, acacia, balaustium, rosæ siccæ, hypocistis, myrthilli, cauda equina, adiuncta facultate emplastica, terra lemnia, Samius after, hæmatites,
4. Catat. 4. rubrica synopis, corallium, sanguis draconis. Emplastica tantum, amilum, gummi arabicum, tragacantha, albumen oui. Addenda ad penetrationem ob profunditatem, calida tenuium partium, myrrha, thus, cinnamomum, costus, piper, mumia. Ad dolorem soporifera, quæ & sedant perturbationem, & motū quo impeditur glutinatio, opium, cordex mandragoræ. Componūtur trochisci ex succo polygoni, plantaginis. Propinantur ex aqua pluuia aut decocto cytoniorum. Extant trochisci de carabe, de terra sigillata, de spodio, de corallio. Dosis drachma vna. Aliquando cum saccharo rosaceo, vt paulatim deglutiantur. Oleum de carabe per sublimationem potentissime penetrat, astringit, & siccat, si guttæ duæ in potu dentur cum aqua plantaginis. Extrinsecus oleum melinum, rosaceum, si hyems fuerit nardinum.
5. Meth. 8. Bitumen ex aceto. Emplastrum barbarum, diapalma in
3. Meth. 13. corporibus mollioribus. Ad rupta ex frigore calefacientia pectori ex tapsia at suspecta. Nam qui refrigerati sunt
3. Aph. 19. non calefaciendi, quibus sanguis fluit aut fluxurus est. Ideo exspectandum vt prius sedetur fluxio Gal. Idem animaduertendum in emplastro barbaro & diapalma, nam calefaciendo augent sanguinis fluxum.

Ad

Ad anastomosim & diapedesim sola refrigerantia & astringentia satisfaciunt. Sed prius ad causas, humorem irritatem euacuare, contemperare, sed suspect. sunt purgantia, quia agitant, satius est contemperare, & molliter purgare, ex decocto tamarindorum, sy. rosato solutiuo. Ad erosionem, siccatia vlcus, abstergentia, & carnem deperditam gignentia, quæ dicentur in ptithisi. Erosionis causam tollere. Si humor erodens fluat à capite, euacuare & contemperare. Euacuat Gal. purgatione ex aloe, scamonio, colocynthide, agarico, bdellio, gummi, aut iis, quæ nigram bilem ducunt. Nos pil. aggregatiuis, hiera cum agarico, rhabarbaro, electuario, rosato, etiam venæ sectione in initio, si sanguis multus crassus & niger, vt limus. Alternatim autem vires reficere oportet, purgare, iterum reficere, & venam secare, donec prauus humor corrigatur. Sed cauere oportet, ne purgantia adhibeantur dum fluit sanguis, quia agitant, neque quibus fluxurus timetur, sed vlysteribus vtendum & venæ sectione.

7. Catat 4. 5. Meth. 6.

5. Meth 14.

Ad descensum humorum Gal. capiti abraso imponit ceratum ex stercore columbino, aut thapsia. Vesperi post cœnam exhibet obstupefaciens medicamentum per tres dies, diaspermaton aut theriacam recentem, aut alia siccantia. Saccharum rosaceum cum bolo armeno, hæmatite. Mane post principia exhibet theriacam vetustam, mel, & alia expurgantia.

5. Meth. 14.

Trall. neq; sanguinem mittit, neq; aetia exhibet, neque capiti vehementer calida. Laudat mitigantia acredinem post purgationem, capiti oxyrrhodinū ad calidam intemperiem. Intus astringētia & siccantia, lapidem hęmatitem scrupulis quatuor ex succo mali punici aut polygoni in potu. Victus in prima die integra inedia, si vires valentiores, sin sorbitionis aliquid vsq; ad quartum diem. Duobus primis diebus sorbitiunculæ, tertio ptisanæ cremor cū pane exiguo vel pisce boni succi, deinde fructus austeri. Post euacuationes & pectoris expurgationem

5. Met. 8.

tionem, pro cibo & medicamento lac exhibendum ad vlceris absterſionem, repletionem, & ad humores contemperandos. Ad ſanguinem incraſſandum in tenui defluxione, frigida & glutinoſa. Alica, amylum, oriza, lac cum tragacatha. Poſt ſeptimam diem carnes gallinaceæ, extrema animalium, caſeus recens non ſalitus. Potus aquæ tepidæ per totum morbum, aut poſca aquoſa, aqua calibeata Mel. Aqua roſata hordei incoctis cancris. Vinũ non conuenit niſi in largo fluxu ad vires reſtituendas, aſtringens, in quo per noctem infuſus ſit lapis hæmatites. Neceſſaria eſt quies, lenta reſpiratio, taciturnitas, ſine tuſſi ſomnus, aer temperatus.

CAP. XVII.

De Phthiſi.

PHthiſis Græce, Latine tabes, nomen commune ad omnem extenuationem ſeu conſumptionem, ſiue cum
7. *Aph.* 16. febre hectica ſiue ex atrophia. Phthoe apud Atticos proprium eſt, cum ex vlceribus pulmonis fit, vt Gal. notat. Eſt totius corporis extenuatio cum febre parua ob pul-
6. *Tu. ſa.* 9. monis vlcera inſanabilia. Iterum inquit. Pulmonis exulceratio ex aeri fluxione Græce Phthoe dicitur. Hippo. tamen Phthiſin vocat.

Morbus in ſolutione continui, ſymptomata ſunt, extenuatio & febris, extenuatio ex vlcere nõ propter effluxum Nam ſæpe parum effluit, ſed ob febrem hecticam. Hæc vero ex pure.

Nam in ſuppuratis febris eſt de genere hecticarum
2. *Prog.* 60. Gal. Ideo non omne vlcus pulmonis febrem hecticam facit, vt in ſputo ſanguinis prius febris oritur ex inflammatione putreſcẽte ſanguine, hectica poſtea ſuccedit pure non expurgato, ſed putrefaciente & exedente ſolidas
5. *Aph.* 15. partes Galen. Dum enim pus conficitur, febres putridæ fiunt, confecto autem hecticæ, cum per partes ſolidas calor cordi communicantur, non per humores nec ſpiritus.
10. *Meth.* 8. Fiunt & febres hecticæ ex inflammatione viſcerum, & ex

putri-

putridis, malignis aç pestilentibus, putredine communicata solidis. At ex inflammatione pulmonis minime ob visceri humiditatem, sed ex pure facillime ob propinquitatem. Ad febrem hecticam extenuatio sequitur, quæ tabes dicitur, siccitate ex corde communicata toti corpori. Non vt in putridis febribus siccitas in cæteris partibus prius quam in corde, ideo facilius instaurantur, supperditante corde nutrimentum. Tabis differentiæ. *De Mar. 5.* Quædam ex distillatione putrescente in pulmone, aut putrescente in capite, vt in prima tabe, quam describit Hip. Quædam ex pulmonis morbis, vt sputo sanguinis, tubercuio suppurato, peripneumonia exanthematis, aphtham arteriæ pulmonis vocat Hip. puris collectione aliunde, vt in pleuritide suppurata. Tertia tabes dorsalis appellatur, quia a medulla fit, ea corripiuntur maxime recentes sponsi & veneri dediti. Occulta tabes est ex defluxione in medullam. Spinalis enim medulla ex vsu veneris immodico resiccatur, & sanguine plena fit, tabescit autem similiter a cauis venis, cum implentur pituita aquosa & bile. His enim omnibus exsiccatur cor, vnde tabescunt, vt patet in hydrope, sine tussi & sputo, quãuis ex vena caua aliquando sputum procedat, at non ex spinali medulla. Signa pathognomonica, febris continua hectica, noctu affligit magis, quotidiana in suppurationibus & tabe, quia plus est de genere pituitæ, interdiu ab ægrotante sæpe non sentitur propter habitum, exacerbatur & post cibum, vt calx affusa aqua Gal. calor nõ statim primo tactu, sed posterius sentitur, viget magis circa arterias, & summos digitos interna parte. Pulsus pituus, languidus, nõ nimium celer, hecticus, id est, perpetuo sibi similis. Rigor non significat intermittentem febrem, sed pus. Macies, quæ difficile instauratur, initio non apparet. Incipit circa thoracem, procedente tempore oculi concaui, vngues curui, pedes tument, vel ex humiditate colliquata, vel impedita nutritione, nutrimentum transit in aquam, quæ deorsum labitur. Gal. quia

De int. aff. 5. Meth. 12. 2. Morb. de lo. in ho.

Int. aff.

1. Aph. 12. 2. Prog. 60.

4. Ca. pu. 10. 11. Int. af. 2 Prog. 60. Int. af.

incipit caloris extinctio à remotissimis. Sputum purulé-
1. Prog. vlt. tum cognoscitur colore cinereo, minus album, quam le-
4 Acu. 78. men, varii coloris, non translucidum. Cocta sputa simi-
3. Morb. lia puri tradit Hip. Sapor dulcis signū est pulmonis sup-
2 Morb. puratinam principium est malsedinis. Cum ex pulmonis
Int. aff. affectu tabescit, sputum crassum cum virore pallidum
1. Morb. dulce tussiendo reiicit. Aliquando saliuam multam & li-
quidam salsam expuūt, aliquādo viscosam. Alibi inquit:
Cum pulmo exulceratur, calores acutiores in corpus in-
cidūt, & pulmo trahit ad se maxime ex capite, & caput cal-
factum ex corpore, vnde colliquatis humiditatib. auge-
tur materia, quæ & in inferiorem ventrem defluit. Pus
Auic. in aqua subsidet, reliqua sputa supernatant ob spu-
mam. Trall. Pus dissolui in aqua, non subsidere, vt pitui-
ta cruda. An pus ex sanguine in cinerato & carne aquam
conturbat prius, deinde farinæ modo subsidet, vt patet
in vrinis purulentis? At pus viscosum, ex partibus albis e-
manans non dissoluitur in aqua, sed statim subsidet. Ali-
1. Prog. vl. quādo graueolēs, at pus optimū minime. Si iniectū car-
5. Aph 11. 1. bonibus male olet, malū. Ex distillatione incipit crudū
in 1. Epi. 28. cum tussi violenta, postea coactum & concoctū, aliquā-
4. lo. af. 8. do densum grandinis modo magnum & paruum pro
2. Morb. vasis magnitudine, aliquando cum punctis sanguino-
lentis incipiente erosione. Progressis crustula, caruncu-
la, bronchii particula. Ex sputo sanguinis paulatim pus
eruentum orta febre, donec pus purum exeat. Ex suppu-
ratione patet ex iis quæ præcesserunt; dicta in empiema-
te. Ex pulmone copiosius sputum, genæ rubent, aut al-
tera secundum rectitudinem ex aspera arteria parcius,
2. Prog. 60. ex cauo thoracis tussedo, sputum aut nullum, aut pau-
2. Morb. cum. Paucitas vel ob crassitiem, vel membranæ pulmo-
nis densitatem, aut virtutis imbecillitatem. Ex spinali
medulla, non febris, non inappetentia, consumitur ta-
men. Sentiūt veluti formicas per dorsum ex capite, pro-
fusio seminis in somno, genitura infœcunda, anhelatio,
& debilitas in labore, in progressu febres lypiriæ perdūt.

Pro-

Prognostica. Continuata insanabilis est, sanantur aliqui in principio, sed difficulter, ob difficilem puris euacuationem, tussim lacerantem, motū respirationis. Iter longum medicamentorum. Ex diuturnis quidam videntur sanari obducto callo, sed reuertuntur. In thorace facillime sanantur etiam diuturna, & in aspera arteria vt in septi transuersi parte carnosa, non in neruosa. Lethalis, si sputum graueolens carbonibus. Vbi pus circa cor putruerit nidorosorum odorem prunis iniectum reddit. Capillorum defluuium, alui profluuium. Moriuntur retento sputo. Protrahuntur ad menses sex, ad annum, ad tres annos, & ad septem, & nouem.

5. Meth. 8.
5. Meth. 4.
4. loc. aff. 8.
2. Morb.
5. Aph. 11.
12. 14.
7. Aph. 16.
4. loc aff. 8.
Int aff. &
2. Morb

CAP. XVIII.

Curatio Phthisis.

CVratio, vlcus siccare, pus prius educere, quia prohibet glutinationem. Febris sedanda, & corpus reficiendum. Ad puris collectionē dicta sunt remedia in empiemate. Vomicam dissecantia & disrumpentia, expurgantia fortissima acria & amara. Ad pus quod paulatim regignitur, mitiora, familiarissima. Ad ptisana cū melle, amygdalæ dulces & amaræ.

Nuclei pinei, pistacea, vuæ passæ Trall. Faba cocta, allia, porra decocta in cibis, brassica, vbi pus biliosius & salsum intubum, poma, pira, admodum matura. Pepones, Trall. sed non diutius, quia pus augent. Vbi vires imbecillæ, cerebella assa, testiculi, pulli columbarum, alæ, cum ptisana.

Salsamenta piscium ad vlcera sordida. In potu mulsa aqua decoctionis nucis pineæ assæ & contusæ, vinum tenue. Inter medicamenta simpliciora. Ireos aut hyssopi decoctum cum melle, thymum, marrubii succus. Eruum frixum in farinam ex melle deingendam. Amygdalæ amaræ, scyllæ crudæ, succus cum æquali melle coctus, acetum scyllitieum ad deploratos phthisicos ex Pythagora, decoctū abrotoni, rutæ, passularum ex aqua & melle.

pat. fa. 13.

Aqua distillata hederæ terrestris, scabiosæ. Earundem puluis pastillus efficacissimus Aetii ex cardamomo, myrrha, sagapeno, opio, castorio, pipere. Cum pus fætet, sulphur in ouo sorbili assumptum, & suffitum. Exterius ceruta & cataplasmata relaxantia, vt in asthmate, Aet. Inustiones plures in pectore prohibent nouas collectiones. Inquit Hip. Si vratur aut secetur prius, quam diuturnum fiat pus, sanus plerumque euadit. Nam cum caput fluere inceperit, & reliquum corpus colliquari, ne vsti quidem superstites euadunt. Et vbi cæteris remediis non curetur, ipsum lacte crassefactum in pectore & dorso vrito, si n. successerit vstio, fugæ morbi spes est. Post puris expurgationem vlcus siccandum est, nam hic vltimus finis est. Si in pulmone vel thorace, solum per intus assumpta. In aspera arteria etiam extrinsecus. Paul. & Aet. in omnibus admouent barbarum & diachalcitim, sed cum pauca vtilitate. Intus ad carnem gignendam, siccantia & abstergẽtia: thus, myrrha, aristolochia, iris, panax. Inter alimenta præcipue lac. Nam sanat omnia vlcera interna Diosc.

2. Morb.

1. Morb.

Int. aff.

5. Met. 11. 12.

3. Met. 3.

Ad cicatricem siccantia & stringentia. Acacia, thus, terra sigillata, bolus armenus, hæmatites ante omnia Trall. Saccharum rosaceum Me. & Auicen. Composita multa describuntur ex sarcoticis, epuloticis, narcoticis. Catapotium Aet. cui nullum comparari potest tribus diebus vtilitatem præstans, ex styrace flauo, pipere albo, myrrha, castorio, galbano, opio partibus æqualibus. Exhibet tria catapotia erui magnitudine ante somnum.

7. Cat. 5.

Galen. fortem exsiccationem molitur odoribus & potionibus efficacibus. Naribus hædychroum iugiter. Vnguenta preciosa foliata spicata. In potu mithridatum, ambrosia, theriaca. Trall. damnat calefacientia, vbi erosio ab acredine fit, laudat frigida & humida ad temperandam acredinem: modice siccantia ad cicatricem, vt hæmatitem in potu iugiter. Auicen. fortem exsiccationẽ molitur arsenico, id est, auripigmento suffito, aristolochia, pipere cum albumine oui, vel butyro, melle, adipe

4. Io. af. 8.

hircino,

hircino. Dioscor. Sandarac. cum resina suffit ad veterem tussim, propinat eandem cum mulso ad purulentos. Hodie mitius alio genere sandaracæ Arabum vtuntur, id est, gummi iuniperi, & in potu. & suffitu; nam exsiccat vlcera, & distillationes & sanguinis fluxum. Idem præstant baccæ carabæ, id est succinum. Similem facultatem habet & tussilaginis radix. Horum enim fumus in pulmonem penetrans valenter siccat. Cum febres ex huiusmodi remediis exacerbantur, alternatim refrigerare oportet, Auicen. Trochiscis de canfora. Hipp. butyrum cum melle delingendum. Cum noua materia colligitur redeundum ad expurgantia, iterum ad siccantia, & pulmonem roborantia. Roborant modice astringentia. Capillus veneris, syr. myrthinus, odorata, crocum, lignum aloes, à proprietate pulmo vulpis præparatus, vt docet Mes. Lauetur in vino, ebulliatur in aqua rosacea, siccetur & puluis exhibeatur. Dioscorides laudat siccatum ad suspiria. Conficitur loch de pulmone vulpis. Ad febrem refrigerantia, & humectantia, simul & refectio ad extenuationem. Nutrimenta frigida & humida actu & potestate conuenirent. Ad vlcus non humectantia expostcit, nec puris collectio refrigerantia. Ideo si febris vrgeat, ptisana, at non actu frigida, non frigidæ potio, non balneum, nisi vlcere optimo siccato Mes. Lac, si febris non vehemens, nec in thorace multum puris extiterit, nam corrumpitur aduenies. Tral. Per se facit ad omnia vlcera interna præcipue pulmonis. Dioscor. Nam per serum abstergit; per butyrum mitigat acrimoniam, per caseosam substantiam resarcit. Asininũ omnium tenuissimum & frigidissimũ. Equinum simile Trall. Commodiora ad expurgationẽ, & facilem eductionem, quia non adeo vincuntur, sed omnia vincunt. Bubulum crassissimum, vaccinium simile, minus expurgant, magis nutriunt: circa finem commodiora. Caprinum medium. Ouinum simile. Optimũ caprinum ad vlcera glutinanda, quia astringentibus fruticibus vescuntur: sed cauendum, vbi vescuntur elleboro,

10 Met. 11

5. Aet. 2.

ro, clematide, thithimalo : nam aluum turbant. Optimum in tabiis inter Neapolim, & Surrentum ob pascua Gal. vbi & aer ex igne subterraneo bitumino sus inspiratus facit ad vlcera exsiccanda, muliebre antiquis prælatũ ob familiaritatem & dulcedinẽ. Sugi oportere, ne ab aere alteretur, potius vt magis distillet in pulmonem, quemadmodum eclegmata. Necogatur in ventriculo, additur
7. Met. 6. mellis pauxillum aut sacchari. Asininum ob tenuitatem minime omnium coagulatur, citissime descendit. Præparatur astringentius extinctis calculis, aut calibe. Propi-
10. Met. 11. natur matutino à modica mensura sensim augendo, donec ventriculum non grauet. Paratur quoque in cibis cũ farre, oriza, ouorum luteis. Cancri fluuiatiles decocti cũ iure, vel cum lacte esitati. Diosc. Testudines nemorales, cochleæ, & omnia crustacea, vtilia quidem ad contemperandum acrem & salsum humorem, at inepta ad expurgandum. Caseus recens, non salitus glutinat. Auic. Indicarentur cibi multi nutrimenti, sed facultas imbecilla nequit conficere. Quod autem facillimum concoctu est, minus nutrit. Ideo medio modo agendum, & sæpius.
1. Aph. 17. Testiculi gallorum, cerebella, perdices, phasiani, auiculæ montanæ, pisces saxatiles, porcellus cum ad crassiora ducitur. Extrema animalium, vinum aquosum leuiter astringens cũ aqua pluuia. Exercitationes moderatæ, vel frictio ante cibum. Aer siccus, in caliditate temperatus, qualis in colle ad tabias ex incendio montis Vesuuii. Cõualescentes mutatione aeris iuuantur, & nauigatione Trall. Celsus ad densiorem, vt ex Italia in Alexandriam. Somnus iuuat, aluus non humecta. Glutinatis vlceribus balnea naturalia, si corpulenti, ex aqua dulci, si extenuati.
2. Morb. Ad tabem ex medulla spinali, Hippo. prius purgat per superiora, adhibito fomento, postea deorsum. Deinde serum aut lac asininum bibendum, cæterum laç bubulum per 40. dies, ad vesperã vero alicam, quo tẽpore abstineat à cibis. Postquam vero cessauerit ab vsu lactis, mollibus

prius

prius reficere oportet, paulatim augendo donec reficiatur. Postea inurendum dorsum. Abstineat per annum ab ebrietate, venere, laboribus exceptis deambulationibus à sole, & frigore. Ad tubem ex fluxione retrorsum caput purgandum debili medicamēto donec fluxus auertatur, diæta vtatur vt in altera tabe. Postea deorsum purgandus elaterio, deinde clysteri ex lacte abluendus. Vt autē prohibeatur fluxio retrorsum, caro inter venas in collo crustis tribus vratur, & vbi vsseris constringatur, & cicatrices quam tenuissimæ inducātur, & vbi fluxum obturaueris, medicamentum in nares adhibe, vt eo vertatur, & rursus aliud adhibe, & calfacito anteriores partes, posteriores autem refrigerato. *Int. aff. lo. in he.*

CAPVT XIX.

De Constitutione cordis.

IN thorace sedes est facultatis vitalis, vitam conseruans toti animali, genere & loco distincta à naturali & animali. Videtur Gal. dissentire ab Ari. verbis magis quā re. Nam omnes facultates subiecto vnum ponit, Arist. omnes in corde. Concedit quoque Gal. Cor fontem esse caloris natiui, quo omnes operationes perficiuntur. Amplius si vita est animæ operatio prius vegetatiuæ, quæ naturalis à Gal. vocatur, deinde sēsitiuæ & motiuæ, & principum facultatum, quæ animalis vocatur. Vitalis igitur non est alia à naturali, & animali. Quia calore cordis totum corpus regitur, eo deficiente mors cōtingit. Seiunxit tamen Gal. quia commune instrumentum seiunctum est à propriis. Cor ab hepate, cerebro, testibus. Arist. coniunxit omnes facultates in principio communi, quia cætera viuunt, quamdiu adnata sunt cordi. Eo pereunte omnes facultates corruunt, cæteris pereuntibus, non statim cor perit. Instrumentum autem animæ proximum est calor natiuus. Idem tradit Arist. ipsum viuere, & animæ habitatio cum caliditate quadam est, nam coctio alimenti nō sine anima, & calore, qui nō ignis est, sed spiritus pro- *6. vs pa. 7. 9. Met. 10. 1. An. vlt. 2. par. 4. 8. Pla. 7. 6. vs pa. 7 5. lo. aff. 1. De com. animal. 5. lo. aff. 1. 2. Gla. 2. de resp. 4.*

portione respondens elemento stellarum. Eundem Gal. putauit esse animæ substantiã. Idem substistit in sanguine & pituita, non in re sicca, ideo pueri plurimũ habent. Eundẽ vasis cõtineri oportuit. Cor eius fons, & domiciliũ. Vena caua materiam submministrat ex hepate, quod alimentum auctiuum vocat Ari. Aorta perfectum recipit, quod alimentum nutritiuum, quia dat esse. In cerebro fit spiritus animalis, hic principium quodãmodo vnum, quodammodo tria, quatenus ex corde influit in cerebrũ hepar. Instabit quis. Si calor insitus in singulis partibus differt ab influente, etiam facultas, non ergo facultates sunt vnum subiecto. An insitus potestate tantum est extra cor? In solo corde actu, ideo cæteræ partes egent influente vt ad actũ ducantur. Cor medium locum tenet inter caput, & ventrem inferiorem, vt vtrq; cõmodius vim impartiri possit. Thorax est eius vẽter, qui & superior sæpe ab Hip. vocatur, dirimitur ab inferiore septo trãsuerso, à capite per cernicẽ, in sinu solũ cor, & pulmo in respirãtib. Constat figura pyramidali, cuius basis spinæ adnectitur, mucro vndiq; absolutus anterius spectat, inclinat tamẽ modice ad lęuã qua os vẽtriculi est, vt reddatur calidior. Substãtia carnosa neruosis fibris constãs triũ generum. Intus ventriculi sanguine pleni. Sinister principalissimus àbasi vsq; ad mucronẽ pertingẽs, in quo sanguis elaboratus in naturam spiritus conuertitur, vltimum alimentum ab Arist. vocatum. Egreditur hic per aortam cum pulsu in totum corpus. Dexter latior & breuior sinistrum circumdat per semicirculum, eius pars quædam est, qui tertius ab Aristotele ponitur, conspicuus non solum in grandioribus animalib. sed & in auibus, dirimitur à dextro septo quodam prope basim. Sãguinem hic haurit à vena caua, vt perficiatur in sinistro. Oscula ad basim quatuor posita sunt, venarum & arteriarum principia secundum Aristotelem. Duo sanguinem introducentia, duo educentia tam in dextro vẽtriculo, quam in sinistro. In dextro oscula introducens

2. Ge. an. 3.
5. in 6. Epi 5
8. Pla. 7.
1. Aph. 14.
6. vſ pa. 7.
3. Par. an. 4
3. Par. 4.
6. vſ. pa. 8.

ad

ad venam cauam est, educens autem arteria est in pulmonem ducens ad locũ refrigerii. In sinistro venæ oculum est introducens ex pulmone, educens autem est arteriæ aortæ principium. Singulis ostiis membranæ quædam appositæ sunt, quæ intromittentibus aperiuntur ad ingressum sanguinis, claudunturque autẽ ad egressum. Oppositio modo in educentib. patent ad egressum, claudunturque ad ingressum, vt continuus quidam motus fieret ex venis in cor, & ex corde in arterias. Si quis autem contingeret motus contrarius, vt in animi perturbationib. membranarum positio obsisteret, ad tutelam caloris. Includitur cor veluti in capsula, pericardio eius domicilio, ne tangatur à pulmone. Tunica dura ex cordis capite ad os pectoris nectitur spatio intermedio, in quo cor distenditur, & contrahitur in pulsu, modica aqua inclusa ad madefactionem, hæc siccatur in tabidis, augetur in palpitatione.

CAP. XX.

De affectibus Cordis, & Palpitatione.

COr patitur omnes intemperies, tum æquales, tum inæquales, per essentiam, & per consensum, inter organicos, obstructionem. Non tumores præter naturã, phlegmonem, erysipelas, non vulnera, nec vlcera. Nã statim, aut paulo post intereunt, neq; magnas intemperies, ex venenis: nam sub iis calor innatus persistere nequit. Propriæ sunt cordis febres, omnes tabes, inter morbos vniuersales, quia toti cõmunicantur. Animi morbi, quæ perturbationes vocantur, ira, timor, mœstitia, gaudium vehemens, cupiditas, amor, odium, inuidia, ad cor pertinere tradit Ga. Sed hos considerant Medici aliquãdo, vt morborũ causas, quia temperiẽ mutant aliquando, vt symptomata, vt timor & mœstitia, in melãcholia. Ira in furore, sed de morbis animi nõ pertinet ad Medicos, nisi pendeant à corpore. Symptomata sunt vitalis facultatis, quatenus motiua est pulsus, palpitatiua. Quatenus autẽ

5. lo. af. 1. 2.

3. Pla. 5.

vires distribuit corporis imbecillitas. A nimi defectus, syncope, & mors. Non contingere in corde dolorem putauit Gal. quia minimum habet sensum per neruum exiguũ, quamuis cardialgiæ fiat mentio, quam non cordis, sed oris ventriculi affectum esse putauit. Hic agemus de palpitatione, & syncope. Palpitatio Græce palmos. Hippoc. pulsum vocat: tremorem Arab. Auicc. est motus concussiuus cordi accidens. Arist. Saltũ vocat, græce pedisim, est compulsio calidi in corde existentis propter refrigerationem superfluam & corrumpentem, vt in morbo, qui palpitatio dicitur, & in aliis, & timentibus: nam timentes infrigidantur secundum superiora, calidum autem fugiens & contractum in angustum facit saltum, vt aliquãdo extinguantur animalia, & moriantur præ timore, aut morbo. Symptoma est facultatis motiuæ, actio deprauata vitalis facultatis. Causa proxima corpus cito replens & euanescens, non humor, sed flatus ob celeritatem, crassior, ob refrigerationem, & viarum angustias retentus, & compulsus. Causa remotior, plenitudo sanguinis, interceptio & occlusio venarum. Spirituum interceptio in venis. Aqua inter pericardium, tuberculus prope cor. Paul. multitudinem sanguinis ponit, vel feruorem. Actuarius feruorem, vel euaporationem aliunde bilis, vel nigri humoris. Mes. & Auic. omnes intemperies, seu puræ, seu cũ materia, vel per essentiam in corde, vel per consensum à propinquis, vel remotis. Rasis tremorem calidum cum febre, frigidum sine febre. An incerta causa incerta erit, & curatio? An in vera palpitatione, quæ concussio est mollista ægrotanti, duæ causæ concurrunt? repletio distendens seu ob multitudinem sanguinis, seu ob occlusionẽ venarum & spirituum interceptionem, vt Hippo. seu ob feruorem, vt Paul. & Aet. seu ob euaporationem, seu ob fugam calidi à frigore, vt Arist. in timore. Altera id quod resistit dilatationi extra cor, vt frigiditas, occlusio prohibens egressum, aqua in pericardio, tuberculus. Tremor autem calidus non est vera palpitatio, sed similis, in febribus

2. Pla. 8.
3. Pla. 5.
4. Ac. 26.
De vi. & mo. 2.
2. Sy. ca. 2.
5. Io. af. 2.
4. Ac. 23. 26.
4. Io. af. 8.
4. Aph. 25.

bribus acutis ventriculi æstus, & cordis morsus, id est, pulsus valde frequens ob feruorem. Gal. inquit, esse similem palpitationi. Reliqui tremores ab inæquali intemperie geniti pulsibus tribuuntur à Gal. à qualiber intemperie. Inæqualitas in succis magis, quam in corpore, sed si non adsit concussio, non est vera palpitatio. Palpitationis differentiæ. Quædam per se euenit integra valetudine subito sine aliquo manifesto accidente. Accidens manifestum est, timor subitus in quibusdam extasis, cum ob vehementem cõtemplationem animus rapitur. Sine occasione autem præcipue contingit adolescentib. & adultis in vere ob copiam sanguinis. Hippo. occludi eis venas repente interceptis spiritib. Quædam paulatim accedit, ex aqua in pericardio, aut tuberculo. Quædam cõtinue aliquam noxam in corde ostendit patiente peressentiam, vt contigisse Antipatro tradit Galen. qui pulsus inæqualitatem omnis generis per multos menses passus est post febrem ephemeram, quam adser ipsit Galenus tuberculo prope cor exorto. Hic aucto morbo incidit in palpitationem frequentem, & asthma, vnde interiit. Quædam per consensum aut ob distillationem à capite, vt iis cõtingit, qui ex argento viuo vncti sunt, aut ob euaporationes ab vtero, aut à liene, aut ab ore ventriculi, hepate, vnde per interualla accessiones fiunt nunc grauiores, nunc mitiores. Signa veræ palpitationis cordis concussio cum sonitu, qui auditur aliquando à circumstantib. saltem sentitur admouentibus manum. Pulsus inæqualis, vibratio, vt in timore recenti & vehementi. Auic. Pulsus diuersus transiens terminum in diuersitate sensu percepta, in magnitudine, paruitate, velocitate, tarditate, raritate, & frequentia. Sensus tristis circa cor. Cordis morsus Hipp. sed Gal. nõ vult morsum à corde sentiri, nec dolorẽ vllũ. Vel quasi natare in aqua cor videatur, vel constringi, & suffocari. Totius corporis imbecillitas ob laborem vitalis facultatis. Aliquando totius concussio, vt etiam lectulus concutiatur, ob motum violentum arteriarũ, qui etiam

2. ca. pu. 1.

4. Acu. 26.

4. Io. af. 8.

Pul ad Tir. 11.

4. Aph. 65.

5. Io. af. 2.

4. Acu. 26.

neruis

neruis communicari aliquando necesse est, vnde convulsiones fiant. Eius, quæ ex plenitudine sanguinis, fasciturbores, subita accessio in corpore sano, obmutescentia repentina absq; vehementi occasione. Aquæ in pericardio, pulsus vndosus, mollis, sensus tristis, ac si cor in aqua natet, tuberculi, pulsus durus, macies totius corporis, videtur cor quasi manu constringi. Ex biliosis humoribus, febris, pulsus frequens, ras, cordis morsus. Ex distillatione tussis, difficilis respiratio. Prognostica, periculum ob motus vehementiam ne dissipetur calidum innatum, vt flamma ex motu. Transit in syncopem & mortem. Qui euadunt a symptomate, pleriq; sanantur in totum. Si a sanguine, minus si à prauis humorib. aut aqua in pericardio. In febribus malum. Insanabilis ex tuberculo. Qui singulis annis corripiuntur, fere omnes intereunt, à 40. ann. vsque ad 50. ante senectutem. An significatur subesse tuberculum, quod statis temporib. offendit facta euidenti plenitudine in anguftia venarum? Repertũ est Romæ nup in beato Philippo Nerio sacerdote, qui sæpius in palpitationem cordis incidebat ex vehemẽti extasi, cor valde amplum, & arteria quæ ducit in pulmonem duplo latior naturali. Eidem duæ costæ mendosæ in latere sinistro abruptæ à suis cartilaginibus follis instar eleuabantur & deprimebantur, dum palpitationem pateretur, quo remedio diuinitus seruatus est, ne extingueretur vsque ad annum octuagesimum.

4. Ac. 26.

4. Præs. 11.
4. Io. af. 8.
4. Aph. 65.
5. Io. af. 2.

CAP. XXI.

Curatio Palpitationis.

CVratio palpitationis. Ad plenitudinem sanguinis venam internam brachii dextri secare, & sanguinẽ auferre, ratione inspecta habitus & ætatis, & Gal. Venæ sectio & victus extenuans, facit & ad præseruationem. Videtur conuenire & in cæteris ob plenitudinem saltem in ordine genitam ex concursu calidi à quacunque causa, præsertim in timore. Sed suspecta est in materia venenosa, &

4. Acu 24.
5 Io. af. 2.

sa, & corruptis humorib. & in extenuatis, & virtute imbecille. Conuenit magis in materia calida & cum febre, Ras. in retentione menstruorum, & hæmorrhoidarū, inde incipiendum: postea ex brachio dextro, dein sinistro. An vrgente morbo prius ex brachio interim vinculis adhibitis ad crura? Ad prauos humores calidos vel frigidos, aut venenosos purgatio, & alteratio, & cordis roboratio. Purgandum in initio per inferiora, postea vomitu. Oppositio ordine præcipit Hipp. prius reficere post venæ sectionem, postea habita iudicationis ratione, si non ieiunetur, superiorem ventrem purgare, inferiorem vero, si nō deiecerit, clysmum inijcere. Coctum deinde lac asinæ dabis. Nos ad pituitam & aquam in pericardio agaricum, hieram ex colocynthide, diaphœnicō. Ad melancho. Senam, epithymum, mirabolanos, indos, lapidem lazuli, pil. indas. hamech, diasena cum aqua casei Mes. Hodie antimonium præparatum. Ad flauam bilem rhabarbarum, syr. rosatus solutiuus, electuarium rosatum. Auice. singulis diebus exhibebat drachmam vnam rhabarbari cū aqua frigida. Alterantia ad tremorem calidum, refrigerantia, omnibus conueniunt in accessione ob feruorem in corde, & ad repellendum. Intus syr. de acido citri, de limonibus, de agresta, oxysaccharo, de pomis acidis cum aqua rosacea, violarum, acetosæ, nymphææ. Triasandali, saccharum rosatum, viol. diamargariton frigidum, corallū, margaritæ, terra sigillata, bolus armenus, bezaar, camfora, spodium Arabum. Ras. trochiscos conficit ex seminib. communibus frigidis maioribus, & minorib. sandalis, rosis cum succo malorum acidorū. Exhibet per duas hebdomadas & lac in potu extracto butyro. Auic. Cū tria. etur inflammatio cordis in vehemēti accessione obstupefacit ex semine mandragoræ scrupulo vno, opio granis tribus, cum croco, ligno aloes, canfora. Extra, epithema tepidum ex aqua rosacea, violarum, aceto rosato speciebus cordialibus frigidis, canfora, sandalis, rosis, croco. Linimentum cordiale frigidum Guainerii; oleum ex semine 4. Aeu. 29.

semine citri. Victus refrigerans ex fructibus, carnibus cum aceto paratis, ingesta. Potus aquæ frigidæ cum vino granatorum, sorbitio aquæ ex niue cum aqua rosacea sæpe Auic. Aeris mutatio ad frigidum. Alterantia ad tremorem frigidū, calefacientia, suspecta sunt in accessionibus ob motum. Incidentia & extenuantia, ad pituitam crassam, oxymel. sy. Comp. sy. de cordicib. citri. Bisantinus, decoctio origani, thymi, serpilli, hyssopi, enulæ. Ad Melanch. extenuantia & humectantia, sy. de pomis dulcibus, de polypodio, de epithymo, de fumo terræ. Decoctio buglossæ, borraginis, melissæ. Addenda aromata ad robur cordis, cinnamomum, spica aqua distillata ex floribus citri, melissæ. Dissoluunt vapores crassos & malignos aeria & aromatica, intus zedoaria, doronicum, galanga, angelica, nux muscata, gariophylli ocimum, balsamum, ambras, moschus, lignum aloes, calamus aromaticus, macis, spica nardi, squinantum, cardamomum, cubebe, stœchas, polium, thymum, castorium. Composita, diamargaritō calidum, diambra, diamoscum, mitridatum, theriaca. Extra, epithemata ex aqua melissæ, lansa, buglossæ, mētæ, vino maluatico speciebus cordialibus calidis vel temperatis, croco, moscho. Inunctiones ex oleo nardino, nucis muscatæ, gariophyllorum, seminis citri. Linimentum calidum cordiale Guainerii. Theriaca, ex oleo & aceto. Roborantia cor cordialia appellata, cui maxime prospiciendū propter officii præstātiam.

7. Meth. 1. 12 Meth 5. Tuentur eius robur modice astringentia, odorata, & resicientia deperditū. Nam resoluunt relaxantia multum digerentia & euacuātia, & quælibet magnæ intemperies quibus opponūtur corroborantia. Consistere autem robur cordis tradit Gal. in spiritib. & solidis partib. cōseruata eorū bona temperie, & quantitate, quasi in humoribus, id est sanguine nō consistāt vires, quod negare nefas est: patet enim ob id vasorum compressiones periculosas esse. Sed in duobus prædictis subintelliguntur eorum elementa, ex quibus constant. Spiritus igitur cor-

1. Aph. 3.

dis

dis tuentur odorata ob familiaritatem, non tamen valde odorata. Nā dissoluunt & intestificiunt: nisi in parua quātitate sumantur, vt crocum, myrrha, styrax, ambra, moschus, camfora. Substantiam cordis tuētur temperata præcipue in calido & frigido: sic enim pugnāt aduersus quēcunq; excessum, sed siccantia, vt defendāt à putredine, & astringentia, vt opponantur relaxantib. Huiusmodi maxime reperiuntur inter metallica, quæ omnino imputrescibilia sunt: auri & argēti folia, fragmenta gemmarum pretiosarū, hiacynthi, sapphiri, smaragdi, granati, rubini, sardæ, magaritarū, cor-ll. tertæ insignis, lapis bezaar, quorum puluis accuratissime leuigatus in vino, aut aqua rosacea bibitur, vt feratur in venas. Extant & composita, electuarium de gemmis, lætificans Alchermes. Victus in plenitudine extenuans, sed in accessione tenuis. In frigido calfaciens, carnes cum aromatibus, vinum odoratum dilutum cum aqua cinnamomi. Vestes oleant ambram, moschum, crocum, suffimenta ex styrace, quies. Somnus interrumpendus, in accessione animi tranquillitas.

CAP. XXII.

De Syncope.

SYncope à verbo Syncoptin, quod est præcidere, est præceps virium lapsus, id est, omnium, inter reperti- *12. Meth 5.*
nas obmutescentias, nā pereūte vitali, cæteras perire ne- *5. lo. aff. 1.*
cesse est Animi deliquium, defectus, lypothymia, lypop- *1. Sy ca. 7.*
sichia, virium resolutio mitior est affectus. Auic. addit ca- *5. lo. aff. 2.*
sum virtutis, cum subito fit, nam lypothymia paulatim. Symptomata lædæ actionis oris ventriculi in genere tactus. At cardiaca alia est à stomachica. Quatenus virium lapsus symptoma est vitalis abolitæ vel diminutæ, morbus cordis aut primario, aut secundario. Intemperies quæcumque magna, incipiens inflammatio aut erysipelas, vulnus in superficie. Nam si ad ventriculos, subita mors. Consumptio solidæ substantiæ cordis in longis morbis, atrophia, febribus colliquantibus.

bus. Spirituum in ingenti dolore, animi perturbationib. 12. Meth. 5. vigiliis, motibus magnis. Euacuationes magnæ seu sanguinis, seu humorum, in purgationibus, sudoribus, superfluis, præcipue ob tenuitatem succinum, & corporis raritatem. Obstructiones ob copiam, vel eruditates, in principiis accessionum, vnde spirituum suffocatio, qui reflici nequeunt.

Alterationes ex succis vitiosis delatis ad cor in febre maligna, aeris malitia, venenis. Cur in febre ephemera non fit syncope, cum spiritus excandescant? An quia non prohibetur noua generatio spirituum ex bono sanguine? Differentiæ. Quædam ex defectu, quædam ex 12 Met. 5. & 11. Met. 1. plenitudine, quædam ex alteratione vel manifesta, vel à tota substantia, aut spirituum aut solidarum partium, in quibus duobus vires ponit Galenus. Comprehenduntur tamen & humores eorum elementa. Nam & hæc, inquit, mediocri temperie esse oportet, & quantitate. Quædam per essentiam cardiaca appellata, quædam per consensum, vt stomatica, vterina. Quædam vehemens, quædam debilis, continua, vel interpellata. Signa sensui manifesta, scilicet lapsus virium, sensus motus, pulsus. Nam non vident, non audiunt, non loquuntur, decidunt. Aliquando retinendus sensus illæsi, solum collabuntur, quem casum virtutis vocat Auicen. Retineri De So. & vig. 3. phantasiam in vehementi animi deliquio testatur Arist. Pulsus paruus aut nullus. Respiratio obscura, aut nulla sensibilis. Cur hi sine respiratione diutius viuere possunt, quam in apoplexia? An ob defectum caloris non egent tanta refrigeratione? Discernitur ab apoplexia, stertore & pulsu. Nam pulsante corde in apoplexia pulmo eleuatur, & stertorem facit, similiter in epilepsia, & vertigine: Virtutis naturalis lapsus cognoscitur, refrigeratione extremorum, colore exalbido, præsertim in labiis, sudore frigido & minuto circa frontem & ceruicem. Aetius sudores syncopticos vocat, non fieri in animi deliquio. Signa patientis cordis per essentiam, frequens

quens resolutio sine causa manifesta significat imbecillitatem cordis. 2. *Aph.* 42.

Ex frigiditate, pulsus tardus, intermittens. Ex caliditate, frequens, paruus & inæqualis. Inflammationis aut erysipelatis. Febris vehementissima, colliquans, si præcesserit inflammatio vicinarum partium. Vulnus ad sensum patet. Ob resolutionem substantiæ cordis. Facies Hippocratica, id est, nares acutæ, oculi concaui, tempora collapsa, cutis arida circa frontem. Ob spirituum resolutionem, ex causis colligere licet, vt dolor ex vulnerato nerno, aut capite musculi. Timor subitus & vehemens, voluptas maxima, quam Græci Pericarian, seu gaudiũ vocant. Anxietas, curæ, vigiliæ, inanition. humorum, vnde sequitur vtriusque consumptio. Fluxus immodicus sanguinis, aquæ, puris, alui, vomitus, sudoris. Inedia, labores, balnea, calida hypocausta. Medicamenta valde digerentia, vt theriaca in puero, aut iis qui raro habitu constant, qui graciles, qui atrophia laborant, & morbis longis afflictati sunt. Ob plenitudinem, corpus tumidum, præcordia inflata, lassitudo grauis. Pulsus paruus, inæqualis, obscurus. Color albus, vel plumbeus, liuidus. Ob cruditates; Febrium accessiones singulis diebus præcipue ad vesperam & noctu, non mane nec ad meridiem. Obstructo membro principali, pulsus inæqualis, intercisus. Ob corruptos humores. Morsus oris ventriculi vomitus bilis æruginosæ, febris pestilens, vermes. Vteri affectus bulimus, venena, vt fungi. Prognostica. Quæcunque per essentiam aut ex inflammatione, aut erysipelate, aut vulnere fiunt, lethales, aut statim intereunt, aut nocte sequenti non vltra biduum. Ex inflammatione iecinoris aut ventriculi, septi transuersi, aut ex cruditatibus cum corruptela lethales. Qui frequenter & fortiter absque causa manifesta exsoluuntur, repente moriuntur. Facies Hippocratica; color liuidus, niger, venena, status pestilens, lethalia. 2. *Prog.* 4. 12. *Met.* 6. 1. *Prog.* 7. 1. *Gla.* 14. 12 *Met.* 3. 12. *Met.* 3. 1. *Gla.* 14. 12. *Meth.* 8. 2. *Ali.* 69. 5 *Io. af.* 2. 12. *Met.* 3. 2. *Aph.* 42.

Minus periculosa ex sola spirituum resolutione ex

12. Meth. 6 causa procatarctica, ex mordentibus humoribus, ex vtero, ex sola obstructione & cæteris causis breui tempore sanatur.

CAP. XXIII.

Curatio Syncopis.

CVratio Syncopis vna ad symptoma, altera ad diuersos affectus, qui syncopem inducunt. In paroxismo reuocandæ sunt vires alimento, quæ est communis omnium curatio, quamuis ex plenitudine oriatur: nam saltem defectus adest spirituum, qui si non reficiantur, imminet periculum, ne calor innatus extinguatur. Ad præcipitem lapsum citissima instauratio. Quæ enim longo tẽpore extenuata sunt corpora, lente reficere oportet, quæ vero breui, breuiter. Potus magis, quam cibi, adhuc citius odores. At odor non nutrit Aristot. id est, non reficit solida nec humores. Sed refici spiritus experientia constat. non solum odoribus alterari cerebrum ad caliditatem, quod sanum est, vt scribit Aristoteles, sed etiam cordi conuenire non ratione calidi. Odores enim nunc calidi, nunc frigidi conueniunt pro diuersitate affectus, ad nares, ad tempora, in carpo, pede, testiculis, iugulo, cordi. Frigidi ex aceto rosato, aqua rosata. Cucumere recenti Dioscor. Fructus pomacei; flores rosarum, violarum. Calidi ex vino maluatico aut alio generoso, gariophyllis, cinnamomo, croco, ambra, mosco. Epithemata cordi, testiculis. Balsami inunctio, aqua ardens cum aromatibus. Intus vinum modicum degustare ex pane infuso, citissime nutrit.

2. Aph. 7. 11.

De San. 3.

Eligendum vinum natura calidum, quod diductionem in corpus promoueat, flauum, tenue, vetus, boni odoris, non amarum, sed austerum & suaue, vt citissime transeat in alimentum. Pro diuersitate affectus nunc tenuiora, nunc crassiora, frigidiora vel calidiora conueniunt. Non conueniunt autem in inflammationibus viscerum, nec in quibus est desperata salus, neque in plenitudine

12. Met. 4.

tudine citra inflammationem vsq; ad 7. diem. At vinum inquit, in omnibus, quos syncope male habet, offerre conuenit. Nam in his, quibus non conuenit, cogimur aliquando vini aliquid dare, non quo affectum curemus, sed vt periculum in præsens depellamus. *12. Meth. 3. 4.*

Curatio affectionum. Ad dissipationem indicatur refectio, ad plenitudinem euacuatio, ad prauitatem alteratio. Ad solam igitur dissipationem sola adiectio, sed varie pro causarum diuersitate. Si paulatim ob corporis raritatem, & succorum tenuitatem, in sudoribus superfluis, vigiliis, curis, inedia, laboribus paulatim, & assidue nutriendi, si vires valent, etiã vberius si ferbrierent, etiã in ipsis accessionibus & in principio, & paulo ante accessionẽ, quod in cæteris prohibetur, nam cibum dare noxium est. Non ptisana, non mulsa, sed tibi, qui non facile dissipentur, boni succi & concoctu faciles, halica, panis optimus, ouorum vitelli magis, nã albumẽ difficile coquitur, fructus austeri, testiculi gallorum, cerebrum suillum assum, post quartam diem aliquid carnis. Vinum in principio aquosum calidum, at in ipsa accessione frigidũ, nil calidum. Exterius cutis denlanda & refrigeranda oleo rosaceo, aqua frigida aspersa in paroxismo ad faciẽ, acetum ad oculos, ventilatio, aer frigidus ex myrthorũ foliis, vitium anulis, rosis, in aqua frigida irrigato solio. Non vincula, non frictiones, non vomitus, nec motus. Si os amaricat, potius repellentibus os ventriculi roborandum ex succis acidis, & fructibus. *12. Met. 6.*

Ad superfluas euacuationes vniuersim factas, reuocãdi spiritus ad principia, aqua frigida spargere oportet, & nares apprehendere, os ventriculi perfricare, iubere vt vomant, irritando digitis, vel pẽna. Nã in iis commouetur flaua bilis ad vẽtriculum. Reuulsiones per vincula ad manus, aut pedes oppositos fluxionib. non multũ ne ex defatigatione deficiat. Cucurbitulis ad mãmillas in fluxu mẽstruorũ, ad hypochon. si fluat ex narib. Balneis in fluxu vẽteris, nõ si fluat sanguis. Refectio ex vino frigida tẽ- *1. Gla. 14.*

perato, eligendum nigrum & austerum in fluxu sanguinis, tenue & calidum in fluxu ad ventriculum, calidè temperatum in senibus, hyeme, frigidioribus naturis, & consuetudine. Contra indicat inflammatio viscerum, dolor capitis vehemens, delirium, febris ardens. In abscessum descriptione, sectione, confestim odoribus optimis, qui simul faciant ad putridos vapores contemperandos. Postea sorbitiones coctu faciles, iura, oua sorbilia, ptisana. In doloribus ex vulnere in neruis, aut colicis, purgantibus, refectio ex vini potu, frictio extremorum, opiata, postea sanandus affectus. Ad tristitiam, timorem & cæteros animi motus, odores narium, apprehensio vomitus, nam simul commotio prauorum fit. Quies in omnibus, vt etiam non assurgant ad aluum exonerandam. Ad syncopem ex plenitudine indicarentur euacuantia, sed virès non sustinent, neque venæ sectionem, neque medicamenta purgantia. Nulli talium sanguis mittitur
12. Meth. 3. sine maximo dispendio, neque purgationem sustinent,
2. ca. pu. 1. quamuis indigeant. Auicenna tamen concedit vtrumq;
12. Meth. 3. quem sequuntur recentiores, quia imbecillitas virium ex copia & onere quandoque fit, quam sanat euacuatio. An modus euacuationis requiritur insensibiliter, paulatim & sæpe? Nam cum copia humoris adest defectus spirituum, qui propter plenitudinem & obstructionem nõ reficiuntur. Galenus nullam aliam idoneam inuenit, quam per iteratas frictiones & inediam, quem sequuntur Paul. Aet. & Trall. in principio morbi vsq; ad diem tertiam frictionis cum linteis asperis incipiendo à cruribus superne deorsum, vt cutis ferè abradatur, postea ad tota brachia, vltimo ad spinam dorsi vbique superne deorsum, post siccam fricationem oleo fricandum, vt tollatur lassitudo. Iterum reuertendum ad crura sicca prius fricatione, sed molliori linteo, dein ex oleo, si hyems fuerit, chamæmelino, anethino, similiter ad brachia, & dorsum tota die, paulisper quiescendũ in cibo & somno, qui moderatus & partior, ne grauet viscera. Clysteres adhibendi

bendi post tertiam diem, si sponte aluus nō deiiciat. Abstinendum ab omni cibo, sorbitione, vino, aqua, vsque ad tertiam diem, sed sola mulsa exhibenda, aut oxymel, nec liberaliter, incocto hyssopo, origano in copia crudorum. Die quarta si pulsus in mediocri robore sit, æqualis, non intercisus, & aluus non nimis deiiciat, seruandus vsque ad septimā diem in eodē victu. Si vero aluus nimis deiiciat, & ex vsu mulsæ præsertim crudioris cōtingere solet, concedenda sorbitio ptisanæ & halicæ. Quod si pulsus illico ad imbecillitatem mutatur, exhibendus panis ex vino diluto; non cataplasma, neque perfusiones ad præcordia ne accersant inflāmationes. Cum superflua magna ex parte fuerint euacuata, & partim concocta, fouere commodum est ex absynthio, nisi febris magna adsit, non balnea, non aer calidior, neque frigidior, nam calor motum facit ad præcordia, frigus obstructiones. Humores autem quiescere melius est circa hepar & paruas venas. Si iam syncope accessit, exhibendus panis non multus ex vino, quod celeriter digeratur, cum aqua frigida in æstate, calida in hyeme, sed potio secunda, & tertia calida, vt cibus digeratur, optimum falernum crudis concoquendis, transacta septima vberius nutriendum, carnibus, vino. Trall. veretur tantam inediam, & continuas frictiones, satius inquit modice sanguinem mittere leuiter purgare, & frictionibus moderationibus vti, tū sacta septima efficacius purgare, si per crisim non fuerit euacuatus. Ad syncopem ex prauis humoribus, aut corruptis euacuatio & alteratio. Repellere à corde. Euacuādi per vomitum ex aqua tepida vel hydræleo, si circa os ventriculi. Præparandi ad vomitum, si difficulter vomāt, calfaciendo quæ os ventriculi circunstant, & frictione manuum & pedum, deinde irritandus digitis vel penna. Rursus oleum calidum optimum bibendum, quo & vēter emolliatur. Præstat oleum amygdalarum dulcium vncijs quatuor, aut sex. Dein roborandus ex absynthio in melicrato. Repellendi humores, aliunde aduenientis

potu frigido vini austeri, fului, aut rubri. Reuellendi ad crura, brachia frictionibus extremorum. Si ex vtero, fricandi pedes magis, quam manus: cucurbitulę coxis & inguinibus; odoribus ad vterum suauibus, laxantibus & calfacientibus ex squinantho, nuce muscata, gallia muscata, sampsuco, matricaria, meliloto, croco, epithematis & vnctionibus. In vmbilico parum moschi superpositō galbano. Naribus autem odores fœdiores ex capillis vstis assa fœtida. Potus melicrati, in quo thymum, origanum, pulegium, trifera magna. Alteratio secundum varias humorum prauitates, & ad quancumque intemperiem, vt in palpitatione dictum est, vel secundum qualitates manifestas, vel à tota substantia in putredine pestilenti, & venenis. In omnibus eligenda cordialia, quæ siccent & cor roborent, dicta in palpitatione. Vbi plures affectus coniunguntur, vt defectus, & humor infectans, ad vtriusq; remedia, additio & ablatio, quod est per epicrasim curare.

12. Meth. 8.

Libri sexti finis.

AN-

ANDREAE CÆSALPINI ARTIS MEDICÆ

LIBER VII.

De morbis ventris.

CAP. I.

Partium naturalium apparatus.

FACVLTAS naturalis est potentia animæ vegetatiuæ, cuius actio est generatio sibi similis, auctio, & nutritio; Opera sunt particulæ omnes, earundem perfecta magnitudo, & conseruatio. Materia generationis quidem appellatur semen, auctionis autem & nutritionis alimentum. Efficiens calor innatus, seu spiritus animæ particeps. Calore fit alteratio, ratione animæ perfectio. Animæ vegetatiuæ quatuor facultates famulantur, naturales appellatæ. Attractrix alimenti, retentrix, concoctrix, & expultrix inutilium, horum gratia multorum instrumentorum apparatu opus fuit. Quæ trium generum sunt, quædam ad coctionem alimenti, quædam ad ductum, quædam ad excrementorum separationem. Ad coctionem ventres dati sunt, quorum primus ventriculus, quem ventrem superiorem vocat Galenus, ad ductum alimenti. Intestina, qui venter inferior à Galeno dicitur, (nam in ductu etiam coquitur alimentum) simul & continent excrementa crassa, vt triplicem vsum præstent. Primum ad distributionem alimenti veluti via quædam publica, in quam frequentes venæ perueniunt, ad fugen-

1. fac. nat. 10

4. vsu pa. 17

dum alimentum. Alterum ad coctionem, quæ in *transitu* fit. Tertium ad expulsionem excrementorum, quæ relinquuntur post suctionem à venis factam. Vt autem eorum longitudo in aluo contineri posset, circularibus circumuolutionibus accommodata sunt, per mesenterium pendentia ex dorso, partim gracilia, partim crassa. Gracilia superiora, duodenum ex ore inferiori ventriculi exortum, ieiunum, ileon iuxta vmbilicum replicata vsque ad pubem. Crassa interiora iam fæces continent. Cæcum, quod nothæ tantum gratia hominibus datum est, exiguum. Colon sinuosum, ne citius defluant excrementa, incipit ab ileo iuxta renem dextrum, inde anterius sub ventriculo veluti cingulum tendit ad renem sinistrum. Rectum substantia crassiori constat, sub rene sinistro ex colo nascitur, inde flectitur ad spinam, & deorsum prorepit ad exitum excrementorum. Constant tam intestina, quam ventriculus duplici tunica, quarum interna villis rectis constat ad attractionem, externa villis transuersis ad retentionem & expulsionem. Neruos habent, quibus sentiunt, à sexto pari neruorum cerebri. Alterum genus vasorum datum est, quod simul facit ad ductum alimenti, & coctionem in transitu, venæ & arteriæ. Venæ latæ duæ, à quibus multi rami sparguntur. Porta & caua, quarum veluti radicatio in hepate est. Ex porta ramuli multi ad intestina & ventriculum tendunt, vna cũ arteriis per mesenterium, vnde venæ meseraicæ vocantur, sugentes chylum, vt ferant ad hepar, & interim in sanguinem conuertunt. Ex iis quædam fæcem sanguinis separant, ducentes ad lienem, vt ex liene partim in intestina crassa exonerent, partim ad os ventriculi superius, vt ad cibi appetentiam excitentur. Ad tenue autem excrementum, quod in generatione sanguinis fit, natura instituit vesicam fellis sub hepate, vt inde exoneretur ad duodenum intestinum, & ad excretionem irritet. Vena autem caua ramos in totum corpus dispergit, vt simul cum arteriis vniuersas partes nutriant. Ab eadem caua

rami

rami quidam insignes ad renes tendunt, venæ emulgentes vocatæ, per quas superflua sanguinis aquositas excernitur, vt per vasa vrinaria in vesicam feratur, vnde vrina redditur. Prope emulgentes alii rami cum arteriis ad testiculos descendunt, materiam seminis ferentes, ideo vasa spermatica vocata, vt postquã in testiculis excrementum id separatum fuerit, excernatur per vasa eiaculantia in pudendum. Continentur hæc omnia sub septo transuerso intra abdomen. Totam cauitatem ambit peritonæum membrana admodum dura, quam tegunt musculi abdominis ad expressionẽ fœcum necessarii. Ventriculo data est prima coctio alimenti, quæ elixationi similis est. Arist. Ideo eget pituita ex capite, quæ proxima est sanguinis materia, & cibi duriores egent potu, vt soluantur in chylum, quæ species est pituitæ. Cum autem ventriculi substantia alba sit, frigida & exanguis, coctio autem à calore fiat, calorem natiuum habet à corde per arterias, fouet pinguedo meseterii, omenti, abdominis. Hepar amplectens in dextris, lien in sinistris. Os superius, quod stomachus vocatur, qua datur cibi ingressus per œsophagum, prope cor est; os inferius, vnde datur exitus in intestina, sub hepate situm est. Media cauitas, quæ fundus ventriculi vocatur, sub mucronata cartilagine pectoris est ad dorsum supra renes. Sed oritur dubitatio circa ventriculi & intestinorum nutritionem. Cum enim necesse sit omnes partes nutriri sãguine, venæ meseraicæ non possunt illis sanguinem tribuere, quia datæ sunt vt sugant chylum, & ferant ad hepar, simul autẽ per easdem ferri sursum chylũ & sanguinẽ deorsum, absurdum est; neq; diuersis temporibus. Nunquam enim venæ meseraicæ repertæ sunt chylo plenæ, sed semper sanguine, quomodo igitur sugunt chylum, vt omnes fatentur? Præterea, si concoctio ab vnoquoque fit, vt fruatur materia quæ concoquitur, vẽtriculus & intestina nutriẽtur chylo, quod à quibusdam conceditur. Nã infantes in vtero reperiuntur pituitam in ventriculo habere, quod ab

4. vsp. 1. *4. Met. 3.* *4. vsp. 9.* *8.*

2. Ge. an. 5. auctore, qui librum de principiis conscripsit, adscriptum Hippocrati putatum est, quia infans ex vtero labiis sugit, quam sententiam Aristoteles tribuit Democrito. Sed pituita huiusmodi ex capite colligitur, vt venæ meseraicæ materiam sanguinis habeant, quæ feratur ad hepar. Quod autem sanguis semper reperiatur in venis illis, nunquam autem materia alba, causa est, quia arteriæ cũ venis delatæ per anastomasin sanguinem in venas transfundunt, vndechyli fit conuersio in sanguinem, vt vinum facit aquæ mixtum. Hoc modo nulla difficultas relinquitur: nutritur enim ventriculus & intestina ex chylosa substantia, quam in concoctione eliciunt ex cibis, sed admixtione sanguinis arterialis, sine quo nulla fit nutritio. Continuę autem fertur sursum per venas meseraicas ad hepar materia sanguinis, & deorsum per arterias sanguis perfectissimus. Huius gratia arteriæ numerosiores his datæ sunt, quam cæteris partibus, & omentum retis similitudine ex iis contextum est, non solum vt nutrirentur intestina & ventriculus, sed etiam vt in illis inciperet sanguinis generatio, quam neq; venarum tunicæ, neq; arteriarum, neq; ventriculi, & intestinorum substãtia alba efficere possunt, sed sola sanguinis arterialis substantia ex fonte caloris innati emanans.

CAPVT II.

De Ventriculi & Intestinorum affectibus & dolore.

5. Ie. af. 5. VItia ventriculi alia sunt in ingressu cibi, id est, œsophago, & ore superiori, alia in egressu, id est, ore inferiori, alia in fundo. Oesophagi affectus, quibus impeditur deuoratio, vel est tumor, vel compressio à vertebris luxatis, vt in angina, vel obstructio, vt ex duro aliquo impacto, aut spina, vel vlcus, vel sola intemperies sicca, vel frigida, qua redditur imbecillis ad deuorãdum, vt quibusdam contigit ex potu aquæ frigidæ, aliis ex se-

23. Met. 17. bre. Sed hæc pertinent ad morbos thoracis: nam remedia

dia externa ad ſpinam dorſi applicanda ſunt, licet ſtomachus aliquando vocetur.

Oris ventriculi affectus. Cardialgia, id eſt, cordis dolor, (nam antiquis ob affinitatem cor appellatum eſt) ſyncope ſtomachica, ſingultus, conuulſio, comitiales, melancholiæ, ſopores, ſuffuſiones potius imaginationes ſuffuſionum ob communionem per neruos cum cerebro. Amplius appetentiæ deprauatæ cibi aut potus, fames canina, bulimus, ſitis, pica, nauſea, diminutæ, quæ inappetentia. In fundo ventriculi eruditas, tarda coctio, ciborum corruptio. In piloro, id eſt, oſtio inferiori irritationes ad expellendum nunc per alui fluxum, nunc per vomitum, nunc per vtramque partem, qui morbus cholera vocatur. Aut tardus deſcenſus ciborum, vnde aluus ſicca. Sed prius de dolore agamus. *5.lo. af. 7.* *5.lo af. 5.*

Ventriculi dolor in ore ſuperiori magis fit, vbi ſenſus exquiſitior, ſæpe cordi adſcribitur ob propinquitatem, vnde cardialgia vocatur, ſi cum febre, Aet. Cauſa, ſolutio continui vel alteratio, licet omnis ad ſolutionem continui reducatur à Galen. Solutionis ſpecies, ruptio, quæ ob diſtenſionem fit ab humore, vel flatu replente, vel ob ſiccitatem immodicam, at non ſine motu diſtendente, vt à cibis aſſumptis. *12.Met.5.* *2.Catat. 1.*

Contuſio ab ictu externo, aut duro corpore incumbēte, vt facit lapis in veſica. Eroſio ex mordente ſucco, vermibus. Trall. Alteratio confertim facta à refrigerante, aut calefaciente, aut ſiccante, vel ſpiritu, vel humore, vel medicamento, per eſſentiam, ſi in ventriculo geniti ſint, aut maneant. Per conſenſum, ſi aliunde ferantur, aut ſola qualitas communicetur, vt contingit aliquando ex vulnere capitis cū fractura oſſis. Signum enim eſt fracti oſſis, dolor ventriculi, aut vomitus per neruos communicato ſolo dolore, non materia. Simili modo aliquando conuulſiones fiunt per conſenſum.

Ex quibus colligi poſſunt differentiæ. Exempla, quidam corripiuntur dolore ventriculi ante cibum, ſedatus

tur assumpto cibo, contingit in picrocholis ob bilis effusionem in ieiunio. Cũ enim venæ meseraicæ lugant, nec cibum inueniant, replentur bile, quam transfundunt in ventriculum, vnde dolor. Quidam statim assumpto cibo dolent, quod contingit in sicco vẽtriculo, aut vlcere, quia ex motu excitatur solutio continui. Quidam paulo post cibum, nec sedatur, nisi post coctionẽ, quod contingit in hypochondriaca passione ob flatum. Quidam post cibũ tribus aut quatuor horis, aliquando tardius, aduenit ob cibi corruptionem, sedatur vomitu, aliquando perseuerat quando imbibitur in tunicis. Quidam post somnum ob descensum à capite, sedatur vomitu. Quidam continuus est, cum in tunicis continetur, cum febre in inflammatione ventriculi. Quidam per circuitus in febrium accessionibus, aut sine febre ob motum humoris aut flatus à quacunq; causa. Signa doloris habentur ex relatu ægri, nisi infans sit, aut mens laboret. In infante eiulatus cum vomitu aut singultu, aut motus labii inferioris, pulsus afflictatio. Distinguitur à colica loco superiori. Si in œsophago, angustia in deglutiendo, dolor prope dorsum si in ore ventriculi, in sinistra parte, videtur in corde syncope stomachica, pulsus afflictatio, conuulsio. Si in fundo dolor sub mucronata cartilagine, ambigit cum colica, si in ostio inferiori, dolor in dextra, ambigit cum hepate ileo. Si in anteriori parte, tactu sentitur. Si in posteriori, communicatur dorso. Signa affectus tensionis, tumor, durities in hypochondrio. Si inflammatio, dolet ad tactum, si ex flatu, rugitus, ructus, mobilitas, non grauitas, infestat per accessiones. Ex humore pituitoso, grauitas noctu magis, pulsus tardus, rarus, paruus, vomitus acidus. Ex inflammatione, calor, febris non admodum ardens, sitis, deiecta appetentia, pulsus durus, dolor continuus, acerbatur assumpto cibo, vomitus vel deiectio singultus. Extremorum refrigeratio insequitur magnas inflãmationes internas.

22 Meth 8
5. loc. af. 5.
12. Meth. 8

ternas. Erosionis, morsus, singultus, syncope, sudores frigidi, pulsus valde parui. Ex bile, vomitus amarus, ærugi- *12. Met. 8.*
nosus, porraceus. Ex atra bile, vomitus fuscus, acerbus, *5. lo. af. 6.*
acris, obstupefaciens dentes. Ex pituita salsa, sitis ingens,
oris salsedo. Ex vermibus, fœtor oris peculiaris, vt in pue- *5. loc. aff.*
ris. Vlceris irritatio ab acidis, austeris. Ex siccitate exte- *1. dig. pu. 8.*
nuatio abdominis, aliquando totius. Sentitur palsatio
sub ventriculo, in plano habitu nequaquam, clydones, id
est, fluctuatio cum sonitu tanquam in vtre, quia vitiatur
amplexus, & ciborum corruptio. Si ex proprio affectu, ir- *5 lo af. 6.*
ritatur à quacunque vel minima causa, vt venere, vino:
imbecillitas, nimius sensus. Per consensum, affligi cum
partibus consensum facientibus. Prognostica. Inflam-
matio periculosa, vbi syncopen facit, lethalis. Singultus
malus. Ex siccitate, incurabilis si ex febre ortum ducit. *12. Met 3.*
Cæteri difficillimi. Vlcera difficillime & longo tempore *7. Aph. 3.*
sanantur. Natu maiores omnes pereunt. Ex cæteris cau- *5. lo. af. 5.*
sis sanantur, breuius ex bile, tardius ex pituita, difficilius
ex atra.

CAP. III.

Curatio doloris ventriculi.

CVratio vna ad symptoma per mitigantia anodina, altera ad affectus per sanantia. Anodina vera tutio- *5. Simp. 19.*
ra calida in primo gradu tenuium partium, rarefacien
tia, nullum astringens, etiamsi affectus requirat. Chamæ-
melum, anethum, althæa, fœnugræcum. Ex aqua, aut
oleo dulci fouere, irrigare, inungere. Intus oleum amyg-
dalarum dulcium vnciis quatuor vsque ad sex simul e-
mollit aluum, aut cochlearibus ad solam mitigationem
in omnibus, magis in frigidis. Anodina falsa periculosa:
vbi vrget vehementia, in calidis magis. Obstupefacien- *12. Met. 8.*
tia frigida in 4. non valde humida, cicuta sicca, mandra-
goræ cortex, hyosciami semen, opium, admiscenda sic-
cantia calida, & odorata ad correctionem. Theriaca re-
cens, Philonium Romanum, scrupulo vno. Trochisci de
stella

ſtella drachma vna vſq; ad duas. Raſ. cũ vino ad profundos dolores, ad affectus digerentia flatus, euacuantia humores, alterantia qualitates excedentes, eligenda quæ ventriculo familiaria, ſtomachica vocata, nõ ſine a-
11. Meth. 16 ſtrictione ad robur ob neceſſitatem coctionis, odorata propter cordis & cerebri affinitatem. Inter calida abſynthium, ſpica, cinnamomum, macis, aloes, maſtiche. Inter frigida roſæ, flores labruſcæ, mala cotonea.

Ad flatus digerendos calida & ſiccantia, vulgo carminatiua, ſemen dauci, ameos, cymini, aniſi, fæniculi, coriandri, ſeſeli, ſampſucum, chamæmelum, anethum, lauri folia, baccæ, ruta. Intus in potu pulueres, vel decocta in vino generoſo. Electuaria diatrion pipereon, dianiſum, diacyminũ, diaga longa, cibus paucus, nullus in acceſſione, carnes toſtæ, auiculæ cum pipere, gariophyllis. Extra fomentum ex aqua & vino generoſo incoctis ſupra dictis, & additis ſtomachicis aſtringentibus facculi. Mica panis calidi ex oleo nardino aſperſo cu-
14. Meth. 8 mino. Cucurbitula magna cum multa flamma per horam illico ſanat quaſi incantamentum. An aliquando flatus per repellentia propelluntur, præcipue ſi aliunde aduenient? Ad pituitam calefacientia conuenirent, ſed nocent, quia pituitam in flatum conuertunt, incidentia, & concoquentia non multum calida, attenuantia. Oxymel ſ. comp. Scyllitticum, decoctum hyſſopi, origani, thymi, euacuatio per vomitum ex decocto anethi, vel raphani cum oxymelite. Hiera ad imbibitos in tunicis, non ea quæ trahunt à longinquis. Terebynthinæ vncia ſemis, vt ſuperbibat vinum generoſum. Aqua Tectuccii tribus diebus. Ad reliquias in hyeme aquæ ardentis vncia vna cum vino maluatico. Decoctio ligni ſaſſafras. Extra fouere multum oleo abſynthii, nardino, maſtichino, inunctio ex oleo nucis muſcatæ, aniſi. Panis toſtus & imbutus vino maluatico, inſperſo puluere gariophyllorum, abſynthio. Ad bilem & omnes humores tenues & acres, euacuatio per vomitum abſtergentibus

ſine

sine morsu, aqua tepida, aqua hordei. Ad eos qui in vilis, nil præstantius hiera s. Asclepiades exhibebat. Speciei rum drachmam vnam cũ aqua frigida vncijs sex, ne fieret subuersio, non cum melle. Galenus exhibet in pilulis ob amaritudinem drachmas tres. Si non succedat euacuatio, sanandum per epicrasim, alterantibus frigidis & humidis modice astringentib. ad robur, & repellendũ. Aquæ frigidæ vnciæ quatuor, vel sex per interualla bis vel ter. Postea cibis reuocandus, si perduret cum animi deliquio. Succus assidue dandus ex malis cotoneis, pyris, mespilis, baccis iuniperi, pampinis, rosis, mali punici nucleum non habentis. Omphacij succus ex aqua. Trochiscos ex nucleis pineis, seminibus cucumeris, myrthi baccis, croco, rosis, bibat ex aqua. Nardus, & rosæ cum aqua frigida. Semina portulacæ, atriplicis, rumicis syl. lactucæ, altheæ, mastiche. Syrupus de Ribes, de agresta, oxysacchara Extra folia vitis viridia, & trita, mala cotonea, mespila cum cerato, oleũ rosaceum omphacinum. Myrthi folia, rubi, lentisci. Portulaca subacta cum polenta frigida. Si nimium æstuosi, aqua frigida in vesica, nix, cucurbitarum ramenta, sed non diutius. Si non succedat per epicrasim, confugiendum ad obstupefacientia. aster stomachicus, qui hodie trochisci de stella. Auicen. ad atram bilem.

8. Catat 1. 12. Meth. 8.

8. Catat. 4.

8. Catat. 5.

CAP. IV.

De passione hypochondriaca.

IN passione hypochondriaca, quam Diocles describit in hunc modum. Assumpto cibo coctu difficili, & caustico, succedit sputum humidum & multũ, ructus acidus, flatus, æstus in præcordijs, postea fluctuatio: aliquando ventriculi vehementes dolores, qui concoctis cibis quiescunt: sed aliis indigestis reuertuntur aliquando ieiunis. Euomunt cibos crudos, pituitam subamarã, calidam & acidam, vel quæ aliquando obstupefacit dentes.

3. loc. af. 7.

tes. Morbus diuturnus, incipit aliquando ab ineunte ætate. Contingit ob vehementem caliditatem, in venis
2. *Morb.* meseraicis adurentem sanguinem. Idem traditur ab Hippocrate Auante ab eo vocatur, id est, morbus siccatorius, de quo inquit; Neque sine cibo esse, neque cibum acceptum tolerare posse. Nam sine cibo viscera sugunt, os ventriculi dolet, alias alia vomit, exspuit, à quibus aliquantisper melius habere videtur, sed vbi cibum assumpsit, ructus, ardor, rubor, deiiciendi cupiditas, solus flatus prodit, dolor capitis, punctio veluti ab aciculis modo in vna parte, modo in alia. Crurum grauitas, consumptio, & imbecillitas. Curat autem in hunc modum. Purgandus prius per inferiora, postea per superiora, & à capite. Vomat post cibum, abstineat à dulcib. & oleosis, & pinguibus, ab ebrietate. Lac & serum asininum præbe. Lauit in æstate aqua frigida. Paulo inferius similem morbum tradit, quem vocat morbum nigrum, & similem curationem adhibet. Iterum in libro de internis affectionibus in icteritia nigra post purgationem serum & lac bubulum, aut caprarum exhibet. Sed libr. 2. de morbis, lac & serum prohibet splenecticis. Galenus lac asininum,
3. *Catar. 4.* aut muliebre, aut bubulum silicibus incoctum potandum tradit ad atram bilem temperandam, & abluendam. Vnguentum nardinum ex aqua potatum, decoctū floris iunci odorati & rosarum flore infuso: Portulacæ succus per se, & cum nardo, oui vitellum tostum, & in farinam comminutum cum polenta. Amaræ nuces, pinceæ, semina cucumeris. Extra ad mitigandas exacerbationes, & distensiones in hypochondriacis, spongia ex aceto calido, atramentum sutorium, & alumen cum melle, aloes cum cerato myrthino, hederæ folia in vino cocta, bouinum stercus cum vino, plantago cum sale, marrubium cum pane & rosaceo. Si nimis distendatur, sanguinis missio, alui subductio cum glande, post hiera in potu.
Hodie purgamus ex syrupo de polypodio, efficacius pi-
8. *Catar. 4.* lulis de lapide Lazuli, Antimonio præparato, vt postea

sero, aut lacte mitigetur noxa. Victus ex iis, quæ difficulter corrumpuntur, & sunt boni succi. Panis parum fermentatus, aut nihil, ex carnibus venter, rostra, pedes, turdi, perdices, testacea, cochleæ, sisarum coctum, bulbi cocti, beta, brassica, oriza. Ex crudis cicorium, lactuca, mala, melapia, mala cotonea, mespila, punica, panis infusus in vino granatorum, ptisana cum eodem, vinum dulce in atra bile, austerum in flaua.

CAP. V.

De Curatione inflammationis Ventriculi, siccitatis, & Vlceris.

AD inflammationē, venæ sectio, vbi vires valent. An vires non valent in syncope? Paul. Aet. Trail. nō secant. Ral. & Auic. secant basilicam iteratis vicibus. Vbi non liceat, reuellendum in contraria, aut deriuandum in propinqua clysteribus, frictionibus extremorum, hirudinibus, cucurbitulis. Si dolor persistat, signum est impactum esse humorem, qui digerentia requirit, non euacuantia per pharmacum ob eruditatem, nisi sua sponte concitata id natura expetat. Non vomitu Auic. sed lenientibus in initio, cassiæ drachmæ tres, olei amygdalarum dulcium drachmæ duæ cum aqua endiuiæ, tolatri, absynthii. Ras. cum succo endiuiæ singulis diebus vsque in finem. Sirupi, refrigerantes vsque ad 7. De endiuia rosatus, de succo acetosæ. Non acida intus, quia mordent. Post 7. digerentia, aqua fœniculi, apii, cum succo absynthii, trochisci de rosis, spica. Cum desinit inflammatio, syrupus acetosus. Concocta materia, Galenus exhibet hieram. Extra digerentibus admiscenda astringentia, alioqui periculum de vita. In principio sola astringentia ad repellendum, at sola non permeant ob profunditatem, ideo præfetuntur mixta amaritudini. Absynthium ponticum in oleo omphacino, melino, mastichino, lentiscino. Nardinum cum rosaceo, non myrthinum ob crassitiem ceratum, ceræ,

12. Met. 8.
1. Gla. 14.
8. Cata. 9.
8. Cata. 3. 1
11 Meth. 16
8. Cata. 1. 5

nardini, vtriusque vncia vna, aloes, mastiche, vtriusque drachma vna, omphacii drachma vna, misce cum cerato deraso, cui admisceantur hypocistis, œnanthe, id est, labruscæ germina cum flore. Rhois succus, cataplasma ex œnanthe, croco, rosis, meliloto, mastiche, succino, dactylis cum vino myrthino, & cerato. Aliud ex malis cotoneis in vino, aut aceto coctis, melle addito, pipere, zinzibere. Vigente inflammatione minuenda astringentia, addenda acria, & amara, vt digerant, & euocent, nardus, cyperus, iris, myrrha, melilotum, crocum. Ad inueteratam, & duritiem, malagma ex meliloto. Hodie emplastrum de meliloto, sed præcedant fomenta, sequantur vnguenta. Victus tenuissimus, ne augeatur inflammatio, vel cibus corrumpatur. Rasi solo potu aquæ hordei, succus granatorum. Rob. & fructibus. Prohibet confectiones ex melle. Auic. concedit cucurbitam, atriplicem. Ad vlcera, si purulenta, abstergere sine morsu, non melle, sed lacte extinctis calculis, aut chalybe. Dios. Si prohibet febris, ex aqua hordei, ptisana, succo plantaginis. Eadem ad venena erodentia, & ad oleum vitrioli haustum.

11. Met. 16. 8. Cat. 5. 11. Met. 17.

Cum cessauerit inflammatio, glutinantia. Bolus armenus cum saccharo rosaceo, thure, mastiche, aloe. Trochisci de spodio, de charabe, cibi difficilis corruptionis ex ventribus, pedibus, testaceis. Ad solam siccitatem, si ex frigore, fomenta calida ex aqua & oleo. Frictiones ventriculi. Emollientia, galbanum, bdellium ex vino solutum & impositum, oleum nucis muscatæ, balsamum. Si ex humiditatis consumptione in atrophia, febre. Nutrimentum humidum nullum austerum, lac asininum, ptisana, iuscula. In cœna reliqua cibaria, testiculi gallorum, aloe, pisces laxatiles, auiculæ. Vinum non vinosum: nam ferit vires imbecilles. Olygophorum tenue, vt penetret angusta. Extra oleum amygdalarum dulcium, irrigatio ventriculi ex oleo dulci, aut decocto ventrium, capitis castrati.

7. Met. 6.

CAP.

CAP. VI.

De Colica & Iliaca passione.

COlica à loco dicta, transfertur tamen ad dolores quoque tenuium intestinorum. Propria, est constitutio plenioris intestini diuturna, in qua per interualla fiunt cruciatus intolerabiles, respirationis difficultas, sudores, & perfrictiones. In dextris magis, forte ob cæcum intestinum. Causa, pituita frigida, vitrea, quæ vel actu frigida. Flatus in crassis tunicis comprehensus. Ex potu aquæ frigidæ, cibis flatuosis in intemperie frigida. Putata colica, dolor intestinorum ex mordentibus succis. In tenuibus intestinis magis ob fellis vicinitatem. Iliaca passio, ileos ab ileo intestino iuxta os ilii, quod vulgo appellatur *Fianco*, vnde *mal di Fianco*. Volumulus à symptomate dictus chordapsos. Tumor in tenui intestino, vt videatur chordæ modo conuolui, vnde dolores vehementissimi, grauiter vomitibus cruciantes; vt in fine stercus quoque vomant, vulgo Miserere mei. Nam clausio descensum prohibet. Est phlegmone intestinorum, quo nec flatus infra, nec deiectiones transmittuntur, sequuntur tormina vehementia, & cruciatus intolerabiles. Proprie est tenuioris intestini morbus, aliquando crassi. Causæ, inflammatio, vel aridi stercoris obstructio. Hipp. inquit. Morbis acutus, & periculosus fit, cum stercus aceruatim combustus in intestino pituitam collegerit, vnde intumescit intestinum, neque pharmaca superne suscipit; sed euomit, neque infusa inferne admittit. Aliquando hernia in causa est, cum descendit in scrotum, clauditur intestinum in loco angusto, vnde collectio chyli. Aliquando stillicidium vrinæ. Sed modū non videt Gal. quo vel à pituita fieri possit obstructio in amplo meatu intestinorum, vel cōpressio à vesica in stillicidio. An chordapsos dictus est, cum intorquetur intestinū cōuulsis villis, aut p̄ se à pituita, aut per cōsensum a stillicidio? Ideo febris superueniens, & à conuulsione

2. lo af. 5.
li. Def.
6. lo. af. 2.
9. Met. 1.
1. lo. af. 4.
12. Met. 7.
2. Met. 2.
6. lo. af. 2.
li. Def.
2. in 3 Ep. 6
6. lo. af. 2.
de Aff.
6. Aph. 44.

3. Aph. 22. Inst. aff. uulsione liberat, & à stillicidio. Contingit in autumno ob prauos humores in profundũ detrusos. Alibi Hip. tres species voluuli tradit, icterodes, hæmatodes, & cachexiæ species, quia in illis superuenire solet. Signa, dolores ventris sublimes leuiores, qui nõ sublimes fortiores. Gal. inquit, qui in intestinis & ventriculo nõ sublimes, sed profũdi, qui supra abdominis membranã superficiales sunt.

6. Aph. 7. 2. lo. af. 5. Re. aff 3. Veræ colicæ, dolor veluti à terebra pforante, aut palo infixo, q̃ in tenuibus nõ contingit. Distinguitur à Nephriticis difficillime, quia simul afficiuntur ob nexum, & quia tenduntur partes veluti funiculus, vnde nec supra ructus, nec infra flatus, quasi principium sit ilei. In colica dolor minus fixus, occupans etiam supra renes, & ad sinistrum ex dextris iuxta fundum ventriculi. Excrementa flatuosa, aquæ supernatantia, similia stercori bubulo, nausea, vomitus assidui, pituitosi magis quam in Nephriticis. Cruditas præcedens, & sequens. Iuuantur clysteribus, & euacuationibus pituitæ vitreæ. Circuitus ob flatus. In superiori intestino dolor remissior, circa vmbilicum magis & inferius mordens. Excrementa biliosa, sitis, desinere solet in dysenteriam. Contingit tamen è cõuerso, à frigidis in superiori, à calidis in inferiori. Signa ilei, dolor profundus in ventre infra è regione ventriculi.

6. lo. af. 2. 2. lo. af. 5. 12. Met. 8. 2. 13. Epi. 6. Vomitus multi, potum non continent, quod signum nõ perpetuum, sed malum 7. Aph. 10 Sed nihil descendere signum esse perpetuum tradit Galenus, pauca tamen descendebant in muliere, quam Hipp. recenset in epidemiis. Si stercus vomant, clarissimum indicium est, subtilia esse intestina, nam chylosa sunt, non crassa. Deiectiones paucæ, crudæ. Extrema frigida, insomnes, non sitibundi. Signum inflammationis, febris. Obstruentis stercoris durities, quæ deprehendi potest Cels. si vtraque manus supra summum ventrem impenatur, & deducatur paulatim. Quod in crassis intestinis magis. Prognostica. Colica vera diuturna est, aliquando syncopen & mortem inducit. In tenuibus deterior, quam in crassis, quia afficit he-

de Affe. 2. lo. aff. 1.

par &

par & lienem. Quibus tormina, & circa vmbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque à medicamentis, neque aliter soluitur, in hydropem siccam terminatur. Voluulus omnis periculosus, sed lethalis, si stercora vomant, vix aliquis seruatus. Quibus ex stillicidio ileos superuenit, in 7. diebus pereunt, nisi febre superueniente satis vrina fluxerit, quia febris conuulsionem soluit. Ab ileo vomitus, singultus, desipientia, vel conuulsio malũ, quia replentur superiora intestina. Si voluulo amoto febris corripiat, desperata salus, nam forte aluus soluta ipsum occidet. *2.13.Ep.6.* *4.Aph.11.* *6.lo.af.2.* *6.Aph.44.* *4.Aph.57.* *7.Aph.10.* *3.Morb.*

CAP. VII.

Curatio Colicæ, & Iliacæ.

AD colicam ex flatu dissipantia calida, & sicca tenuium partium, non astringentia, sed rarefacientia, vt spiritus efflent: calida in primo vera anodyna. Chamæmelum, anethum, althæa, fœnugræcum, semen lini, sapa dulcis, oleum dulce, aqua calida, pinguedines recentes non salitæ. In fomentis, clysteribus, & cataplasmatis, additis digerentibus, quæ flatum dissoluunt, semina dauci, seseli, sisonis, ameos, apii, anisi, fœniculi, ruta, allium, castorium, angelicæ radix, imperatoriæ. Diacyminum, theriaca, in potu ex vino, aut aquis stillatitiis, ex chamæmelo, anetho. Iniectiones ex iisdem oleo incoctis aut solutis, addita pinguedine anserina recenti, aut gallinacea. Fomenta ventri imponenda humida ex lixiuio incoctis prædictis. Sacculi ex milio, sale, furfure & seminibus digerentibus. Aut cinis calidus in testa, superposita ruta, sampsuco. Tandem cataplasma ex stercore columbino cocto in vino. Si dolor non cesset, cucurbitula cum flamma copiosa ad vmbilicum illico sanat, vbi ex flatu. Si ex vsu calidorum non cessat dolor, sed irritatur amplius, cõfugiendum ad obstupefacientia, colica appellata cæteris opiatis efficaciora, opii, castorei, vtriusque fabæ magnitudine, dissolue in lib. vnam olei, & pinguedine pro clysteri, *11.Met.16.* *12.Met.8.* *9.Cat.4.*

steri, aut lanula excipiatur, quæ filo appensa intromittatur penitissime. Philonium Tarsense efficacissimum fabæ magnitudine. Philonium Romanum drachmæ duæ ex aqua calida potum. Ad humores crassos, & frigidos attenuantia, & euacuantia, non vehementer calida, ne in flatum conuertant, sed siccantia mediocriter calida in victu magis, oxymel s. comp. cum decocto hyssopi, origani, serpilli. Euacuantia per clysteres, oleum rutaceum, nam trahit pituitam vitream, addita sapa, aut vino generoso, centauri decoctum, colocynthis, agaricus, diaphœnicon, benedicta, hiera picra, hieralogodion addita in clysteri. In potu diaphœnicon cum aqua cha-
12. Met. 8. mæmeli. Pilulæ aggregatiuæ, aqua Porrettæ, Tettuccii abluunt & siccant intestina. Galenus inquit, generosi, & fortes abstinent à cataplasmate & clysteribus, solo victu contenti. Panis decoctus cum anisso, anethe, apii radice, pipere, auiculæ montanæ, ptisana cum pipere, amygdalis, porro. Rustici remedium, cingere ventrem, comedere allia cum pane, nihil bibere, labores consuetos exercere, vesperi vinum bibere generosum meracius,
9. Cat. 4. sine cibo dormire. Ne reuertatur affectus. Gallinarum interanea omnia in fictili assata, trita, & reposita dosis drachma vna & semis cum dauci Cretici tantundem ex aqua mulsa in potu. Aliud Ameos drachmas sex, apii drachmas quinque, dauci Cretici drachmas duas, piperis albi drachmam vnam, puluere vtatur in condimentis. Potio ex salice bibenda per annum in singulis mensibus triduo. Recipit corticis salicis viridis drachmas quinque, zinziberis, piperis albi vtriusque drachmas quatuor, dactylorum numero tres, rutæ viridis ramos quinque, coque in aqua pluuia ad tertias. Dosis vnciæ quatuor. Allia in vino falerno cocta recipit. Cornu cerui tenerrimi vsti cochlearia tria, piperis albi grana decem, myrrhæ parum odoris gratia, cochlearum testa omnia trita decoquantur, bibitur tribus diebus. An valide siccantia sine morsu cum quadam astrictione intestina

teſtina tuentur ? Ad colicam ex calidis humoribus, & mordentibus, contemperantia per frigida & humida, & euacuantia ſæpius repetita. Alterant cibi actu & poteſtate frigidi, & qui difficiles ad corrumpendum, halica magis quam ptiſana, intubus, lactuca, punica, pyra, cucumis. Piſces duræ carnis, polypus. Oſtracodermata, pedes bubuli, Paul. Vinum auſterum, rhois cremor dilutus, vbi ſuſpitio eſt dyſenteriæ. Syrup. roſatus, violatus, de papauere, acetolus. Aqua hordei, capillorum veneris, aqua frigida in æſtate ſitibundis. Opiata tum ratione doloris, tum cauſæ: nam irritantur à calorificis tum intus, tum extra, etiamſi ſint vera anodyna. Euacuantia ex hiera curauit Galen. quendam diebus quindecim. Caſſia cum ſpeciebus hieræ. Syrup. roſatus ſolutiuus. Sena in ſero lactis, aqua Tettuccii, ſerum vaccinum, clyſteres ex decocto violarum, maluæ, betæ, parietariæ. 12. Met. 7. Ibid. 7. 8. 1. lo. aff. 4.

Ad voluulum ex inflammatione, venæ ſectio. Ex pedis interna, quæ ſimul ad ſtillicidium facit, vel ex poplite, ſed ab initio ex interna cubiti adreuellendum, poſtea etiam ex hæmorrhoidibus, cucurbitulis in dorſo, clyſteres ex oleo roſaceo, chamæmelino, vel decocto fœnugræci, altheæ, caſſia. Externus inungere ex oleo roſaceo chamæmelino, pinguedine anatis. Per ſuperiora nec medicamenta, nec alterantes potiones ob vomitum. Sed victus virium ratione tenuiſſimus, ptiſana, aqua hordei. Si ex ſtercore duriori, lubricantia. Clyſteres ex oleo, butyro, oleum ſeminis lini. Victus humidus ex malua cum oleo, ius galli. Trall. Catapotia ex plumbo, vt pondere deuoluatur deorſum. Intromiſſio flatus per fiſtulam, vt diſtendantur inteſtina, mox clyſter intromittatur ex hydræleo ac nitro. Idem Hippocr. inquit. Hunc humectare oportet, & intrinſecus & extrinſecus, & multa calida lauare, & bibenda dare, quæ aluum mouent, & vrinam ſubducunt. Eundem morbum curat in cholera arida. Inquit enim: Ab arida cholera ven- 6. Aph. 38. De Aff. 4. Acut. 103. 104.

ter inflatur ſtrepitus fiunt, & dolor tum laterum, tum lumborum, nihilq; aluus deiicit, ſed aſtringitur. Ita affectum ne vomat, ſeruato. venterque ſubducatur. Clyſterem ergo ex calido & perquam pingui adhibebis, perunctumque in calidam aquam demittes, & quam plurimã in ſcapha reclinans ſenſim perfundes. Perfuſio enim efficacior eſt, quam ſimplex leuatio. Facit & ad inflammationem, vt in peripneumonia Si ex ſtillicidio, aut neruis contractis, oleum dulciſſimum valde calidum bibitum, & infuſum, præcipue oleum amygdalarum dulcium, addita terebinthina vſque ad vnciam ſemis, balneum relaxans in hydræleo incoctis anodynis. Liber de paratu
2.Pa.fa.31 facilib. ad Solonem, tradit ſanatum quendam, qui ſtercora vomebat, balneo, & oleo anethino bibito, vt poſtea eſitaret micas calidas, ne euomat. Sic ſanatum Principem in Aſia. Si calfacto venter ſubducitur, morbus ſolutus eſt.

CAP. VIII.

De Vitijs appetentiæ.

APpetentia pertinet ad facultatem attractricem cibi vel potus. Fames & ſitis, vtriuſq; inappetentia innominata eſt. Symptomata ſunt facultatis naturalis, quę
8y.dif.4. ſine cognitione agit, Animalis quoque. Nam quinque
1.Sy.ca.7, ſymptomata ordine ſequuntur. Vacuatio, vacuatorum
2.Morb. appetentia naturalis, ventriculi ſuctus, id eſt, vehemens attractio, nam in ieiunio viſcera ſugunt. Hip. ſuctionis ſenus. Appetentia animalis. Inappetentiæ cauſa, ſeu amiſſæ, ſeu diminutæ, amiſſio, aut diminutio ſenſus, vel ob magnam intemperiem in febre maligna, in inflammitione ventriculi, in paralyſi, Non fieri ſuctum, aut imbecillem, ob flauam bilem relaxantem, nauſeam, vleus. Non euacuari corpus ob denſitatem, ocium, victũ delitioſum. Appetentiæ vitioſæ excedentis modum ſecundum quantitatem, quæ fames canina vocatur, & bulimus; cauſa eſt, vel ſola frigiditas, vel ſuccus acidus

dus in ore ventriculi, qui affectum suctui similem facit, & appetentiam calidi, & sicci, quæ fames est, non frigidi, & humidi, quæ sitis est. Aut immodica digestio in toto ob caloris robur, raritatem corporis, vnde fames naturalis, vt instauretur deperditum. Vel ob vermem latum Trall. absumentem alimentum, aut ob retentricis imbecillitatem in lienteria. Bulimus, seu bulimia adiunctũ habet animi deliquium, indigentia simul, & imbecillitas, & refrigeratio oris ventriculi. Trall. calorem, vt in febre, aliquando voracitas, quia expetunt expleri: sed vitium imbecillitas non fert. Galen. inquit, vehemens esuritio, quam Græci bulimon vocant, est casus potentiæ ex frigore exteriore, quæ à fame quidem ortum duxit, sed eam amplius non habet. Desinit autem fames, vt reliquæ facultates, ob magnam intemperiem quamcunque. Hippoc. inquit, aqua edax, vigilia edax. Aqua quidem ob refrigerationem ventriculi, vigilia ob totius euacuationem. Sic labores. Appetentia excedens modum in qualitate citta Græce vocatur, cittasis Celso, Latine picatio. Appetunt aliena, maxime acuta, acerba, acria, vt carbones, terram, cimoliam, testas: Obnoxiæ vtero gerentes à secundo mense, vsque ad tertium, pueri, aliquando viri lienosi ob succos vitiosos, putantur ob similitudinem eum succis appeti. An quia sentiunt aliquam vtilitatem, vt aues ex lapillis? Sitis imminutæ, aut deperditæ causa, vel sensus læsio in febribus malignis, vel excessus humoris frigidi in distillationibus pituitæ. Deprauatæ in quantitate, feruor, aut ob succum biliosum, aut salsum, aut febrilem caliditatem. Nimia humidi resolutio, euacuatio in sudoribus, purgationibus, diabete. Inexplebilis sitis ex Dipsade, vipera, comestis, aut ictu. Ex vino veteri ad ebrietatem, aqua marina, febre ardente. Deprauatæ in qualitate, vt cupiant aliena in potu, succorum prauitas in causa est, vt qui longo tempore vsi sunt vitiosis. Intemperies calida ventriculi inappetentiam cibi facit, laxando solida, vnde imbecilliora ad trahendum, &

2. Aph. 21.

1. Gla. 14.

1. Sy. ca. 7.

2. Aph. 21.

4. in 6. Epi. 18.

1. Sy. ca. 7.

liquando replet ; appetentiam autem potus , qui feruorem extinguat. Frigiditas opposita præstat appetentiam cibi exprimendo,& vt calefiat. Inappetētiam potus,quia frigiditas læd t.Intemperies , vel simplices , vel cum humore circa os ventriculi , cuius symptomata sunt fames & sitis,aut quantitate,aut qualitate deprauatæ. Quæ vero ratione totius corporis contingunt fames & sitis , naturales sunt.Signa inappetentiæ ob sensus læsionem,etiam gustus læsus est, ratione intemperiei calidæ in febribus,vitio neruorum in paralysi. Ratione humorum calidorum in ventriculo,oris amaritudo, nausea, contingit in conualescentibus non purgatis. Non euacuari corpus ostendit habitus pituitosus,pinguis, victus delitiosus,ocium.

5.lo. aſ. 6.

2. Aph. 8.

Totius frigiditas,senectus,densitas cutis.Famis caninæ signa ob ventriculi frigiditatem,multa deiectio sumptorum , si ob succum acidum , deprænditur vomitu post cibum,& morsu.Si ob immodicam consumptionē, adest paucitas excrementorum, arguitur ex præcedentibus euacuationibus,longis inediis,vigiliis,laboribus,ob robur caloris,ætas in augmentum tendens. Ob vermem latum,atrophia, imbecillitas, etiamsi multa ingerantur. Bulimi signa,si non assumant,incidunt in animi deliquium.Picationis signa patent sensui.

1. Sy.ca.7.

Sitis deperditæ aut imminutæ ob læsionem sensus, in febre lingua arida sine siti. Ex humiditate, distillatio. Ob frigiditatem fames. Immodicæ ex sola caliditate, æstus , vini generosi potus , comestio calidorum , salsorum. Dipsadis , aut viperæ cum humore , salsedo oris, amaritudo,excreta. Ex humiditesolutione, febris, euacuationes præcedentes. Prognostica. Magna auersatio tum cibi , tum potus mala : nam significat magnam intemperiem , & pestilentem. Fames canina longo tempore sanatur Galen. Bulimus lethalis est.

2. Aph. 21.

CAP.

CAP. IX.

Curatio inappetentiæ, Famis caninæ, & sitis.

AD inappetentiam ex intemperie calida ventriculi, qua prohibetur fuctus refrigeratio, & astrictio oris ventriculi. Si cum humore relaxante euacuatio. Hippocrat. Si quis à morbo non corroboratur, cibum non assumens, purgatione egere significatur. Gale. per vomitum, & deiectionem ex hiera. Nos per aquam Tettuccii prius ad abstergendum, postea ex aqua Villensi, aut Ficoncellæ ad refrigerandum & astringendum. Bilis repercussio & oris astrictio intus oxysaccharo, acetosus s. syr. de succo acetosæ, de limonibus, de acido citri, de Ribes, de agresta, aqua endiuiæ, rosarum. Cibi boni succi ex acidis conditi. Fructus autumnales, mala, pyra, cucumeres, pepones, fraga, punica. Potus aquæ frigidæ ante cibum. Vinum rubrum astringens. Extra inunctiones ex rosaceo, melino, ablutio in aqua frigida. *2. Aph. 8.* *4. in 6. Ep. 18.*

Ad inappetentiam ex impedita resolutione. Inedia, frictiones, exercitatio, balnea calida, vigilia. Intus deobstruentia ex oxymelite, absynthio, menta, corticibus citri conditis. Aquæ ardentis modicum cum melle rosaceo. Victus extenuans, auiculæ montanæ, bulbi, allia, cæpæ, capparis. Salsamenta. Decoctio ligni sassafras.

Ad famem caninam ex sola frigiditate ventriculi, thorexis, id est, larga vini potio. Galen. eligendum vinum sufficienter calidum, subrubrum, vel rubrum non astringens. Nam alba frigidiora sunt, fulua & flaua calidiora. Rubra in medio. Præsumant pinguia edulia, carnem suillam & fercula ex multo oleo, nil austerum, nec astringens, postea vinum abundanter bibant. Cogantur, si non sitiant. Oui vitellus assus post cibum. Auicen. *2. Aph. 21.* *3. Acu. 6.*

Vinum

Vinum etiam ieiunis exhibet, & calidum: vitat in solutione ventris, quia non austerum auget solutionem. An
12. Met. 4. in plerisq; deiectio multa crudorum fit, quia alimentum non fertur in corpus, remedium est vinum tenuius. Hoc victu statim mitigantur, & longo tempore in totum sanantur. Ex succo acido, euacuatio per vomitum post cibum, & per hieram. 5. Alterantia prædicta: nam qualitate magis peccat, quam multitudine. Contemperatur pinguibus, digeritur vino, & expurgatur.

Ad famem caninam ex nimia resolutione, aut euacuatione, permittit Galen. vt multa assumant, quia egent refectione, nisi peruenerint ad triplum, aut quadruplum consuetorum ciborum. Non conuenit his vini repletio, nec ante cibum: nam minatur deliria, & conuulsio-
2. Aph. 21. 2. Aph. 7. 22. nes. Magis aquæ frigidæ potus. Cibis autem replendi sunt pro virium ratione. Nam quæ longo tempore extenuata sunt, lente reficere oportet, quæ vero breui, breuiter. Quia vel spiritus, vel humores, vel solida consumpta sunt. Similiter, quæ vniuersim, & velociter nutriunt, ce-
2. Aph. 18. leres fiunt excretiones. Cum solida reddita sunt imbecillia, non licet cito reficere. Ad magnam dissipationem solidorum conueniunt cibi crassi, omasum, vuuula, pedes vaccini Trall. cochleæ, testudines. An lac bubulinum ad habitum refrigerandum? Pororum astrictio: balneum aluminosum, ferreum. Inunctio ex oleo myr-
8. Catar. 4. thino. Opium ex aqua frigida ante cibum. Ad bulimum. Reuocandi à deliquio animi odoramentis aceti, pulegii, terra aceto macerata, malis, pyris, & aliis, quæ ad manum sunt, olfactu. Frictionibus extremorum, punctura maxillarum, tractione capillorum, aurium.

Exhibendus panis in vino diluto, ouа sorbilia, bulbi, cochleæ, caro suilla assa nidorosa, & bene condita.
1. Gal. 14. Galen. Calefacientibus curandum: vino calida temperato cibis calefacientibus. Fricatio & calefactio ad ignem. Fouentriculum, menta, absynthio, meliloto, cariophyllis, cinnamomo, oleo nucis muscatæ. Cataplasma

plasma ex medulla panis, ex vino, & gariophyllis. Trall. adhibet refrigerantia, & opium ex aqua frigida. An hæc ad nimiam totius caliditatem dissipantem?

Ad picationem, humoris praui euacuatio per vomitum & deiectionem, coctio, & cibi abstinentia, vomitorium. Auicen. sumat pisces salitos, & Raphanum infusum in oxymelite, postea bibat decoctum phaseoli rubei, anethi, seminis nasturtii, erucæ. Vtatur semel in mense, vel bis Purgatio ex hiera, mirabolanis, turbith. Digestio ex ameos, cumino, cardamomo, cubeb. saccharo, ad pondus omnium, fiat puluis omni hora lingendus. *1. Sy. ca. 7.*

Cibi difficilis corruptionis. Pulli columbarum. Mes. Electuarium componit. Recipit capulorum glandium drachmas duas, anisi drachmas tres, myrrhæ drachmas duas. Mirabolanorum nigrorum, emblicorum, belliricorum, singul. drachmas sex. Scoriæ ferri infusæ in aceto siccatæ, & torrefactæ drach. octo. Cardamomi maioris, cubebæ vtriusque drachmas tres. Sacchari quantum sufficit, fiat electuarium, cuius dosis drach. vna & semis cum aqua floris rosmarini ieiuno ventriculo.

Ad sitim excitandam, calefacientia & siccantia, acria, salsa. Medicamenta purgantia, labores, vigiliæ.

Ad sensum autem deperditum, vt in cibi inappetentia. Quemadmodum ex diuturna vel magna fame perit aliquando appetentia, vt in bulimo. Sic qui perpessi sunt sitim, iis aliquando perit sitis ob nimiam siccitatem.

Forte & qui à cane rabioso demorsi sunt, auersantur potum ob magnam intemperiem siccam. Si vero hi sitiant, deuorare nequeunt potum, aut quia gula affecta est, aut quia ventriculus abhorret. Hi cogendi sunt.

Ad superfluam sitim ex sola intemperie, refrigerantia, vel humectantia, vel vtraque. Si ex humore salso, euacuantia. Quos sitis infestat, cibos & labores minuant, bibant aquam cum vino quam frigidissimam. Qui noctu bi- *Sal. die 31. 5. Aph. 27.*

ctu bibere appetunt, iis admodum sitientibus, si super-
5. Aph. 27. dormierint, bonum. Gal. Si modice sitierint, abstineant à potu, nã somnus sufficit. Si immodice ob feruorẽ, aquæ frigidæ potio, si ex defectu humidi, vinum. Archigenes ad sitim post cibum, frigidam superbibere, ne vratur cibus, perfecta coctione, affatim bibendum, id est, vinum, vt distribuatur cibus. Ad defectum humidi, humectantia tantum. Vinum dilutum, mulsa, glycirriza decocta in aqua. Si ex toto corpore, balneum aquæ dulcis temperatum. Si ex renibus, aut pulmone, potus largior. Ex hepa-
3. Cat. 3. te, ventriculo parcior. Si ex lingua, faucibus, gula, cataporia tenenda sub lingua, ex seminibus communibus, portulacæ, tragacantho, gummi, succo glicirrizæ, albu-
3. Symp. 29. mine oui. Saccharum candium violatum. Ad feruorem refrigerantia solum, acetum, omphacium, punica, li-
Sal. Di. 23. monum succus. Si ex toto corpore, balneum frigidum, ferreum, si ex pulmone, aeris frigidi inspiratio. Si ex la-
3. Cat. 4. bore, quies, potus partior. Ex ardore ventriculi, aquæ frigidę potus per interualla, succus malorum, pyrorum, punicæ. Exterius folia vitis viridia imponenda, cucurbitæ ramenta. Si ex lingua, faucibus, lapilli aqua refrigerati, corallium Achates, iaspis viridis super linguam tenendi. Iaspis etiam ad os ventriculi suspensus, Aet. Auic. de-
39. Simpl. fendit à morsu, nuclei in ore detenti prunorum, amare-
1. Symp. 20. narum. Frigida & humida in febre, æstu. Aqua cum ace-
4. Acu. 71. to, diamarenata. Aqua hordei, albumen oui conquassa-
3. Morb. tum in aqua frigida. Hippoc. ad linguam aridam mucillago, psyllii, seminum cotoneorum, ramenta, cucumeris, lactucæ, frequens ablutio.

Ad humorem salsum, vel aerem in distillationib. hydrope, contemperantia ex decocto iuiubarum, aut eclegmate. Euacuantia per serum lactis, vrinam impuberis, succum ireos, Mecioacam. Siccantia. Trall. cibis salsis, salsamentis, capparis, aqua Tettuccii, decoctio salleparillæ.

CAP.

CAP. X.

De cruditate.

Coctio alimẽti ad alteratricem facultatem pertinet, præcipue in fundo ventriculi. Fit & quædam in intestinis, vnde & clysteres nutriunt. Coctioni subministrat retentrix. Finis est humidi terminatio Arist. dulcedo, crasis, Hipp id est, temperatio, in chylum conuersio de genere pituitæ. Vitia coctionis, cruditas, apepsia, eum cibi inalterati manent, actio abolita. Tarda coctio, bradipepsia, difficilis mutatio in bonam qualitatem, actio diminuta. Prauitas, dispepsia, mutatio in alienam qualitatem, actio deprauata; vocatur aliquando apepsia, id est, cruditas nomine communi. Inquit enim Gale. Apepsia alia priuatio est, alia deprauatio, hæc vel imminute, vel corrupte. Arist. coctioni opponitur apepsia. Elixationi molynsis, cum alteratur quidem, sed imperfecte ob frigiditatem. Causa immediata alteratricis frustratio, vel ob affectum ventriculi, vel ob externos errores. Affectus ventriculi, defectus caloris innati, vel ob frigidam intemperiem, vel calidam. Retentrix imbecillis, vel ob humidam intemperiem, vel siccitatem superfluam: nam ob duritiem complecti nequit cibum. Si vero non complectitur, aut imbecillius, aut breuius, coctio minuitur. Amplius vitia instrumenti, tumores, vlcera.

5. loc. aff. 6.
4. vs. Pa. 9.
4. Meth 3.
3. Sy. ca. 1.
4. Meth. 2.
3. Sy. ca. 1.
Sy. dif. 4.

Expultrix irritata ante coctionis tempus à mordente aliquo, aut grauante. Errores externi sunt, somni diminutio, ciborum quantitas, aut qualitas, vt aciditas, durities, multus recessus à dulci, ordo ciborum molliorũ & durioru. Tempus ante prioris coctionẽ. Permixtio excrementorum frigidorum, vel calidorum. Actionis igitur abolitæ, aut diminutæ causæ sunt, intẽperies frigida magis minus, retentrix imbecillis, expultrix irritata, somnus breuis, cibi multi, frigidi, duri, excremẽta frigida cõmixta. Deprauatæ intemperies calida, retẽtricis diuturni-

3. loc. aff. 3.

turnitas, expultricis tarditas, in ſicca intemperie, ſenſu diminuto obſtructionibus. Somnus longior, cibi & potus corruptioni obnoxii, halituoſi, fœtentes, putres. Admixtio bilioſi excrementi, aut atri, ſalſi.

1. loc. aſ. 3.

Ordo deprauatus ciborum, ſi olera ex oleo, & quæ ex lacte parantur, vltimo loco ſumantur, duriora autem & aſtringentia primo loco. Intempeſtiuitas, ſi antequam prior deſcendat, alter ingeratur, ſi ante exercitationem.

3 Sy. ca. 1.

Conuerſio in acidum ambigit. Nam Galenus vult à frigore, Trall. à calore, inter deprauatos. An vt acetum partim à frigore, partim à calido? nam calor extraneus diminuit innatum. Symptomata; cruditas, atrophia, gracilitas, obſtructiones, lienteria, rugitus, corruptelæ, praui habitus, morſus, inflammationes, putredines.

Sy. dif. 4.

Signa cruditatis, ciborum ipſorum qualitates pene ſernantur, ſiue ructare, ſiue vomere velint. Tardæ coctionis, immutatio aliqua, vt aciditas. Corruptelæ, fumoſus ructus, vel tanquam virus redolens, vel lutum, crudos piſces, indicibilem alienam qualitatem. Ex intemperie ventriculi frigida, ſi cibi conſueti & mediocres inalterati manent, aut aceſcunt etiam aſſumpto melle, aut iis, qui ſolent in nidorem conuerti. Sine ſiti, cum fame. Ex intemperie calida, corruptio nõ ſolum ciborum, qui ſua natura nidoroſi fiũt, vt oua, mel, ſed etiam panis, halicæ, cum ſiti, ſine fame, interdum febricula adeſt hectica. Ob mixtionem humoris, ſi in cauitate, patet in vomitu, ſi in villis, ſingultus aut nauſea. Ex toto corpore in prauo habitu. Ex hepate flaua bilis. Ex liene, atra obſtupefaciens dentes. Ex capite, pituita, ſalledo, noctu magis.

3. Sy. ca. 1.

2. loc. aſ. 4.

Ob retentricem non amplectentem, aut debiliter, aut non ex toto, clydones, id eſt, fluctuationes cum ſonitu ex potu, aut humore aliunde trãslato. Poſt cibũ aſſumptum ſingultus, aut diſpicentia, grauitas, labor, ructus, debilem amplexum ſignificant cum tremore. Flatus, ſeu inflationes aliquando ob debilem amplexum, aliquando in-

3. Sy. ca. 2.

do insequuntur debilem coctionem, sæpe cum corruptela cibi. *Dif.Sy.4.*

Irritari expultricem ante tempus debitum significat exitus celer excrementorum, deiectionis humiditas, lienteria. Atrophia in cruditatibus magis contingit. Tarda excretio & sicca in corruptela magis, quia retinetur longiori tempore vel in ventriculo, vel in intestinis, nam contingit in inferiori ventre corrumpi cruditates. Ab externa causa fieri cognoscitur ex mutatione ciborum, ordinis, temporis, somni. Prognostica. Quæcunq; ab externo errore fiunt cruditates, facile curantur. Quæ ex humorum mixtione difficilius, pro mandantis affectus grauitate, vt ex distillatione. Nam calida distillatio in ventriculum frigidum difficilis est, frigida in calidum difficilior, ob repugnantiam remediorum. Quæ ex proprio vitio adhuc difficiliores sunt, origo fermè omnium morborum. *2 lo. aff.4. 2.Tu.Sa. 10.*

Defectus calidi innati ob frigiditatem facilius restituitur, nam calorifica prosunt. Defectus autem ob calilitatē dissipantem difficilius: frigida n. nō restituūt calilum innatum, sed prohibent, ne dissipetur, præsertim astringentia. Quæ cum vltimo virtutis collapsu fiunt, in ienteriam desinunt, aut tympaniam. In lienteriam frustrata coctione, in tympaniam, quia arteriæ non repeientes materiam concoquendam in sanguinem, suum piritum transfundunt in ventrem. *3.Sy.ca.1.*

CAP. II.

Curatio Cruditatis.

Ibi crudi si multi vel praui, aut corrupti, euacuandi vomitu ex aqua tepida. Si moderata cruditas, percienda coctio quiete, somno longiore, aut lōgiore debitu, inedia, non ira, non curæ. Potio vini veteris addi cum pipere, nam promouet in venas, vt coctio inibi efficiatur. Ad intemperiem frigidam, cibi pauci salis coctionis, prisana cum pipere, aut cinnamomo, mel *3.Catat 4.*

7.Met.4.7. 4.Tu.Sa.5 deſpumatum, ſalſamenta, auiculæ montanæ, diatrion pipereon, dioſpoliticum componitur à Gal. ex cumino, pipere, ruta, nitro, æquis portionibus, pro nitro nos tartarum ſumimus, quod prouocat ad deiectionem. Zinziber conditum, citri cortices conditi, folia cardui ſancti deuorata, abſynthium, coriandrum cochleari menſura ante reliquum cibum, & merum ſuperbibat, confert iis, qui acidum ructant. Piper in cibis craſſius contuſum, ne hepar ſupercalefaciat: ſic enim non permeat in venas anguſtas, extinguitur eius calor circa primas venas, nec in totum corpus fertur. Commodum, vbi humores crudi in primis venis circa hepar, & meſenterium. At humores crudi non multum calefaciendi, ſed incidendi ex oxymelite, & victu extenuante. Extra, oleum nardinum, maſtichinum, balſamum cum lana aut purpura. Fomenta ex abſynthio, menta, meliloto in vino. Vnguentum marciaton, puellus, aut catulus pinguis. Si hæc non profecerint, rubificantia ex thapſia, ſinapi. At reſoluunt vires ventriculi, vltimo balnea naturalia, niſi obſtet ſiccitas, in qua fugienda quæ multum digerunt, & quæ multum aſtringunt. Commodiſſimum eſt balneum de Auinione in Senenſi, valde calidum ſed ferreum. Irrigatio ad ventriculum efficacior eſt, ſeu ex oleis, ſeu ex balneo.

4.Tu.Sa.7. 6.5. 7.Met.7.9. 7.Meth.4.

Ad corruptelam, cibi corrupti per vomitum educendi ex aqua tepida; caput obducere mollibus linteolis calidis; præcordia molliter fricare, faſcia obducere, quieſcere in lecto. Inedia in alterum diem, aut moderati cibi in tertium. Ad calidam intemperiem, frigida potio aquæ fontanæ, aut decoctæ, & refrigeratæ in niue, puteo. Cibi refrigerati, ptiſana, ſpuma lactis, quam vocat aphrogala, nos recocta in melca, id eſt, lac aceto præparatum, vt antiqui ſchiſtum parabant, non per coagulum, ſed coctione lactis cum pauxillo aceti. Fructus frigidi cucumis, mala, pyra, alica, panis ex aqua frigida & aceto, carnes duriores, non oua, non frixa vlla, vinum aquoſum.

8.Caiut.4. 7.Met.4. Ant. med. 62.

sum: Extra, oleum melinum, omphacinum, rosaceum, irrigatio frigida infra septum prope vmbilicum, ne offendatur septum. Balneum de aquis in ptisano. Tutius longiori tempore mitioribus refrigerare, nam quidam ex frigidæ potu deglutire non potuit. 7. Meth. 2.

Ad læsionem coctionis ex intemperie humida, vel sicca, quia humiditas debilem complexum facit, & celerem dejectionem, siccitas debilem complexum, & tardam dejectionem. Ad humidam intemperiem, siccantia, cibi assi, potus modicus vini austeri, diacitonium, manna, cum speciebus. Aqua Tettucci. Balneum ferreum de aquis de Aumione. Ad siccam intemperiem, humectantia ex lacte, & melle. Cibi elixi. Nil austerum, vinum dulce. Olera cum multo oleo, malua, beta, oleum amygdalarum dulcium, & butyrum ante cibum. Si in his tarda dejectio non irritanda ex aloe, neq; ex aliis siccantibus, sed lubricantia conueniunt, & lenientia, ex manna, aut cassia cum iure pinguiante cibum, mercurialis cum oleo multo decocta. Ad expultricem irritatam ante debitum tempus remedia dicenda in alui fluxu. Vitia organica explicata sunt in inflammatione ventriculi. Ad errores externos, vt somnum, cibi quantitatem, qualitatem, ordinem, & tempus, non indicantur remedia, sed iis mutatis cauere oportet. Sed mixtio excrementorum eget remediis, seu genita in ventriculo ex prauo victu, seu alitunde fluxerint. Si pituita, quæ lenta est, incidenda ex oxymelite, origano, thymo, serpillo. Euacuanda vomitu ex oxymelite, & radicula purgatione, si ex capite descendat, ex agarico, hiera, colocynthide, pilulis cochiis. In quibus adiuncta est ventriculi intemperies frigida, nulla adest repugnantia. Vbi vero difficilior curatio, prius ad humorem descendentem, postea ad intemperiem calidam ventriculi. 7. Met. 6.

Si humores fuerint serosi, vel melancholici, adusti, Vomitus ex cremore ptisanæ multæ. Postea exhibenda multa incocto absynthio purgatio ex hiera s. serum

Lactis vaccini, & remedia dicta in passione hypochondriaca. Ad biliosos humores, vomitus ex aqua tepida, purgatio ex hiera drachmæ duæ cum aqua tepida, thabarbarum. Repellentia & astringentia ad ventriculum, vinum granatorum. Vbi adiuncta est intemperies calida, simul vtrique prospici potest, vbi frigida, prius purgandum, postea intemperies frigida tollenda. Vtrumque facit aqua Tettuccii.

7. Meth. 11.

7. Meth. 11.

CAP. XII.

De Lumbricis.

EX cruditatibus in intestinis putrescentibus oriuntur vermes, qui lumbrici, græce helminthes vocãtur. Arist. in inferiori ventre solum, vbi continetur excremẽtum putrefactum, non in superiori, vbi fit coctio, licet ascendant sursum. Vidimus tamen in lactentibus per vomitum excerni globulos veluti aciculorum, quos ex inferioribus ascendisse non est verisimile, adeo exiguos.

3. Aph. 26.

1. lo. aff. 5.

4. Meth. 3.

Oriuntur & in aurib. vermes. Aliquando intra cutem in partibus musculosis brachii, femoris, tibiæ, laterum: in India & supra Ægyptum dracunculi, similes lumbricis. Paul. Vidi in rene cuiusdam canis macilenti longissimum serpentis magnitudine conuolutum. Sæpe & in abscessibus purulentis, non bene expurgato pure, vermes oriri videmus. Intra cuticulam aliud genus vermium oritur, quos pediculos vocamus. Morbus est in numero toto genere præter naturam. Aliquando causa, cum obstruendo lædunt. Nam per se lædunt morsu, putredine, absumptione alimenti.

3. Catat. 1.

1. Catat. 3. dif. Morb. 8

Symptomata etiam sunt coctionis vitiatæ. Aliquando nulla læsio, accidentia dicuntur in sanis. Tria genera lumbricorum ponit Gal. helminthes, id est, lumbrici teretes, seu rotundi in intestinis gracilibus magis, vnde in ventriculum feruntur. Ascarides tenues lumbrici in inferiori parte intestini crassi, & intra musculum sphincterem. Cerna sunt lati & longi lumbrici longissimi sæpe per

14 Met 18.

3. Aph. 26

tota intestina ex interna membrana tenuium intestinorum. Pau. Aet. Aui. quartum genus esse cucurbitinos, qui parui & lati instar seminis cucurbitæ. Gal. Hos esse indicium lati vermis. An latus coagmentatus est ex cucurbitinis glutinante mucco? Forte & ascarides iidem cum rotundis, sed nō pueniunt ad incrementū cæterorū ob velocem exitum cum excrementis, aut quia ex materia siccior orti sunt, quæ non patitur multum incrementum. Auicenna rotundos visos esse cubitali longitudine in colo, & cœco. Causa materialis est pituita putredini obnoxia, non bilis flaua, nec atra. Paul. rotundorum in ipsis fæcibus: lati, quæ adhæret intestinis, imo fæces ipsæ, vt putet aliquando gigni extra paulo post deiectionem, cibi praui succi, frumentacei. Aet. Fructus æstiui, olera. Efficiens caliditas extranea, coctionis imbecillitas, balnea post prandium, naturæ calidæ, & humidæ. Pueruli post dentitionem obnoxii rotundis, & ascaritibus, vsq; ad pubertatem. Lati grandioribus, sed raro visuntur, & post diuturnos morbos. Hipp. gigni in infantibus in vtero ob diuturnam moram excrementorum, augescere in dies, vt tota intestina occupet, prominet aliquando ex podice inflatus ex itinere.

1. loc. assi.

3. Aph. 26.

4. Morb.

Signa lumbricorum lædentium ob putredinem. Febris maligna cum extremorum frigiditate, ter aut quater die ac nocte exacerbatur sine ratione ex motu vermium. Pulsus inæqualis, sopores, delitia, taciturnitas, genæ alternatim rubent, & liuescunt breui tempore, oculi splendentes, fœtor oris proprius, alui deiectio corrupta & fœtens, ventris inflatio Ob morsum autem deficiente proprio alimento, quod contingit in febre. Auic. Dolores ventris, aut ventriculi acuti permutabiles, perturbatio in somno, tremitus, dentium stridor, anxietas, animi deliquium, sudores frigidi, nausea, vomitus, vix deglutiunt. Ob globum obstruentem nulla deiectio, dolor iliacus. Ascarides pruritum tantum faciunt in sede & deiiciendi cupiditatem. Lati aliquando cum febre, aliquā-

1. loc. aff. 5. 4. Morb. do sine febre, noscuntur excrementis similibus semi- cucurbitæ, & rasuræ intestinorum. Pariunt continuum stomachi morsum, appetentiam caninam. Sequitur cita excretio cibi, gracilitas, pulsus inæqualis.

In ieiunio ascendit ad hepar, & dolorem inducit, & quandoque sputa multa, si fortiter irruat, vocem intercipit, deinde termina in ventriculo, aut ad dorsum. Prognostica. Lumbricos descendere cum excrementis, morbo eunte in iudicationem, bonum. Per vomitum, vel per nares egredi, malum: nam multi conuulsi interierunt. Exiuisse aliquãdo ex inguinibus, testatur Pau. Tanta est eorum vis perforandi. Si exeant mortui, deteriores sunt. Auicen. Sed Aetius mortuos meliores esse tradit, an si medicamentis mortui deiiciantur, bonum est, non si vi morbi? Lati difficiliores ob magnitudinem, & quia vehementer adhærent, & ducunt ad atrophiam. Habentibus latum, in toto corpore nihil admodum graue contingit, sed vbi quis imbecillis factus fuerit, vix reualescit, quia semper absumit partem alimenti. Si non curetur, sponte non exit, mortem tamen non inducit, sed consenescit. Non sanantur, nisi medicamento exeat conuolutus in globum: nam si exeant tamenta recta seu duorum cubitorum longitudine, seu amplius, significat abruptum esse quod autem remanet, augescit. At videtur impossibilis insectorum auctio tam diuturna. An per sobolem propagatur ab eodem principio, vt in plantis quibusdam, & in genere buccinis & purpuris, exeunte muccosa substantia? Eodem modo cucubitini sunt fœtus lati.

2. Prog. 18.

4. Morb.

3. Ge. an. 10

Curatio lumbricorum, vt morbum faciunt in numero, perablationem. At educi nequeunt, nisi mortui aut stupidi, nam vigentes resistunt expulsioni, inhærentes intestinis.

14. Met. 18

Enecant vermes, quæcunque valenter exsiccant aduersa putredini, à qua pendet eorum generatio, vt amara, acria, salsa, valido odore. Et quæ constant aerea substantia,

stantia imputrescibili, vt oleum. Inquit enim Aristotel. *8. Hist. 21.* Tactu olei intereunt insecta omnia. Ad rotundos igitur enecandos, amara, absynthium, abrotonum, santonicum, semen sanctum, aloes, rhabarbarum, gentiana, persici folia, nuclei, amygdalæ amaræ, chamæleon, dictami albi radix, eupatorium. Mesues, lupinum, securidacæ semen, brassicæ, nigella, cardamomum, corallina, cornu cerui vstum, vermes terreni, graminis radix, oleum omphacinum, petroleum, gutta vna olei sulphuris, vitrioli, in aqua graminis Argenti viui granum milii magnitudine per se deuoratum. Quædam ex his statim enecant, quæ efficaciora sunt in potu, aut extrinsecus epithematis ad vmbilicum, ventriculum ex iis, quæ amariora sunt, vt ex aloe, abrotono, farina lupinorum, felle, oleum Rhododaphne. Paul. Petroleum, oleum de scorpionibus compositum Mattheoli.

At in febre vehementi, & in puerulis periculosa sunt, quæ vehementer calida. Mortui cito educendi, ne corruptos vapores transmittant. Glande iniecta, oleo bibito, catapotiis ex aloe, hiera, colocynthide. Sed febricitantibus optimum rhabarbarum, polypodium. Ad putredinem frigida & sicca, acetosus simp. Citri aciditas, limonum, vinum granatorum. Radix tormentillæ, graminis, terra sigillata, Melitensis, alicornum, lapis bezaar. Hæc tutiora sunt vrgente febre, abstinendum à calidioribus Paul. Ad morsum, propellere deorsum, & ferociam mitigare. Propelluntur insuauibus per os assumptis, theriaca, etiam exterius illita naribus, palato, ventriculo, vel aloe, myrrha exaceto & oleo.

Alliciuntur deorsum suauibus iniectis, mulsa, lacte. Mitigant ferociam cibi dulces, non inedia. Aet oleum sæpe exhibet.

Ptisana cum oleo, halica. Auicen. Lacte, vel carne tosta duobus diebus, postea admiscet medicamenta enecantia,

cantia, vt decipiat, sal in ore detentum. Infantes mitioribus medicamentis tractandi, & in statu, potus decoctionis sebesten vermes terrent cum sapa delingendi. In febricitantibus igitur initio enecare ex oleo Omphacino cochlearibus assumpto ante cibum, ptisana, aut halica, panis ex iure adiecto semine brassicæ. Potus decoctionis graminis, cum vino granatorum, vel succo limonum, si efficacius oporteat, enecare guttis, duabus olei sulphuris in iure, pingui ante cibum, non oleum vitrioli, nec argentum viuum, quia deleteria magis sunt. Enecatos cito ducere ex rhabarbaro.

Ad Ascarides, clysteres acres, calamenti succus, cedria, colocynthis, muria, aqua marina, caro salita supposita peroleum cum lanula filo appensa. Postea astringentibus sananda vlcera ex pruritu & morsu concitata, malicorium, balaustium, alumen, plantago. Rhus.

Ad latos enecandos valentiora necessaria sunt, acria. Euphorbii drachma vna per interualla, sed corrigatur eius vehementia ex ptisana, aut lacte. Centaurii succus, dictamum, costum, helenium, anchusæ puluis cum decocto mentastri, filicis radix, cortex mori, nitrum, cardamomum, piper, vermes terreni, sinapi, semen nasturtii, chamæmelum.

CAP. XIII.

De Cholera.

CIrca os inferius ventriculi, quod pyloron vocatur, viget expultrix, cuius gratia meatus fellis in duodenum intestinum mittitur. Error aut non agendo, aut deprauate, si deficiat in expulsione, insequitur tardus descensus, & corruptio ciborum. Si deprauate ante tempus perfectæ coctionis, lienteria. Si concitatius per inferiora, fit diarrhæa, per superiora, vomitus, subuersio, supinitas. Cholera vtrinq; est affectus acutus, ac grauis, qui per vomitum in alui fluxum protinus ducit.

1. vs pa. 4.

2. Cat. 3. li. Def.

Aut

Aut ex profluuio alui, & multa excretione in tormina, & non multo post in febres malignas. Aliter. Est affectus acutus cum vomitibus bilioſis multis, aluique deiectionibus, ſuriſque ſe contrahentibus, frigeſcentibus extremis, pulſibus minoribus, obſcuris. Nomen à cauſa putata. Trall. Non humore cholerico, nam fit & ab aliis cauſis: ſed ab inteſtinis, quæ cholades antiquis. Est & cholera arida Hippocrat. Cum nihil excernitur, ſed dolor adeſt, & inflatio, quam Galenus putauit ab acri ſpiritu fieri. Nos oſtendimus inter voluulos. Cauſa, id quod contriſtat ſtimulans ad expulſionem, eruditates ventriculi, & corruptelæ. Pepones, porcellorum caro, fungi. Lac caprinum, cum paſcuntur elleboro, tithymalo; Frigidæ potus. Trall. Excrementa totius corporis certis interuallis, aut in criſi. Bilis, humor ſeroſus medicatus ſupinitates & voluuloſas ſubuerſiones facit. Totius corporis humiditates, & colliquationes. Aliquando ſanguis ex hepate, vel liene, vitia ventriculi, quibus vel coctio fruſtratur, vel impeditur alimenti diſtributio. In ætate, iuuenibus ob bilem, in declinanti ætate ob eruditates.

8. *Met.* 2. — 4. *Acu.* 103 — 3. *Sy ca.* 2. — 2. *Ali.* 2. — *Ci.bo &* *ma.* 4. — 7. *Met.* 11. — 8. *Cat.* 3. — 3. *Sy ca.* 2. — 5. *loc. aff.* 6. — 3. *Aph.* 21. 30.

Locus affectus in vomitu os ſuperius relaxatum, in deiectionibus os inferius. In cholera per totum, humor in cauitate vergit ad inferna, vel quia eo inclinat humor, vel ob robur ſuperioris. Ad ſuperna è conuerſo. Aliquando motus fit ſurſum ex inteſtinis concitatis: viſum eſt enim aliquando clyſteres per vomitum excerni. Signa choleræ patent ex eſſentia. Vomitus, & alui profluuium, tormina, & ſuffocatio. Pulſus parui, obſcuri, ſeu languidi, ob ventriculi morſum, extremorum frigiditas, ſurarum contractio, febris. A quoſa deiectio eruditatem ſignificat, aut vitium hepatis non deducentis alimentum ob frigiditatem, aut obſtructionem. Aut tranſmitti humiditates corporis, quod aliquando bonum. Sine morſu excerni, ſignificat retentricis imbecillitatem, contingit in hydrope, fluxu hepatico. Prognoſti-

3. *Sy. ca.* 2. — 8. *Cat.* 3. — 4. *Acr.* 110. — 4. *ca. pu* 23 — 2. *Prog.* 20. — 2. *Aph.* 29. — 2. *Prog.* 14. — 1. *Cri.* 11.

ca. Quæ fit à natura se exonerante, salutaris, cognoscitur ex facili tolerantia, nam confert, & leuiter ferunt. 1. Aph. 2. Vomitio vtilissima, si pituita ac bile permixta quam maxime sit, si non multa, non crassa. Deterior sincera, porracea, liuida, nigra, varia, fœtens quæcunque, 2. Prog. 38. 42. liuida & graueolens citissimam abolitionem significat: contingit in voluulo. Deiectio humida ex vsu est, si 2. Prog. 14. neque stridet, neque crebro, & paulatim excernitur, neque vniuersim & sæpe, illud insomnium, hoc animi deliquium facit. Symptomaticæ sunt.

Corpulenta reddatur morbo eunte in iudicationem, subrufa, non admodum graueolens, lumbrici inferne. Venter mollis & plenus. Mala aquosa multum, candida, aut valde crocea, spumans, exigua glutinosa, læuis. Nigra, opima, fœtida, versicolor diuturnior est & exitialis, strigmentosa cruenta, quod contingit in dysenteria. Peruenit ad quartam, vel septimam diem. Si transmigret 2. Prog. 23. ad caput, deliria fiunt, & sopores, surditas. Si ad renes, 4. Aph. 28. stillicidium, vt ad intestina dysenteria. Morbis quibus- 22, 21, 24. libet incipientibus, si atra bilis vel supra vel infra exierit, lethale. Deiectiones nigræ, qualis sanguis niger, Galen. aliquando bonum, si cum signis coctionis. At ægro iam debili, prostridie moriuntur. Si parit dysenteriam, lethale.

CAP. XIV.

Curatio Choleræ.

1. Aph. 20. SI à natura bene agente fiat, sinere, neque mouere, neque nouare aliquid. Sola victus ratio, primo inedia, 2 Aph. 12. postea ad sorbitiones transire. Si non integre, perficienda euacuatio, ne recidiuam faciat. Quiescere, mulsam bibere, vomere. 4. Acut. 10. Gale. non vomere, sed per inferiora ducere. An quo natura vergit? Ras. Aqua calida multoties tribuatur in potu, & si perseuerauerit vomitus & alui deiectio, iterum detur ad abluendum; pro mulsa

ad

ad contemperandam acredinem, aqua hordei. Galen. inquit, valenter auxiliatur is, qui valenti medicamento cacochrimiam affatim purgat, inspectis viribus, habitu, ætate, tempore, constitutione. Hoc modo fluxus fluxu curatur, & vomitus vomitu, & tandem per similia, vt tradit Hipp. Huic sententiæ videtur repugnare, quod scribit Gal. Si fuerit febris cum profluuio alui, non opus est alia euacuatione, sed hæc sola sufficit, quamuis non sit pro multitudinis ratione, alioqui in grauiora pericula ducuntur. Oppositum tamen videtur statuere, cum inquit: Si non sufficiat, supplendum. An in omni magno symptomate abstinendum à magnis & integris euacuationibus? Sed prius ventrem confirmare oportet, postea auferre, aut venæ sectione, aut purgatione. Si moderate fluat, & os ventriculi non valde afflictum, conuenit medicamentum purgans, imo expetendum corpus fluidum. Si totius plenitudo, etiam venæ sectio. Contra, omnis euacuatio facta à natura in principio ante coctionem mala est, & symptomatica, ergo compescenda. An turget in chole ra? Nam ex motu concitato periculum est, ne ruant humores ad partes principes. In medicationibus autem talia educere oportet, qualia & sponte prodeuntia, vtile. Quæ vero contrario modo prodeunt, cohibere oportet. Sed si sponte hæc fiant in principio morbi, signum est prauæ dispositionis, irritantis ante coctionem, si vero à medicamento fiat, bonum est, quia euacuantur humores noxii. Si sola cruditas ventriculi, hiera Themisonis, quæ est simplex. Galenus. Si bilis aliunde allata, rhabarbarum, mirabolani citrini. Si serosa humiditas, syrup. rosatus solutiuus, cassia cum speciebus hieræ. Si labor sit & nihil excernatur, quæ cholera arida vocatur, ne vomat, venter subducatur clysteri pingui, & reliqua facienda, quæ in voluulo dicta sunt. Ad fluxum symptomaticum, ad quem non sequitur conferentia, vel quia cibi incocti exeunt in lienteria; vel totius corporis colliquationes in febribus malignis; vel quia humores praui

4. Acu. 110.

de lo. in ho. 1. Gla. 14.

9. Met. 5.

4. Acu. 116.

2. Aph. 9.

3. Cri 10.

4. Aph. 2.

4. Aph. 21.

4. Acu. 104

praui ante coctionem in diarrhœa; vel sanguis, in fluxu
4. Acu. 38. hepatico: in omnibus compescere oportet. Ad diarrhœā Hipp. Si liquidam aluum habenti causus superuenerit, si purgatio idonea videatur, eam non primis tribus diebus adhibebis, sed quarto, vt scilicet interim aliqua coctio habeatur. Cum autē purgaueris, sorbitionibus quibusdam vtitor, obseruatis febrium accessionibus, vt nunquam cum adiunt, neque cum futuræ sunt, exhibeas, sed cum cessant, vel quieuerunt. Frigentibus autem pedibus neq; potum, neq; sorbitionem, neq; aliud quippiam huiusmodi dabis. Et paulo post inquit:

Quibus aluus per febres perpetuo liquida est, custodito ne pedes frigidiores sint reliquo corpore, calefaciens, & ceromatis ac fasciis integens. Potu quam minimo vtendum, aqua frigida vel mulsa. Gal. Variam conuenire curationem: nam concoctio mollienda leui nutrimento, somno per opiata, balneo. Inter opiata hodie in vsu
1. Gl. 14. sunt pilulæ de cynoglossa, scrupulus vnus vesperi post cœnam. Balneum commodissimum est ad fluxiones ad ventrem, nam reuellit ad exteriora, at non in sanguinis fluxu.

Non obstat, quod scribit Hipp. Non sunt lauandi, qui in morbis aluum plus iusto humidiorem habent, neque
3. Acu. 16. quibus nimis astricta, neq; biliosa eructantibus, quia vt Gal. in commento, non bonū est reuellere in corpus humores prauos, sed melius est per inferna euacuari. At quando post purgationem sistere oportet, nō inutile est reuellere, aut ad superiora vomitu in alui fluxu, aut ad inferiora per clysteres in vomitu, aut ad habitum corporis in vtroque. Deriuatio ad vrinā, ex asaro, nardo, succo citoniorum, seminib. communibus, cucurbitula magna ventri medio. Medicamentū purgans per interualla, & refectio ad vires instaurandas, non astringentia intus
Par. fac. 25 præter quam ad robur ventriculi, & hepatis. Ad colli-
10. Met. 10. quationem, extinctio feruoris potu frigidæ, & balneo frigido.

Ad

Ad choleram, lauacrum frigidū, in quo diutius permaneat, si quadrato habitu sit. Si vero gracilis, ex balneo temperato modice ad frigidum ducendus. Cibi actu frigidi, ptisana, halica, lactuca, fructus, lac ichistum. Trall. Hip. Quibus per febres aluus liquida, & mens turbatur, & venter contabescit, sorbitiones frigidiores & crassiores, potus vinosiores astringentes. Recentiores in diuturnis alui fluxibus vtuntur lotionibus astringentibus ad crura, & brachia. Reprehendit Gal. quia astringentia externa repellunt ad ventrem, & adaugent fluxum. An hęc conueniūt ad retentricem imbecillem externarum partium in inueteratis fluxibus. *de pa. fa. 2.* *4. Acu. 41.* *1. Gla. 14.*

Ad retentricem autem imbecillem internarum partium astringentia intrinsecus conueniunt, & extrinsecus ad ventriculum, & totum ventrem, quod præcipue in lienteria opportunum est. Ad lienteriam sine morsu ex debilitate caloris concoquentis, calefacientia dicta in eruditate, cum astrictione, miua citoniorum cum speciebus, cibi facilis coctionis. Ex debili autem complexu ob inflammationem, tumores, vlcera, siccitatem, dicta sunt remedia in dolore ventriculi.

Ob humiditatem autem relaxantem, si ex distillatione, quod sæpius contingit, capiti prospicere oportet, purgatione superiorum partium. Hippoc. Capite autem à pituita purgato, ventrem quoque lacte cocto eluito. Deinde reliqua cibis & potibus curato, à quibus venter & totum corpus reficeretur. Nos ventrem eluimus ex aqua Tettuccri primum, deinde aquis astringentibus ferreis, vt est aqua Villensis, Ficoncellæ. Bortæ in agro Florētino, aqua chalybeata, vina austera, cidonium, rhus. Sy. Rosatus siccus, myrthinus, de portulaca, cum aqua plantaginis, rosarum. Galenus ad ventriculi dissolutionem ob superfluam humiditatem exhibet succum mali punici cum nucleis inspissatum, addito succo menthæ. Aliud cotonea, mespila, corna, myrthilli, pruna syluestria, rhus. *Dea ff.* *8. Catal. 3.*

Horum

Horum decoctio inspissata sumitur ante cibum. In febre ptisana cum granis mali punici, semina acetosæ, plantaginis, portulacæ, corallium. Extrinsecus ad ventriculum relaxatum cataplasma ex malo coroneo cocto in vino austero, absynthio, rosis, myrthillis, crusta panis.

Fomenta ex decocto eorundem, inunctio ex oleo nardino, mastichino, absynthii, rosaceo, melino. Ad totum ventrem, aut ad solum ventriculum in vomitu.

Ex irritata autem expultrice ante tempus debitum, vnde lienteria cum morsu, non multum astringere oportet, sed euacuare, quod irritat, abstergentibus sine morsu, vt ex lacte cocto, aut sero chalybeato. Repellere acres humores aliunde fluentes. Contemperare cibis morsu carentibus, qui difficilime corrumpuntur. Vtomasum, pedes, & fructus astringentes. Si non sufficiat sensus obstupefaciendus, præcipue in quibus est nimium exquisitus, trochisci stellæ, pilulæ de cynoglossa vesperi.

1. loc. af. 4.
12. Met. 8.

Ad sanguinis excretionem explicabuntur remedia in fluxu hepatico.

CAP. XV.

De Dysenteria.

Dysenteria, intestinorum difficultas, communiter est omnis cruenta excretio. Proprie est vlcus intestinorum. Est intestinorum exulceratio cum phlegmone & secretione cruentorum, ac strigmentorũ fæculentorũ, non sine morsu, & cruciatu alui, & intestinorum. Alia in gracilibus, alia in crassis. Quæ in recto intestino tenesmus vocatur, mordicatio recti intestini ex bilibus, & acribus humoribus, cum crebra surrectione, & cupiditate egerendi, pauca tamen. Cautæ sola bilis interea, siue flaua, siue atra, prius abradit, post erodit. Pituita sola putrescens. vt aphthæ in pueris. Gal. Medicamenta valde acria, vt elaterium, scammonium, colocynthis. Oxymel abradit intestina in siccitatibus. Autumno. In ætate declinante, ob bilis acrimoniam. Signa manifesta ab essen-

3 lo. aff. 5.
6. loc. af. 2.
11. Def.
3. af. pa. 10.
3. Aph. 11. 12.
3. Aeu. 32.
3. Aph. 16. 22. 30.

tia,

tia. Antecedit excretio[n] ordacium, vnde sequuntur abrasiones, postea excernitur paulum cruoris, crustula, febris ex motu ob frequentiam desidendi. Gal. An & ex vlcere inflammato? vigiliæ ob continuam desidendi cupiditatem, & dolorem. Discernitur sanguinolenta excretio à fluxu hepatico, abrasionibus & frequentia. Si in gracilibus intestinis, mixtus valde sanguis, aut rasura cum fæcibus, dolor acrior. Si in crassis, pars aliqua supernatat fecibus, præcipue sanguis, pingue quoddam coniunctum, quod sublinit totum intestinū, simile pinguedini. Post punctionem statim subsequitur excretio. Tenesmi signa, vehemens tensio, magna cupiditas deiiciendi, sed pauca excretio. Pondus in extremo intestino, vnde vulgo ponderi. Initio pituitosa, & pinguia, postea ramentosa per totum morbi decursum impermixta. Aiunt lapidem aliquando callosum excretum. Prognostica. Si incœperit ab atra bile, lethalis, nam fit veluti cancer exulceratus. Si succedat in dysenteria nigra deiectio non lethalis. Aet. Discernitur atra bilis ab humore nigro, colore splendente, & si in terram decidat, bullas attollit. Gal. Humor niger à sanguine nigro, quia humescit, non concrescit. Si à flaua bile, difficilis. Deterior si à porracea, sincera mala, id est, non permixta cum aquosa humiditate. Gal. Si à pituita salsa, facilis, sed diuturna. In ieiuno intestino difficilior, ob tenuitatem, ob vicinitatē vesicæ fellis, ob multitudinem vasorum. Ob hæc vulnera lethalia; idem de ileo dicendum. In crassis facile sanatur. In recto facillime. Tenesmus periculum affert retentionis vrinæ ob compressionem colli vesicæ. Hinc forte aliquando lapis vesicæ excretus est eroso vesicæ collo in rectum intestinum. Si veluti caruncule exeant in dysenteria, lethale. In longis dysenteriis inediæ ex fastidio malum. Cum febre peius, ob inflammationem effatu dignam. Si in longum protrahitur, quæ cæliaca passio vocatur, in lienteriam, aut in aquam intercutem transit, & moriuntur. Si quidem robusto adhuc

3. Aph. 30.
1. loc. aff. 4.
6. loc aff. 2.
4. Aph. 24.
Ibid 23.
atr. bi. 3. 5.
7. Aph. 23.
6. Aph. 4.
5. Aph. 50.
4. Aph. 26.
6. Aph. 3.
Ibid. 43.

huc corpore curetur, spes est fuge. Si vero colliquato iam, & ventre omnino exulcerato, nulla vitæ spes supereſt. A furore dyſenteria bonum. Lienoſis difficultas inteſtinorum, bonum.

de Aff.
7. Aph. 5.
6. Aph. 48.

CAP. XVI.

Curatio Dyſenteriæ.

IN curatione dyſenteriæ primum vlceris cauſæ tollendæ ſunt, poſtea vlcus ipſum cito ſiccandum, ne profundius corrodat, amplius ſedanda ſymptomata, dolor & febris. Ad cauſas humores abradentes euacuare, & cõtemperare. Abſtergere eos, qui iam inhærent inteſtinis. Euacuatio, ſi cum plenitudine ſit, per venæ ſectionem. At in fluxu alui praui humores non trahendi in venas. Trall. Venam ſecat, ſi inflammatio inteſtinorum vigeat, & febris, præcipue in teneſmo, vbi ex tumore inteſtini comprimitur collum veſicæ. Sed prius clyſteri abluendum inteſtinum, & dolor mitigandus. Ex iis, quæ ſine morſu abſtergunt, optimum eſt exptiſana cum oleo roſaceo, & pinguedine hircina in oleo liquata, ſine ſale, eius loco ſaccharum, item oui vitellus, aut etiam cum albumine, vt adhæreat inteſtino, & ab humoribus fluentibus protegat. Purgatio prauorum magis conuenit. Hipp. inquit. Huius vbi purgaueris caput pharmaco in potu exhibito, quod ſurſum pituitam purgat, & aluum lacte cocto elueris, reliquum corpus curato, & ſiquidem febre caruerit, pinguibus, & dulcibus, ac liquidis ſemper ea quæ inſunt exaluo ſubducito, & multa calida partes ſub vmbilico lauato, ſi dolor affuerit. Potus autem & ſorbitiones ac cibos exhibeto, vt ſcriptum eſt in medicamentario libro, at liber hic deſideratur. Iubet autem purgandum per ſuperiora, ne praui humores trahantur ad partem affectam. Sed loco medicamenti purgantis, quo vtebantur antiqui per ſuperiora, nos ſimplici vomitorio vtemur, ex aqua hordei calida, adiecto oleo. Trall. duobus primis diebus inediam præcipit, & ſanguinem mittit. Tertia die hæc exhibet

de Aff.

exhibet coctum cyathis tribus, & post duas horas totidem, aliquando & tertia vice, vt integra hemina absumatur. Altera die heminæ dimidium pro vice, tertia heminam integram, tribus horis post lactis assumptionem pulticula exhibenda aut alius cibus. Hæc ratio curandi facit & ad abluenda intestina, & ad acrimoniam contemperandam, præterquam quod lac sanat omnia vlcera interna. Hodie vtimur aquis metallicis ad abluenda intestina, & vlcera siccãda, aqua Tettuccii, vel Balneoli, quæ mitior est, vtræque salsæ, aut per clysteres vbi affectio est in crassis intestinis; aut in potu pondere libratum quinque, vt descendat vbi superiora intestina laborant. Mirum cum salsæ sint, abstergere sine morsu, & dolorem mitigare. In febre, & pueris, & mulieribus, vtimur mitiori, quæ Balneoli est. Si aquæ huiusmodi non adsint, sero vaccino vtendum, aut caprino, aut lacteo asinino, extinctis calculis ignitis, aut chalybe. Sed aquæ prædictæ citius descendunt ad intestina ob naturam salis. Ad vlcus si valde inflammatum, mitiganda inflammatio repellentibus, deinde digerentibus. Sed eligenda, quæ illinendi vim habent, vt hæreant, & tectorii modo partem tueantur ab humorum transitu. Repellunt plantago, rubus, polygonum, portulaca, solanum, hyoscyami folia, cucurbitæ, succi vel decoctiones in clysteribus ad intestina crassa, aquæ stillatitiæ in potu ad gracilia, cum sy. de endiuia, succo acetosæ, violato de portulaca, ptisana cum aqua pluuia, faciunt & ad febrem. Oleum rosatum omphacinum, melinum, in potu, aut clysteribus, & extra ad totum ventrem. Illinentia, anodyna, albumen oui, vitellus, seuum hircinum, mucillago psyllii, fœnugræci, altheæ, cera gummi. Ex his quædam repellunt, quædam digerunt. Cera, & seuum oleo rosaceo soluenda, vt liquida permeent. Ad vlcus simplex, siccantia, austera, acerba, non quæ inimica, sed familiaria, cũ cibi tum potus. Medicamenta, hypocistis, balaustium, cytini punicorum, galla, malicorium, acacia, rhus, rosa, terra Samia sigillata

4. Meth. 7.

ex decocto mali cotonei, foliorum lentisci, rubi, vitis, myrthorum in vino austero, vbi non adest inflammatio, addenda glutinosa, vt hæreant, gummi, tragacantha Ad vlcus sordidum, quod dignoscitur pure cum fæcib. exeunte, abstergentia efficaciora, dein sarcodica, & epulotica. Abstergunt mel crudum, mel rosaceum, sed efficacius ad nomas Dios. muria. Gal. generosum remedium
12. Meth. 1. tradit, cæpa cum pane efitata, postridie infusa muria acerrima, at quosdam vi medicamenti conuulsos interiisse, alios vna die sanatos. Mitius igitur, & tutius intundantur muriæ ex piscibus salitis vnciæ duæ, ptisanæ ad mitigandum vnciæ sex, & augeatur in dies muria, donec ferre possit. Postea exhibeatur lac extinctis calculis, vel ferro, addenda sarcotica, thus, myrrha, & cicatricem inducentia austera, aliquando opium ad dolorem mitigandum. Composita multa extant apud Gal. inter cætera
9. Catal. 5. Gallæ, fructus ericæ, opii, singulorum drachmæ quatuor formentur pastilli ex aqua, dosis scrupulus vnus ex aqua vel vino. Ad tenesmum acriora, quæ alibi intus prohi-
4. Meth. 7. bentur, Carta combusta, alumen, auripigmentum, sandaraca, squama æris, calx viua, sulphur, fæx vini vsta, cadmia, gallæ vstæ, suber vstus, cerussa, fiunt ex iis pastilli diuersi, qui iniiciuntur ex vino, aut succo plantaginis, aut ptisana, decocto seminis lini, fænugræci, in pueris cyathus vnus, vel duo, in fœminis tres, in viris quatuor. Tral. fomenta & suffitus ad sedem adhibet, ex decocto anodynorum, aut digerentium, & siccantium, vt fumus excipiatur in sella perforata, aut pix brutia super carbones. Alii nuces pineas imponunt, vt fumus excipiatur, postea inungatur ex butyro, aut cerussa, aut lithargyro ex oleo rosaceo, verbascum cerato rosaceo intromissum. Vitia in sede mitioribus tractanda ob sensum. Loci caliditas & humiditas requirit frigida & sicca sine morsu. Aluus seruanda humida, ne ob fæcum siccitatem irritetur, ex Damascenis coctis, ferculis ex malua. Victus dum viget inflammatio tenuissimus, in tenesmo pleniot

Hipp.

Hipp. inquit inedia auget tormina, cum cibi adsunt, minorem mordacitatem intestinis inferunt, quæ præterfluunt. Ptisana ex hordeo torrefacto, oriza, lenticula decorticata, quinq; folii radix Cels. & Dioscor. potus aquæ chalybeatæ, vel vini austeri, vbi febris non adest. *de Aff.*

CAP. XVII.

De Hepatis constitutione, & affectibus.

HEpar, iecur, principium ponitur à Gal. animæ vegetatiuæ concupiscibilis, ideo & sanguinis, & venarū. Hipp. Est venarum radicatio, id est, cauæ, & portæ caro valde sāguinea, vnde iudicat Gal. oriri sanguinē & venas. *6. Pla. 8. de Alim. 4. Vsp. 12*

In simis vena portæ per mesenterium & omentum ramos multos fert in ventriculum, intestina, & lienem, comitantibus arteriis etiam in hepate. In gibbis radices cauæ sine arteriis, quia vena portæ, quæ alimentum in hepar fert, eget multitudine calidi innati, vt alimentum in venas trahatur, & conuertatur in sanguinem. Vena autem caua paucioribus arteriis eget, vt sanguis iam concoctus distribuatur in singulas partes. Fellis meatus inter vtriusque venæ ramos excrementum biliosum in vesicam fellis reponunt, vt inde feratur ad intestinum duodenum. Alterum vero sanguinis excrementū crassius, qui veluti fæx sanguinis est, per ramum venæ portę fertur in lienem, vt inde per intestina crassa expurgetur. Vult Gal. non coniungi ramos venæ cauæ cum ramis venæ portæ in hepate, licet fines vtrorumq; ob exilitatem non pateant sensui. Sed Arist. asserit continuas esse omnes venas cum corde, vt sanguis eius calore foueatur. Gal. satis fuit continuas esse cum hepate, at quæ in pulmonē ex corde feruntur, nō coniunguntur cum hepate. Tegitur hepar extrinsecus mēbrana tenui ex peritonæo, in quam neruulus exiguus inseritur. Plato hepar tanquā pecus agreste, in quo sola cibi concupiscentia adest, alligari oportuit neruo, vt obediret vsui animalis, quasi nutritio in animali non fiat sine aliquo sensu. Hepatis *Ibid. 13. 3. Part. 4. & 2. par. 9.*

opus est chylum in sanguinem conuertere pro totius alimento, quod per secundam coctionem fit, dum alimentum per venas transit, non in communi vente. Id efficit calore insito, sed calore cordis ad actum redacto, quod est vitam participare. Situs in dextro hypochondrio ventriculum amplectitur & fouet. Hepatis vitia, quibus læditur sanguificatio, & reliquæ facultates naturales, sunt intemperies quæcumque, tumores, obstructiones. Ob principatum autem læsio communicatur toti corpori ratione alimenti. Sanguificatio diminuta aut abolita ex frigiditate, atrophiam parit aut hydropē, sanguine aquoso & pituitoso. Depravata autem obcaliditatem, sanguinem biliosum, aut melancholicum facit, vnde scabies, lepræ, & alia huiusmodi. Attractio imbecillis aluum liquidam facit, & totius nutritionem diminutam. Depravata cum attrahit etiam praua, alnum siccam reddit, & venas totius prauis humoribus replet, vnde praui habitus, aliquando icteritia. Retentio imbecillis alui fluxus, aliquando sanguinis excretionem, quæ passio hepatica vocatur. Depravata, cum ampliori tempore retinetur alimentum, sanguis assatur, vnde passiones hypochondricæ fiunt. Expultrix diminuta excrementorum efficit, vt excrementa regurgitent in varias partes, aut putrefacta febres varias excitent. Depravata, ex qua multa excretio aut per aluum, aut per vrinā aliquando sanguinis fit, irritata plus quam oportet facultate expultrice.

1. loc. af. 7.
2. Cat. at. 6.
3. Sy ca. 1.

CAP. XVIII.

De Hepatis inflammatione.

TVmores hepatis cum febre inflammationes sunt, vel erysipelata, aut ex solo sanguine, vel bile, aut cū cæteris excrementis. Hipp. morbum hepaticum vocat, cuius tres species tradit. Primus ab atra bile fit, cum influxerit ad hepar, accidit autem maxime in autumno, in mutationibus anni. Æger hæc patitur: dolor acutus ipsi in he-

Inter. aff.

in hepar incidit, & sub vltimis costis, & ad humerum, & in clauiculam, & sub mammam, & suffocatio fortis tenet, & aliquando liuidam bilem reuomit, & rigor, & febris primis diebus debilior habet, & dum tractatur, hepar dolet, & color ipsius subliuidus est, & cibi, quos prius comedebat, suffocant ipsum, & ingesti vrunt ac torquẽt ventrẽ, morbo progrediente febres remittunt, & à paucis cibis repletur, in solo hepate dolor restat aliquando fortis, aliquando quietus, aliquãdo adeo acutus, vt æget derepente animam efflauerit. Secundus morbus hepaticus. Dolores eodem modo premunt in hepar, & color differt à priore: nam malicorii formam habet, maxime incidit in tempore æstatis. Fit autem & à bubulæ carnis esu, & vini potu nimio: hæc enim omnia in æstate infestissima sunt hepati, & bilem maxime ad hepar adducũt. Vnde dolores acuti incidunt, & non desinunt vlla hora, sed semper magis premũt. Aliquando vomit bilem pallidam, vnde melius sibi habere videtur. Si vero non vomuerit, bilis ad oculos peruenit, & fiunt valde pallidi, & pedes intumescunt. Tertius hepaticus morbus. Reliqua quidem patitur æger, vt priores, color autem niger est. At hepatis fel pituita & sanguine repletum, vt ratiocinamur, dirumpitur, & vbi diruptum fuerit, celerrime insanit, & indignatur, & loquitur stulta, & latrat veluti canis, & vngues punicei fiunt, & oculis videre non potest, & pili in capite erecti stant, & febris acuta corripit. Signa ex dictis manifesta sunt. Galenus hæc tradit. Dolor grauis in dextro hypochondrio, trahẽs tota præcordia, aliquando extenditur vsque ad iugulum tensa vena caua, aliquando ad costas nothas, Archigenes dolorem holcimon vocat, id est, tractorium, tussis exigua, sicca, vnde ambigit cum pl-uritide, febris, respiratio parua, & crebra ob compressionem septi transuersi. Pulsus frequens, durus, veluti serrinus, vibratus. Linguæ color rubens, deinde niger. Cibi fastidium ingens, sitis inexhausta. Vomitus bilis sinceræ, vitellinæ, æruginosæ. Aluus

1. loc. aff. 7.
2. loc. aff. 3.
4. Ca. pu. 7.

sicca. Sed hepate debilitato, liquida deiectio sanguinolenta. Singultus, Gal. In maximis inflammationibus ob
5. Aph. 58. consensum in gibba parte cognoscitur visu, saltem tactu. Discernitur ab affectis musculis, quia tumor in hepate circumscriptus & coactus, in musculis fusus, secundum torum ductus. Non potest deprehendi in hydrope, aut intensione musculorum. Communicat magis superioribus ex vrinis. In sima parte non cognoscitur, nec visu, nec tactu, consentit magis cum interioribus, ventriculo, mesenterio. Deiectionibus sanios. Prognostica, est inter acutos, si vires imbecillæ, omnino morietur. Si valentiores, difficile euadet. Vires succumbere indicium, pulsus mutatio ad magnam imbecillitatem, syncope,
12 Met. 3. Sudores circa gulam & frontem, extrema frigida, interna
4. Aph. 48. vri. Erysipelata magna ex parte in tabem, quædam in scyrrum, hydropem, atrophiam, hepaticam passionem. Sanantur paruæ inflammationes, quæ non semper ab initio febrem coniunctam habent. Trall. Quæ in sima parte, per alui deiectionem, aut vomitum. Accedente co-
7. Met. 13. ctione sanguis vitiosus, cœnosus, & putris deiicitur, quo
5. Ioa. 7. distinguitur ab hepatica passione. Quæ in parte gibba, soluitur per vrinam, aliquando redditur pessima colore, & odore, purgante se viscere, vnde imperiti decepti putantes periculum subesse. Aliquando per abscessum in
4. Acu. 17. pudendum, testiculos, crus. Quorum hepar suppuratum aduritur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt, quia
7 Aph. 45. in tunica pus continetur. Si qualis amurca, pereunt. Scis-
6. Aph. 12. sio hepatis lethalis.

CAPVT XIX.

Curatio inflammationis hepatis.

AD inflammationis causas fluxionem & plenitudinem secanda vena cubiti dextri interna, aut media,
13 Met. 11. aut externa, si aliæ non apparuerint, aut ex dextra manu, non puero, aut seni, neque viribus imbecillis. Statim
11. Met. 13. ante vsum localium, reuulsio per vincula ad actus, cucurbitulas

birulas in dorso, ad nates. Hirudines ad sedem loco sectionis venæ, & pro supplemento in valentioribus. Purgatio non conuenit in principio, quia auget inflammationem. Clysteres conceduntur ex sale, vel nitro cum aqua mulsa. Auic. ex decocto betæ, sale vel saccharo rubeo. Repellëtia post sanguinis missionẽ cum facultate astringẽdi, dupliciratione. Vna ad robur particulæ ne recipiat fluxionem, & concoquat sanguinem pro toto corpore, Altera ad exprimendum id, quod illapsum est. Non actu frigida, neque crassarum partium, quia in altum non descendunt, vt oleum myrthinum. Extrinsecus perfundere oleo omphacino, rosaceo, iniecto absinthio pontico, non alio ob nimiam amaritudinem, melino, mastichino, lentiscino, nardino cum rosaceo. Cataplasma ex cotonei carne cocta in vino austero, vel aqua, addito cerato ex dictis, admixtis quibusdam acribus vel amaris ad penetrationem, vt radice iridis. Vnguentum sandalinum. Mes. præcedant fomenta ex decocto rosarum, labruscæ, absinthii, herbæ sanctæ Mariæ. Intus non astringentia, vt malum punicum, quia coarctant meatum bilis, & non sinunt saniem expurgari ex inflammatione genitam, nocent magis, vbi inflammatio est in simis. Conueniunt attenuantia sine morsu, & detergentia non calida, quia non repellunt, & inflammationem augent, sed frigida non actu, oxymel cum aqua Auicen. aqua endiuiæ, solatri, hordei, virgæ pastoris, id est, polygoni, plantaginis, Alchechengi, cucurbitæ, cucumeris, cuscutæ, cum acetoso s. in calidioribus: miscet calefacientia & aromatica ad refractionem, & ad penetrationem, absinthium, calamum aromaticum. Ad humores impactos digerentia, quæ euacuant insensibiliter per transpirationem, Calida tenuium partium, relaxantia, quæ nocent robori hepatis, ob id miscenda astringentia, contra quam in cæteris partibus. Ex solis relaxantibus interiit Theagenes Philosophus, obortis subito sudoribus paruis, & lentis. Ad humorem sanioſum ex inflammatione resu-

14. Met. 5.
11. Met. 15.
16.
13. Met. 14.
13. Met. 16.

dantem, bilem, & cætera excrementa, digerentia magis, cum sunt in substantia, abstergentia & obstructiones
11. Met.16. auferentia cum sunt in vasis, quorum vsus est cum cessauerit fluxio, paulatim minuendo astringentia, augendo digerentia, vt in principio vincant astringentia, in fine vincant digerentia, & aperientia, nunquam sincera, vt in cæteris. Digerentia extra, oleum nardinum, absynthinum ad perfundendum cataplasma ex glande vnguentaria, expresso prius oleo, absynthio tuso, iride, schænantho, spica, cypero, vini fæce, hyssopo ex vino astringente, in quo incocta mala cydonia aut struthia, & cestiana, lentiscus, myrthus, rubus, labrusca. Sublato cataplasmate, super viscus imponenda cerata & epithemata ex oleo, in quo eadem iniecta sint. Intus digerentia sine morsu, non dulcia, quia illis intumescit, non mulsa, sed oxymel cum aqua, ptisana, decoctio acetosæ, cicorei absynthii, syrupi in pauca quantitate ob dulcedinem, post principia, trochisci ante potionem dãdi de absynthio, de rhabarbaro, de eupatorio, & quæ mouent vrinam. Si in gibbis læsio fuerit, apii decoctum, & cum apparuerint coctionis aliqua signa, asarum, nar-
13. Meth.15 dus Celtica, phu, smyrnium, meu. Nos syrupum acetosum de duabus radicibus. Si in simis & mesenterio, quę aluum mouent, cnicum, vrtica, mercurialis, epithimum, polypodium, cordex ellebori nigri cum ptisana, vel aqua incoctus vel insperso puluere. Nos tutius vtimur rhabarbaro, aut sy. de cichorea Niceoli. Clysteres primo leuiores, postea ex hyssopo, orygano, colocynthide, centaurio minori. Valent præcipue, vbi relictus tumor scirrosus.

Ad erysipelas hepatis Auic. similem curationem conuenire vt in inflammatione. At in omni erysipelate re-
13. Meth.8. media ad feruorem magis requiruntur, quam ad tumo-
14. Meth.3. rem. Prius extinguere, postea digerere. Differt & euacuatione. Nõ enim venę sectio, sed purgatio bilis conuenit. Ras. in dolore hepatis ex bile, tantum refrigerat, & pur-

gat.

gat. An in omnibus febribus putridis saltem ad euentationem saluberrimum est venam secare? & in febribus ardentissimis etiam vsque ad animi deliquium? Conuenit autem feruente in venis bile, non si extra tantum. Cognoscitur, si vrina rubea, & crassa. Nam si nul cum feruore significatur plenitudo in venis. Si prauus color in vultu, Ras. non conuenit, quia significatur paucitas sanguinis, sed eius loco purgatio ex iis, quæ non trahunt à longinquo, in initio antequam figatur humor, quia turget, ex decocto prunorum, tamarindorum, singulorum vnciis tribus. Syr. rosatus solutiuus cum aqua endiuiæ, lac asininum coctum, clysteres ex cassia, cucurbitulæ ad reuellendum in dorso. Facta euacuatione, ad humores relictos extinctio feruoris etiam ante purgationem ex aquæ frigidæ potu quamprimum, si fuerit simplex erysipelas, non aliter sanaueris. Si cum phlegmone expectandæ coctionis nothæ. Potestate frigida aqua cicorii, endiuiæ, sonctri, acetosæ, hordei, cum syru. violato, extra epithemata actu frigida etiam in niue refrigerata, Auic. nisi cum phlegmone fuerit. Ex aqua rosacea, acetosæ, lactucæ, violarum cum modico aceto, agresta, speciebus frigidis epithematis hepatis. Imponantur lintea madida, & cum tepere incæperint, renouentur. Ras. Cataplasma ex semperuiuo, solano, portulaca, vmbilico veneris, psyllio, lenticula palustri, cerata infrigidans Galen. rosatum, sandalinum, ex aqua frigida. Post extinctionem digerentia, vt in inflammatione, chamæmelum, absynthium. Intus mouentia vrinam, sed frigidiora. Semina communia, capillus veneris. Trochisci de berberis cum acetoso s. mouentia aluum ex rhabarbaro. Victus tenuissimus magis quam in cæteris partibus, ne phlegmone augeatur, & ne alimentum præ cæteris corrumpatur tenuium partium, sine lentore, vt per angustos meatus transeat, & abstergat. Non halica, sed ptisana aut auenæ cremor. Trall. Mica panis cocta, vel lota non copiosa. Amygdalarum succus, non oua,

11. Met. 1.
1. Aph. 25.
9. Met. 5.
14. Met. 3.
11. Met. 17.

quia crassi succi, & flatuosa. In erysipelate intubus, cicorium, troximus, lonchus, tenera beta, pisces cũ iure decocti, non dulcia, non vinum. Rasis concedit vinum granatorum ad repellendum, quod Gal. & Tral. damnãt
5. Simp. 12. propter astrictionem. An modica astrictio non incõmoda, sed iuuat vt in absynthio? succus limonum magis extenuat, & minus astringit, acetum multa aqua dilutum ne mordeat cibus, & potus actu frigidus in erysipelate.
Int. eff. In declinatione vinum album tenue. Paulo diuersa est curatio apud Hipp. sed efficacior. Prius dolores mitigat per fomenta tepefactoria, vt in pleuritide. Sedato dolore multa aqua calida lauat, id est, perfusionibus, vt docuit in peripneumonia, & mulsam præbet in potu, aut vinum seu dulce, seu austerum, vtrum profuerit, & sorbitiones quales in pleuritide. Potione præterea vtitur ad dolorem sedandum ex ouo cocto gallinaceo, à quo trito succum exprimit, cui addit succi solani vncias quatuor, aquæ mulsæ, vncias duas, detur in potu quotidie, donec dolor conquiescat, hoc remedium refrigerat, & repellit. Aliud digerẽs recipit sylphii succum erui magnitudine, & origanum tritum in vino albo ieiuno ventriculo. Purgat autem aut scammonio in ea, quæ fit à flaua bile, aut clysteri, aut solo lacte, quod omnibus confert. Nam singulis diebus mane exhibet lac asininum, aut caprinum coctum, aut bubulum crudum, admixtum cum melle, aut aqua mulsa, singulis diebus, & abstineat à cibis donec morbus iudicetur. Si interim adueniat suffocatio, vomitum prouocat, ex melle, aqua, aceto, & sale tepefactis cũ ramulo origani, quo in potu dato, ægrum stragulis operit, vt suder, & cum vomitus prorumpit, adiuuandus cum penna, & noua potione mulsæ tepidæ, si bilis & pituita eruperit, iterum post quatuor horas repetenda potio eadem est, vt perficiatur vomitio. Post morbi iudicationem vtatur cibis puris, & modicis, nec timendum vt reuertatur morbus. Alioqui grauis est, & diuturnus. Si ex his non sedetur dolor, vena dexteri cubiti secanda, &

sorbi-

sorbitionibus, vt in pleuritide. Postquam vero ex vsu lactis crasse factus fuerit, & hepar in magnum tumorem elatus, inurere oportet per buxeos fusos feruenti oleo tinctos, aut fungis, octo crustis, hoc enim modo sanus fiet, quod si hæc non prosint, omnino morietur.

CAP. XX.

De Tumore Hepatis sine febre.

TVmores hepatis sine febre, alii ratione vasorũ sunt, alii ratione substantiæ. In vasis obstructiones sunt à crassis, & viscosis humoribus, quibus impactis necesse est vasa dilatari. Causæ sunt cibi crassi, vt legumina, caro bubala, vina dulcia, nigra. Exercitatio violenta post cibum, nam distribuit cruda: potus aquæ frigidæ ex niue, nam poros constringit, & indurat, aquæ palustres, australes, salsæ, metallicæ. In substantia tumores molles, vel duri. Oedemata, scirri inflationes, ob impeditam distri- *de Ac. aq.*
butionem alimenti collectis humoribus aut pituitosis in œdemate, aut melancholicis in scirro, aut flatu in inflatione, propter obstructiones, aut hepatis imbecillitatem. Ad surrosam dispositionem, vtplurimum perueniunt ex inflammatione & erysipelate refrigerato ob iecinoris substantiam veluti lutosam, præcipue si interim *13. Met. 16.*
cibis crassis & viscosis vtantur. Ad œdematosam ex a- *5. loc. aff. 7.*
quoso sanguine, potu multo, ad flatuosam ex cibis flatuosis. Signa, grauitas in dextro hypoch. in omnib. Sed flatuosi, & obstructionis etiam tensionis sensus. Si in gibba, tumor tactu cognoscitur durus, vel mollis, tensio, anhelatio cum ad accliuem locum ascendit aut in cursu ob septi transuersi compressionem. In sima affligit magis assumpto cibo, quia ventriculũ comprimit. Aliquando vomitus bilis compressa vesica fellis comprimitur & aorta, vnde pulsatio sentitur sub ventriculo. Prognostica. Scirri confirmati incurabiles, reliqui tumores difficile curantur. Diuturnitate transeunt in hydropem fluxum hepaticum. Obstructio meatus fellis parit morbum regium.

gium. Curatio obstructionis ex crassis & viscosis humoribus. Incidere, abstergere per acria, amara non sine astrictione. Decoctio hyssopi, origani, calamenti, thymi, serpilli, ridis, polii, marrubii, eupatorii, absinthii, ex mulsa, oxymelite, syr. de duabus radicibus, de quinque radicibus cum aceto. Aromatizentur cum spica. Actius Pelecini semen cochleari mensura cum vino, aut aqua mulsa, capnii succus, quæ chelidonia appellatur, circa sepes addensatus in pastillos, semel exhibitus dolorem aufert, ter liberat in totum ab obstructione. Trochisci de absinthio, de eupatorio, de rhabarbaro. Euacuatio per interualla ex rhabarbaro, agarico, aloe, colocynthide. Extrinsecus fomenta ex absinthio, meliloto, cortice citri, spica, cerata ex oleo nardino, & cinamomo. Ad flatus, semina dauci, anisi, apii, ameos, piper, zinziber, cardamomum, amomum, cinamomum, intus in cibis, extra in ceratis, & epithematis. Guttæ tres olei ex anisо distillati cum vino, aut mulsa in potu. Ad œdema, calida & sicca eadem, quæ ad obstructiones. Aqua Tettuccii, ferreæ, scilicet Villensis, Ficoncellæ. Scoria ferri vel scobes aceto præparata in vino, sufficiunt vnciæ quatuor in vini flaui libris quinque, infundantur per dies tres. Assumat mane vncias duas præsumpto diarrhodon, aut cortice citri condito, postea exerceatur per duas horas. Cum prope fundum fuerit, abiiciatur. Ad tumorem scirrosum, prius emollire, postea dissecare, & dissoluere alternatim sæpius.

14 Met. 5. 5. Simp. 7. Non valde calida nec sicca, nam indurant magis & incurabilem reddunt. Quæ ob nimiam siccitatem emolliri nequeunt, vt lapidea substantia, egent iis, quæ dissecent, & frangant. Reperti sunt calculi in vesica fellis. Dicentur

23 Met. 17. remedia in calculis renum, & vesicæ. Intus dissecantia validiora absque multa caliditate, capparis ex oxymelite, oxymel compositum, syr. Bisantinus, polium, marrubium, chamæpitis, rubia, anisum, amygdalæ amaræ, pistacea, grana pini, Auicen. Trochisci de lacca, Raf. Alternare ex oleo amygdalarum dulcium, terebynthina. Vi-

num

num album tenue, non dulce. Non lac, non balnea post cibum, neque exercitatio. Clysteres ex decocto hyssopi, origani, colocynthidis, centaurii. Extra emollire calidis & humidis. Altheæ radix cum seuo, maluæ syl. folia, pinguedines medullæ, cucumeris syl. radix, hammoniacū, galbanum, bdellium, styrax cum aceto. Pyrites, aut lapis molaris in aceto extinctus, vt vapor excipiatur, & puluis emplastro additus. Omnibus addenda astringentia aromatica. Emplastrum de meliloto. *5. tu. sa. 7.* *13. Met. 15.* *5. Simp. 8.* *7. Cata 1.*

CAP. XXI.

De Hepatica passione.

APpellatur hepatica passio hepatis imbecillitas ob solam intemperiem, ex qua deiiciuntur sanguinolenta. Trall. Dysenteriam hepaticam vocat, vulgo fluxus hepaticus. Alius est morbus hepaticus apud Hipp. & Celsum, id est, hepatis inflammatio. Quæcunq; hepatis intemperies aut cum humore, aut sine, imbecilles facultates reddit, aut omnes, aut quasdam, si diuturna fuerit, aut magna, qualis est venenosa in pestilentia, aut ex morsu hæmorrhi serpentis, in quo omnes venæ sanguinem fundunt. Quamuis autem omnes imbecillitates sub hepatica passione intelligantur, præcipue tamen dicitur, cum læditur coctio sanguinis, vnde cruenta fit excretio, quod potius vitium venarum est, quam sanguinis. Initio egreditur veluti lotura carnis, quod imperfectam coctionem significat ex frigiditate, aut ob paruam moram, quod vitium est retentricis ex humiditate, aut expultricis ob caliditatem magis. Postea succedit niger, assato sanguine & corrupto ob caliditatem cum febre, aliquando tamen ob frigiditatem fit sanguis niger, aut veluti sanguis, vt Galen. testatur. Auic. Vtrunque, id est, sanguinem tenuem & crassum, & à calido, & à frigido fieri, tendere etiam ad vrinam. An excretio sanguinis prius fit per diapedesim tenuiori parte transcolante, postea per anastomosim, aut corrosionem, vnde sanguis crassior? *5. lo. aff. 7.* *3. Cata. 6.* *4. Aph. 21.*

Omnis

Omnis autem excretio sanguinis siue per diapedesim siue per anastomosim, siue per erosionem sequitur calorem rarefacientem, aperientem, aut corrodentem.

Omnino autem irritantem, & magis humiditatem relaxantem. Sine cruenta autem excretione ob attractricem imbecillem ex frigiditate, deiectiones chylosæ proueniunt coctæ iam in ventriculo & intestinis. Colliquationes autem ex calida intemperie primo humorum, deinde hepatis substantiæ. Vnde per aluum bilis crassa, graueolens, abunde colorata, vt in pestilentibus contingit. Humida autem intemperies retentricem imbecillem facit, & putredinem. Sicca auctam attracticem, vnde aluus sicca, & praui habitus totius. 2. Cat. 6.

Signa caliditatis. Color ad flauum vergens. Auicen. An & rubedo in facie erysipelatosa? Deiectiones frequentiores fœtidæ, colliquatæ. Frigiditatis, color albus, deiectiones bilios æ, vomitus bilis, deiectio appetentiæ sitis, non assiduæ, neque multæ, sed diuturnæ, minus fœtentes pituitam aut melancholiam referunt, veluti limus, fames.

Humiditatis, excrementa humidiora, oculi tumidi.

Siccitatis, excrementa sicciora, macies. Prognostica.

Difficilis curatu, quia intemperies confirmata. Deterior, in qua sanguis transmutatur in peregrinam qualitatem, mitior, in qua diminuta fit coctio.

Curatio per alterantia ad quamcunq; intemperiem. Ad calid ãex Asclepiade. succi cichorei, aut endiuiæ, aut picridis, id est, chondrillæ vnciæ duæ cum aqua calida, melle, mulsa, vino, si non adsit febris, oxymelite. Senecionis decoctum, trifolii acetosi ex Archigene. Chamæpitys cum cichorei radice, refrigerant cum absterssione, attenuatione, & astrictione. 2. Cat. 7.

Extrinsecus vnguentum rosatum, sandalinum epithemate. Si cum humore, purgatio ex tamarindis, daprunis, syr. rosato solutiuo, rhabarbaro. Ad calidam & humidam pentaphyllon tum folia tum radices, agrimo-

nia,

nia, lichen in petris nascens, id est, hepatica: pulueris drachma vna ex aceto mulso, in victu ptisana, non halica, non oua. Trall. Pisces saxatiles. Auicen. Ad frigidam intemperiem ex Andromacho, plures compositiones ex aromatibus: Cyphoides constat ex moderate astringentibus & resiccantibus & discutientibus vitiosos humores, serosos, aduersus putredinem, & malitiam humorum, cassia, nardus, iuncus odoratus, calamus, myrrha, aspalathus, crocus, astrictionis quid possidens. Concoquunt vua passa ob familiaritatem, & vim concoctricem, vinum, mel ad abstergendum, bdellium & terebinthina ad emolliendum. Quidam addunt opium, hioscyamum ad sedandam irritationem fluxus. Sic Philonium vnica vice sedauit hepaticam passionem. Hepar lupinum siccum drachma vna cum pipere & myrrha in passo, proprietatem habet à tota substantia in omni intemperie tum calida, tum frigida, aut solum hepar cum aqua, aut vino. Pharmacum ex cochleis Asclepiadis. Recipit trium cochlearum carnem valde tritam, dissolue in vini nigri cyathis tribus, & calefactum bibat, si febricitent, ex aqua cichorei. Oleum ex electro guttæ duæ cũ succo cichorei. Extra oleum nardinum, balsamum.

Sed calorifica, vt iuuant ad frigidam intemperiem hepatis, sic nocent effusiom sanguinis. Vrgente igitur hoc symptomate, comprimendus est prius sanguis, seu excernatur per vomitum, seu per sedem.

Reuulsio secta vena interna in brachio, si vires valent, cucurbitulæ medio ventri. Dentur in potu trochisci de charabe, de spodio, de terra sigillata, hæmatites cum aqua plantaginis, polygoni, vel succo, acacia, hypocistis.

Exterius cataplasma. Recipe œnanthe, id est, labrusca, floris, vnciam vnam, croci drachmas duas, rosarum, meliloti, mastiches, succini, sing. drachmas quatuor. Dactylorum vncias tres. Arida cribrata excipiantur vino myrthino. Postea adde carnem dactylorum, vltimo ceratum *s. Cat. j.*

ceratum rosaceum quantum sufficit. Alterum. Recipe semina hyoscyami, apii, vtriusque vnciam semis, rosarū, anisorum, hypocistidis, myrrhæ, sing. drachmas duas, croci, opii, vtriusque drach. vnam, fiant pastilli ex vino myrthino, qui triti ex melle imponantur. Succus bursæ pastoris cum aceto impositus, vel per se haustus. Victus refrigerans, vt in sputo sanguinis. Sedato sanguinolento fluxu, remedia ad hepatis imbecillitatem.

CAPVT XXII.

De morbo regio.

MOrbus regius, arquatus, icterus, icteron, icteritia, Cels. Aurigo ab Au. Origobolo appellato, vulgo *sparso il fiele*. Hip. inquit, fit, cum bilis commota sub cutem conuertitur, commouetur autem aut inuiolenta exercitatione, aut sponte in crisi, aut impedita expurgatione. Est bilis refusio in cutem, vnde superficies tingitur lu- *li. Def.* teaque fit. Symptoma in qualitate mutata, cuius causa *4. Aph. 62.* expulsio in crisi, aut à causa procatarctica in cursu commotio symptomatica est, quia non per loca conferentia impedito transitu ad duodenum, vnde regurgitat in venas. Impeditur autem transitus naturalis in tumoribus hepatis, præcipue in inflammationibus ob compressionem, in obstructionibus aut meatus ferentis ad duodenum, aut aliorum, qui sanguinem expurgant in vesicam fellis: vtroque enim modo bilis in venam cauam transfluit. Aliquando imbecillitas vesicæ fellis causa est, vt neque expellat interius, cum nimium repleta est, neque at- *3. Io. Af. vlt.* trahat ab hepate, vnde bilis non separatur à sanguine. Contingit autem id ob copiam bilis, cum sanguinis fit conuersio in bilem, in febribus ardentibus & venenis quibusdam. Lædit autem nutritionem ob prauitatem, vnde sequitur imbecillitas, aliquando febris superuenit. Celsus inquit ex Diocle. Si post febrem oritur, prodesse, si post hunc febris, occidere. Signa. Incipit color sublutcus in albo oculorum, sitis, dolor capitis, frequens singultus, difficul-

difficultas respirandi in cursu, & ascensione, quæ compressionem septi transversi: & membrorum resolutio. In progressu totum corpus cum pallore quodam inalbescit. Cels. Ex causa procatarctica, habetur ex relatu. Ex crisi, si in febre. Ex tumore hepatis, tensio, durities, & grauitas in dextro hypochondrio. Ex obstructione vesicæ fellis. Excrementa alui alba sunt, vt canum stercora, quia non fertur bilis tingens.

Contra autem vrina redditur lutea, & crassa, vt aliquando tingat colore croceo, quod signum, bilem transfusam esse in venam cauam. Ex imbecillitate attractricis, aut conuersione sanguinis in bilem, vt nequeat ob copiam vniuersa transire ad intestina, omnia apparent lutea, tam excrementa, quam vrina, & totum corpus. Hippoc. inquit: quædam lutea est, quædam ex luteo & nigro, venis quibusdam pallidis, quibusdam nigris, ex quibus incisis sanguis exit vel pallidus, vel niger. Quandam etiam tradit albam ex pituita, videtur leucem significare. Et libro 2. de morbis icterum quendam esse nigrum, cuius color niger circa faciem, & maxime circa partes occultatas, oculi autem cum virore pallidi, itemque lingua inferne, & venæ sub lingua crassæ & nigræ, sine febre, vrinam mingit crassam, bilio sam. Alterum subiungit luteum. Alius est morbus niger, de quo agit in fine, incipit cum vomitu nigro, significat hypochondriacam passionem. Et 3. de morbis describit quendam acutum, qui cito occidit. Color totius vt malicorium videtur, & cum virore pallidus, vt lacerti. In vrina subsidet veluti eruum fulaum, febris & horror debilis, halet, vestimenta ferre nequit, nam mordetur & roditur. *Int. aff.*

Mane ante cibum vlcera plerunque lancinantur, non patitur alloqui. In 14. diebus plerunque moritur, si effugerit, sanus euadit. De icteritia nigra meminit Gale. fieri ex imbecillitate lienis non expurgantis atram bilem à sanguine. Porro eædem causæ, quæ impediunt expurganem fellis in duodenum, prohibent, ne per venam ten- *5. lo. aff. 7.*

dentem ad lienem fiat separatio atræ bilis, imo simul vtrunque meatum impediri ostendunt excrementa alba. Vt n. bilis colore croceo tingit: sic atra colore nigro & vrinam crassities cum colore ad nigrum tendentem simul cum pallore, idem ostendunt.

5. Aph. vl. 4. Aph 12. 64. Auic. inquit aliquando cum dolore colico esse. At Hipp. inquit, ictterici non admodum flatuosi sunt ob naturam bilis, vt Gal. Prognostica. In febribus, si ante septimam adueniant, malum, si 7. vel 9. vel. 11. vel 14. bonum, nisi dextra hypochondria obduruerint. Curatio ad ictteritiam ex crisi relictam, aut ex causa procatarctica, non existente vitio in viscere.

Sola digestio bilis sub cute. Balnea aquarum dulcium & olea discussoria affricata, chamæmelinum, auethinũ
9. Catat. 1. vnguentum gleucinum, crocinum, irinum, amaracinum. Alia remedia conueniunt ad ictericos ex vitio hepatis, quæ dicta sunt ad obstructiones, tumores & imbecillitates. Gal. Quibus citra febrem morbus regius accidit
5 loc. aff. 7. in fi. cum grauitatis sensu in dextro hypochondrio, iis omnibus aperies obstructionem, & cibis & potibus, & medicamentis extenuantibus; deinde medicamentum bilem educens exhibitum vna die sanauit. Qui liberari non potuerunt, iis rursus validiore ad aperiendum data potione, medicamentum, quod vehementius purgaret, exhibitũ: sub fine purgationis visa est cærulea potius quã flaua bilis cum acri mordacitate excreta, quod ãgnum ob diuturnitatem retentionis bilem huiusmodi genitam fuisse. Hip. inquit, cum susceperis curandum, nutrito & humectato balneis & pinguefacientibus, & cibis, &
loc. in hom. potibus per tres, aut quatuor dies. Postquam humectatum fuerit corpus, purgato, & resiccato, & repente pinguedinem exhaurito vndequaq; medicamentis digetẽtibus. Ad caput purgatorio debili vtitor. & vrinam cientia ante cibos propina; postea abstineat à potu. Cum attenuatum fuerit, etiam balneis purgato. lauato ex aqua, in qua radix cucumeris syl. contusa sit. Eo tempore

abs-

abstineat à medicamentis bilem ducentibus, & iis, quæ vrinam cient. Sed nutrito, & vinum vinosum bibat, vt rubicundior fiat. Quod si viridis, ac luteus sit, rursus exhaurito, nequaquam vero resiccato, ne is color stabilis reddatur Gal. Si bilis sub cute crassior est reddita, quod cognoscitur strigili in sudoribus tenuibus crassitiem nō excipiente, vtendum victu humectante, & balneo natura calido. Quando à repletione & ebrietate fit, Hip. venam secat in cubito, si febricitent, sorbitiones dat ex ptisana, & mulsam. Cum venæ sub lingua crassæ fuerint, secandæ sunt. At Gal. in morbo regio sanguinem mittere est in extremam perniciem ducere. An ad bilem euacuandam non confert venæ sectio, nam sanguis bilem contemperat? sed aliquando confert ad plenitudinem, vel crassitiem. Celsus ex Asclepiade, non per vrinam, sed per aluum ducendos esse humores, aliquando ex aqua salsa. Hodie ex aqua Tettuccii. Victus varius nunc extenuans, ad obstructiones, nunc validioribus cibis ad reficiēdum. Per omne tempus exercitatio, frictio, balneum, in conclaui vti ludis, lasciuia, per quæ exhilaretur, vnde putat dictum morbum regium.

5 lo aff. 7 Int. aff. 2. Morb. depur. af. 2

CAP. XXIII.

De Hydrope.

HYdrops, hydropisis, aqua intercutem, intercus. Cels. vult Gal. esse hepatis refrigerati affectionem, cum non potest in sanguinem cibum conuertere, sed in humorē aquosum. Oriri & ex aliis parti. affectis, pulmone, liene, ieiuno, colo, mesenterio, renibus, vtero, nullo tumore existente in hepate, sed tantum refrigerato per consensum, vt in fluxu immodico sanguinis per hæmorrhoidas, aut menses, aut propter retentionē. Aut ex potu aquæ frigidæ. Tres hydropis species esse. Vnam, quæ ex pituita in omnes venas, anasarca & leucophlegmatia vocatur.

5. loc aff. 7.

Species.

Alteram ex aqua inter peritonæum, & intestina, quæ

Ascites dicitur. Tertiam ex flatu, quæ tympanites, ex minori frigiditate, quia flatus generatio aliquam caliditatem requirit. Hip. aliter statuit. Nam leucophlegmatia, id est, pituita alba non inter hydropis species ponitur, sed quæ facile in hydropem transit, nisi curetur, nec est lethalis. Corporis color albidior est, & intumescit albo colore, alius in alia parte magis & minus, cum pituita ad carnes conuersa fuerit ex febribus diuturnis non purgata: sanguis enim aquosior fit à copia pituitæ. Si curatus fuerit inchoante morbo, sanus fit, sin minus, in hydropem transit, & hominem corrumpit. Hydropis autem duas species tradit, quarum hyposarcidios incurabilis est, id est incurabilis, significat ascitem non leucophlegmatiam, vt putauit Gamiratus dereliquisse ascitē. Alter flatuosus egens multa & bona fortuna, vt curetur, quæ tympanites dicitur, alibi hydrops sicca. Circa causas præterea magna est differentia. Non enim à frigiditate aquam fieri putat Hip. sed à calore colliquante. Inquit enim, fit plerumque cum quis ex longo morbo impurgatus multo tempore permanet. Corrumpuntur enim carnes & liquantur, & fit aqua. Fit etiam à splene, cum ægrotauerit, & ab hepate & à pituita alba, & dysenteria, & lienteria. A pituita alba maxime in hydropē fit transitus: nam pinguedo colliquescit, & à calore, qui in pituita est, fit aqua. Item bibentibus aquas palustres, splenes magni fiunt & facies attenuata, quia carnes in splenē colliquantur, & hydropes maxime lethales, id est, ascites. Ventres eorum calidissimi, tum inferni, tum superni, sticulosi, colliquationes.

de Aff. Int. Aff.

4. Acu. 111.

de Aff. Int. Aff.

de Ac. aq.

De ortu autem tympanitis inquit, pituita in hepate calefacta flatum inducit, & in progressu aqua impletur ampliori caliditate colliquante. Alio modo in doloribus lumborum.

Int. Aff.

4. Aph. 12

Dolores diuturni lumborum & circa vmbilicum in hydropem siccam terminantur, quia ad locum dolentem spiritus feruntur, relaxatis autem ex diuturnitate arteriis,

teriis, effunduntur in cauitatem, & replent, quod aliquãdo repente fit in venenis quibusdam, & paulo ante obitum. Alexander Trall. Hydropem cum febre, & qui succedit ad morbos acutos concedit non sine inflammatione esse, & ex colliquatione nasci auctorem citat Gal. sed Hipp. est. Mirum inquit, aquam non extinguere febrem, neq; febrem aquam absumere. Quamuis autem in febre à colliquatione fiat, frigidus tamen affectus dici potest, quia materia frigida est, cum vestigio tamen caliditatis: frigiditatem quoque hepatis adesse, quia calor innatus diminutus est, non tamen ab intemperie frigida, sed à caliditate præter naturam.

CAP. XXIV.

Causæ & Signa Hydropis.

CAusa leucophlegmatiæ, materia pituita ad carnes conuersa, efficiens febres diuturnæ, in pituitosis nõ purgatis redditur sanguis aquosior, cum incipit cachexia vocatur, Pau. & Aet. id est, prauus habitus. Hip. pituitam vulgarem appellat, cum recentissima est. *de Aff Int. Aff.*

Pituitam albam, cum antiquior. Nos vulgo *Bolso*. Oritur & in tabe, quia sanguis non tendit in nutrimentum, sed in excrementum aquosum. In largo sanguinis fluxu, sanguis aquosior redditur ob defectum calidi innati. Ideo affectus frigidi & humidi omnium venarum & hepatis.

Causæ externæ, victus ratio pituitosa, somnus, balnea, pigritia. Ascitis causæ, materia, aqua intra peritonæum transcolans ex hepate, frequentius ex liene: nam lien fons aquæ est, ex renibus, mesenterio, absceſſu aquoso. Hipp. Non per venas, vt in passione hepatica, esset enim aqua sanguinolenta, non subflaua, qualis est hydropicorum aqua. Aliquando ex pulmone, in hydrope pulmonis, aliquando ex capite in hydrocephalo. Hippocrates inquit, ex capite per dorsum defluit in ventrem, & hydropẽ facit. Efficiens potus multus, aut aquæ frigidæ, vn- *4. Morb Int Aff. 2. Morb. loc in hom.*

s.lo. aſ. 7. de refrigeratio fiat ſanguinis & hepatis, vt Gal. vult, aut
aquæ paluſtris, quæ viſcera indurat, & obſtructiones pa-
do Ac. aq. rit, vnde caliditas colliquans, febres colliquantes. At ca-
liditas debuiſſet potius bilem gignere, quam aquam. An
quæ vehementius calefaciunt, ichorem ſeu ſaniem ſepa-
rant, vt vere diuretica ſua caliditate ex ſanguine vrinam
exprimunt, & puſtulæ aquoſæ ex cōbuſtione excitantur?

Cauſa tympanitis, materia, flatus intra peritonæum,
Int. aff. aut ex pituita genitus modice calefacta, aut ex arteriis
transfuſus, efficiens, dolores inteſtinorum, venena. Signa
leucophlegmatiæ, color albidior corporis, videtur mor-
2. Morb. tuo ſimile. Paul. Aet. Intumeſcit totum corpus albo tu-
more, ex cuius compreſſione relinquitur fouea, venter
craſſus, pedes & femora tument, tibiæ & ſcrotum. Acer-
uatim reſpirat, facies rubicunda, os ſiccum, poſt cibum
Int aff. ſpiritus frequens, ſitis; forte ob tumorem hepatis. Eadem
die modo melius, modo peius habet. Pituita vulgaris,
quæ recentiſſima eſt, pituita alba antiquior grauat ho-
minem magis, & ſpeciem habet pallidiorē, totum corpus
laxo tumore intumeſcit, & facies rubet. Paul. & Aet. Ca-
chexia dicitur, cum corpus in aquoſitatem conuertitur,
redditur laxum & emolleſcit, ex quibus ſignificatur pi-
tuita vulgaris. Alteram vero, id eſt, leucophlegmatiam
vocant hypoſarca & ſarcitem.

Int. aff. Aſcitis ſigna, cum quatitur, fluctuat vt in vtre aqua
intra peritonæum. Trall. Hip. inquit. Cum tota pingue-
do in pectine abſumpta eſt, prominet vmbilicus, implet
aliquando ſcrotum, femora & pedes, cutis pellucida, gra-
cileſcunt partes ſuperiores. Si ex thorace, tuſſis ſicca, fau-
ces exaſperari videntur, rigor & febris, orthopnea. Corpus
intumeſcit & pedes. Vngues contrahuntur, quamdiu a-
qua in ventre ſuperiori eſt, dolor acutus cum deſcenderit
ad inferiorem, melius habere videtur.

lo. in ho. Quandoque ad latus intumeſcit, & indicat locum ſe-
ctionis Ex capite. Fluxione tendente ad vertebras & in
carnes, hydrops fit. Siccæ anteriores partes, caput, nares,
oculi,

oculi, oculorum hebetudo, color pallidus cum reliquo corpore, nihil expuit, quia fluxus auertitur ad posteriora, vnde meatus ad ventrem fiunt laxiores astrictis anterioribus. Ex hepate aut liene, tumor earum partium, & dolor, aluus sicca. Ex mesenterio, fluxus, intestinorum rosio. Trall. Quibus ex parte inani & lumbis principia hydropis fiunt, iis pedes intumescunt, & alui fluor diutinus fit, qui neque exsoluit dolorem, neque mollit ventrem. Quibus à iecore, aqua intercutem incœpit, tussire quidem cupiditas est, sed nihil excreant commentatione dignum, pedesque intumescunt, ac venter non deiicit, nisi dura, ac pro necessitate, atque etiam circa ventrem œdemata fiunt, partim in dextra, partim in sinistra consistentia desinentiaque. Tympanitis signa. Tensio resonans, flatu replente totum ventrem, descendit aliquando ad femora, & pedes. Aet. si prematur, resilit, non relinquit foueam, in processu succedit aqua. Si ex conuersione pituitæ in flatum paulatim, si ex arteriis spiritum transmittentibus cito, aliquando repente in venenis. *2. Pro. 2. 8.*

Prognostica. Hydrops, id est, Ascites, si ex morbo acuto mala est, quia non sedat febrem, sed dolorem admodũ infert ac mortem, fereq; incipit ex parte inani ac lumbis, & iecore. Si ex pulmone, periculum imminet suffocationis. Qui ex praua victus ratione, facilius curantur, nisi scirrus ortus fuerit. Nam expresso tenui humore, viscera coagulantur in scirrum. Periculosior ex hepate, quam liene. Ascites confirmatus incurabilis est, id est, ob scirrũ hepatis. Anasarca facilius curatur, ante quam transeat in Ascitem, magis contingit in pueris. Aet. ob voracitatem. Tympanites medio modo se habet. Auic. Aet. tympanitem deterrimum esse, id est, qui ex dolore, aut venenis. Ascitem facillimum, qui à punctione aqua extrahi potest. At Hipp. Ascitem, quem hyposarcidion vocat, incurabilem esse, qui scilicet ex vitio viscerum. Tympanitem egere multa & bona fortuna. Omnes hi morbi nisi cito curentur, longi sunt, & enecant. *2. Prog. 1.* *4. Aeu. 111.*

CAP. XXV.

Curatio Hydropis.

IN curatione cuiusq; speciei hydropis duo indicantur, euacuatio materiæ tumorem facientis, & vitia partium
1. Gla. vl. generantium corrigere. Gal. tres intentiones ponit. Euacuare, emollire, & vrinam mouere, quod spectat ad euacuationem. Ad Leucophlegmatiam, si ex plenitudine fiat, vt ex retentione menstruorum, aut hæmorrhoidarum, venæ sectio Gal. licet morbus frigidus sit, ob copiam. Paul. & Aet. Iteranda in tribus diebus, præcipue in
4. Ac. 111. Int. aff. cachexia. Hipp. Ex dorso per cucurbitulas, & venæ sectio in scroto. Purgatio pituitæ in pituita recenti solo vomitu post cibum, per duos dies, aut tres. Præparatio ad vomitum lauare, edere cibos ex oleo, & melle, olera aëria, pinguia & dulcia, & acida permixta, sæpe bibat inter edendum, in fine placentam insuper edat, & mel, & ficus. Postquam cœnauerit, pocula large exhauriat, & vbi large repletus fuerit, parum dormiat. Experrectus vomat, magno vini poculo epoto cum tepida aqua temperato, donec ficus euomuerit, qui vltimi prodeunt. Hoc remediū magis trahit pituitam, & humores ex carnibus, & corpus magis reficcat auferendo alimentum. Si pituita in ventre fuerit, clysteri euacuetur. Ad pituitam inueteratam, si sua sponte venter turbatus fuerit, sanatur cito. Sin, purgare oportet ex Cneoro, hippophesto, grano gnidio, lapide magnete. Postea cibis siccantibus vtatur, vino nigro austero, alliis coctis, deambulationes multæ, augendo
2. Morb. pro auctione cibi. Satureiam, & origanum multum edat, & inde vinum vinosum ante deambulationes. Nos vtimur chalybe, scobe, aut scoria ferri præparata in vino, vt postea deambulet. Paul. purgat ex elleboro. Trall. ex hiera sæpius. Succus corticis secundi sambuci expressus, lathyris, squama æris, Recipe foliorum chamæleæ drach. vnam, squamæ æris, anisi, vtriusque drach. quinque. Dosis drach. vnam vsq; ad duas cum aqua. Interim aperientia singulis diebus.

Con-

Confectio ex amygdalis amaris. Recipe, anisi, seminis apii, amygd. amar. absinthii, gummi, singulorum drach. quatuor, pastilli fiant ex aqua. Digerentia per frictiones, balnea sulphurea, aluminosa, nitrosa, & vario exercitationis genere, in sole velato capite. Punctiones plures supra talos, ad femora, scrotum, supra carpum, vt diutius emanent. Aet. Defendenda crura, ne recipiant, fascia expressiua ab imo sursum ducta.

Curatio Ascitis Hipp. à principio antequam super excrescat, pharmaca bibenda dato, à quibus aqua & pituita purgetur, bilem ne moueto. An significat ex leucophlegmatia fieri, ideo, hyposarcidios cognominatur ab eodē? Bilem ne moueto, quia non peccat. Humiditas enim nō siccitas lædit. Cibos & potus assumat, & labores, & deambulationes, à quibus gracilis & siccus euadat, & carnes quam robustissimæ fiant. Celsus cibos glutinosos conuenire, ne sanguis in aquam transeat. Si non succedat, sectione facta emittito, vel iuxta vmbilicum, vel retro iuxta lumbos, sed pauci effugiunt. An quia non sufficit aquæ extractio, nisi generationis causa tollatur, quæ in scirro fieri nequit? Item inquit Hipp. siccandus venter victu, & deambulationibus. Panis furfuraceus, caro leporina assa, galli, ouiculæ, & suis, omnes assæ. Polypi in vino nigro & austero cocti. Vinum modicum bibat nigrum, austerum, quam crassissimum & acerbissimum, iuscula ne attingat. Pisces sine sale elixos, sed refrigeratos. An sal inimicum, quia facile humescit? Ex oleribus Raphanum, apium, lenticulam torrefactam ex aceto. Deambulet quotidie mane, & post cœnam. Vesperi dormiat, mane exurgat. Si hæc non sufficiant, purgandus ex cneoro, hippophesto, grano gnidio bis in die, donec vacuus sit. Si tumor in scroto, femoribus, & tibiis, acuto scalpello multa & frequentia vlcuscula incutito. Si in thorace, tertiam costam ab inferiori perforato, vt inde paulatim aqua educatur. Interim exhibenda siccantia ex aristolochia, laserpitio, eruo, & lente formatis pastillis. Si

Aff.

Int. aff.

ab hepate tumefacto, in principio origanum & laserpitiū cum vino, & lac caprinum cum mulsa coctum, abstineat per primos dies à cibis, sorbitionibus vtatur ptisanæ, & vino albo. Post decem dies transeat ad victum siccantem. Si morbus non quieuerit, inuncto circa ustis octo fungis, cum valde intumuerit. Idem ad lienem tumefactum, capita eius intercipiendo fungis aut ferramento, cum multa cautione, ne transuras. Hæc à principio fiant post euacuationes, & vsum lactis asinini cum mulsa. Si vero æger extenuatus fuerit, præhumectare oportet per fomenta, nam præparant ad purgationes. Eadem fere tradit Hippocrat. alibi. In potu medicamenta aquam ducentia, & edulia quam pituitosissima. Si non leuetur, inurenda superficies lenissime, quo aquam continere possis, circa vmbilicum, & intra vmbilicum, & singulis diebus emittere. Cum enim morbus sit periculosissimus, *in his periclitari oportet*: si enim successerit, sanū facies, alioqui omnino periturū. Cæterum in puero partes tumidæ aqua plenæ scalpello aperiendæ, & frequenter & parū educendum est, & locū apertum cū eduxeris, calfactorio medicamento illines. Si ex capite oriatur, intercipiendus est fluxus vsque in collo, vt cicatrice inducta astringatur locus, ad partes autem anteriores auertenda est fluxio. Ad colliquationem autem, quæ hydropem facit, Hippocrat. remedia affert, in hunc modum. Qui ventrem inferiorē calidum habent, subeuntq; acres deiectiones, & inæquales, hi à colliquatione id patiuntur. Qui si valentes fuerint, reuelles elleboro albo, si non, cremorem tritici frumenti crassum frigidumq; dabis, & quod ex lente cōficitur, panemq; subcinericium, & pisces febrientib. quidem elixos, non febrientib. autem assos. Vinū præterea hauquaquā febrientib. nigrum dabis, aliis vero aquam, aut à mespilis, aut myrthis, aut malis, aut sorbis, aut palmulis, aut vitiū œnanth. Si vero febris non fuerit, vexentq; tormina, primū quidem lactis asinini pauxillū, deinde sensim paulatimq; plus bibat, & lini semen, & triticeam polentam

Lo. in ho.

Lo. in ho.

4. Ac. 112. 113.

lentam mixta hordeacea, & sparsa. Faba Ægyptia adempto amaro, vel oua semicocta edat assa, & similam, & milium, & chondrum ex lacte coctū: cocta hæc, & refrigerata edat, atq; his similia tum pocula, tum edulia ingerat. Gal. colliquationem curat in febrib. colliquantib. aquæ frigidæ potu, & cibis actu frigidis. At in hydrope non aqua, neq; cibi tenues & humectantes, sed crassi, & siccantes conueniunt, & qui multum nutriant, vt sufficere possint ad arduas inambulationes. Hodie alia genera medicamentorū habemus ad aquas ducendas, mitissimū quidem brassicam syl, quæ vulgo soldanella dicitur, datur succus, aut puluis, mecioacan ex vino. Vehementiora elateriū, euphorbium, extant pilulæ vtriusq;. Varia digerentia exterius applicanda recensentur à Gal. Fomentum ex furfure sicco, arena maris. Experientia comprobatum, thalictri folia cum farina tritici, aut ouo frixa, mane assumpta: nam viscera emolliunt, & vrinam mouent. Celsus hydropicorum ventrem mensurat cingulo, & potus quantitatem, vtrum cum vrina conueniat. Ad tympanitem curandam videntur ea referri, quæ H. pp. dicit. Curatur tolerantia, fotu & temperantia. Edat sicca & acria: ita enim maxime tum minget, tum valebit. Sed Galen. recte communem esse omnium curationem, tolerantiam scilicet laborum, fomentis digerentib. & temperantiam in victu præcipere, potu modico: concedit autē carnem suillam in aceto coctam, id est, quam vulgo *Gelatinam* vocamus, vt resistere possit aduersus arduas deambulationes. Conuenire aliquando venæ sectionem, si difficulter spirauerit, annuentibus viribus, quod Galen. negat in ascite & tympanite. An ad flatuosos affectus maxime facit venæ sectio, vt in palpitatione, & in priapismo? Nam ex arteriis flatus communicantur. Post venæ sectionem exhibet panes calidos ex vino nigro oleo tinctos, ad vires reficiendas. Paulus ad tympanitem exhibet etiam medicamenta aquam ducentia, quia flatus nō sine aqua: postea extenuantia, & discutientia flatus tum

10. Met. 11.

4. Acu. 11.

5. Cat. 5.

4. Acu. 114.

5. lo. af. 21.

intus,

intus, tum extra. Recentiores experimento inuenerunt maxime conuenire Balneum de aquis, in agro Pisano, naturæ ferreæ, quod refrigerat & astringit. Ipse testan possum sanasse mulierem in æstate lauacro frigido in flumine, & victu refrigerante, qua ratione Galen. curauit inflationes linguæ, & pudendi, repellentibus solis. Sic in tympanite arteriæ relaxatæ egent astrictione & refrigerantibus. Prohibent quoque frigida generationem flatus.

14. Met. 8.

CAP. XXVI.

De lienis affectibus.

6. Ana. ad 5. 10.

Lien in sinistra parte situs est sub costis mendosis, porrigitur deorsum, connexa parte exterius spectante, concaua interius è regione hepatis, vnde omentum exoritur. Substantia limosa & fungosa ad fæcem sanguinis expurgandam, quam trahit per ramum venæ portæ sub ventriculo transeuntem, & partim ad os ventriculi transmittit ad appetentiam excitandam, partim excernit ad intestina crassa. Facit etiam ad concoctionem sanguinis, Aristot. vt hepar in dextris. Affectus iidem ferme, qui in hepate, obstructio, inflammatio, scirrus. Sed magis intumescit, quam hepar, ob substantiam fungosam, quæ auide bibit humiditatem corporis, vnde fons aquæ dicitur 4. de morbis. Quibus corpus floret, iis lien minuitur, quibus magnus, & tumens, iis corpus minuitur, & cacochymum redditur. Splenetici vocantur, & lienosi, quibus lien intumuit & induruit, facile autem indurescit ob succum melancholicum, quo nutritur, & qui difficile expurgatur obstructionem faciens, patitur etiam intemperies solas, a quibus omnibus læduntur facultates naturales. Imbecillis attractio causa est, vt tumor melancholicus non separetur à sanguine, vt decet. Cum igitur regurgitat in venam cauam, totum corpus nigro colore inficitur, morbos melancholicos patitur. Si regurgitet ad ventriculum vomitus nigros & vexationes hypochondriacas inducit, & famem caninam. Si ad intestina crassa, fluxus

6. Io. aff. 1.

9. Cat. 2.

xus hæmorrhoidarum, qui liberant à multis morbis, sed si retineantur, graues morbos inducunt, mœrores, hydropes, tumores. Redditur autem lien imbecillis ad attractionem ex intemperie frigida, aut ex obstructione, aut tumore. Intumescit autem, & obstruitur præcipue ab aquis palustribus & cœnosis. Hepar autem magis à frigidis & crudis. Signa inflammationis, dolor acutus, & febris, aluus suppressa, inappetentia, in progressu color pallidus, aut niger, vlcera in tibiis, gingiuæ à dentibus abscedunt, malcolent. Tumor nunc minuitur, nunc augetur, in progressu durus fit vt lapis, morbus diuturnus, non lethalis. Sine febre ex humoribus frigidis, ex potu aquæ intempestiuæ aut palustris. Item à fructibus multis comestis, ficubus, vua, musto. Intumescit aliquando in crisi, exonerante se natura. Impletur aliquando à bile, vnde vehemens caliditas sentitur. Aliquando à sanguine in vere, vnde dolores acuti in splenem, & in mammam, & clauiculam, & humerum pertingunt, & sub scapulam. Venter durus, & splen veluti lapis fit. Hic morbus magis lethalis est quam cæteri. A liene autem maxime hydrops fit in hunc modũ. Cum splen in febre magnus factus fuerit, & omentum simul cũ corpore fuerit attenuatũ, pinguitudo omenti colliquescit, vbi vero vasa pinguitudine vacua facta fuerint, & à splene florente ac augescente in omentum defluxerit, vtpote vicinum maxime existens, & vt vasa habens, eaque vacua, excipit, & vbi morbus semel in corpore factus fuerit, ad id quod est morbosum vertitur, nisi quis probè disponat, ac curet. Sed videbitur alicui mirum, pinguedinem colliquaram in aquam conuerti, non in substantiam oleosam. Hydropis enim humor aqueus est non vnctuosus. Dicẽdum est, omnem pinguedinem humiditatem continere aeream, quæ facile in ignem transire potest, sed antequam in ignem transeat, si refrigeretur in aquam conuerti, vt salsa, & quæcunque vehemẽter passa sunt à calido & sicco. Simili modo pinguedines per colliquationem extenuatæ in sub-

Ae. aq.

de Aff.

Int. Aff.

Int aff.

Io. in ho.

substantiam vaporosam, si non comburantur, adepto refrigerationis principio, in aquam transeunt. Principium refrigerationis accipiunt ex cibis & potibus, præcipue ex aquæ frigidæ potu, & vbi incœperit conuerti, non cessat donec tota pinguedo in aquam conuertatur, paulatim colliquata, extenuata & in aquam conuersa. Hinc etiam patet aliquando tympanitem fieri, & post tympanitem aqua impleri, vt Hipp. tradit. Materia enim pinguedinis scilicet sanguinis halituosa substantia in vasis continetur, præcipue in arteriis: est enim alimentum optime coctum, extra vasa autem coagulatur iuxta membranas à frigore. Effluit igitur aliquando ex arteriis substantia hæc spirituosa, quæ flatu implet, antequam in aquam conuertatur. Omentum autem ex multis arteriis cõstat, ideo inflatio & hydrops in omento maxime incipit, cui lien coniunctus est. *Int. Aff.*

CAP. XXVII.

Curatio Lienis tumidi.

CVm tumor à sanguine fit, seu à cæteris humoribus sanguini admixtis, venæ sectio conuenit ex interna brachii sinistri, quæ vena splenitis appellatur, quia morbus oritur à sinistra vena, id est, quæ vena portæ appellatur, non enim aliunde lien venas recipit. At si brachii venæ ex vena caua producantur, quæ communia est cum vena portæ, an ratione arteriarum per anastomosim fit communio? Paul. ex manu sinistra magis reuellit, & minus debilitat. Bilioſis conducit, vt per victum humectantem aluum & vesicam subducamus, & de vena splenitide frequenter sanguinem mittant, & medicamẽtis vrinam cientibus vtantur, quæ splenem mollire scripta sunt, & pro anni tempore bilem purgent. Pituitosis, si impurgati sint, caput & reliquum corpus purgare. Si purgatione non egent, victus ratio constituenda, vt corpus exsiccemus & attenuemus, cibis, & potibus, & vomitibus, & exercitijs plurimis, & deambulationibus. Et *Int. Aff.* *Aff.*

in re-

sn vere sursum per elleborum purgentur. Tandem, si cæte-
ra non prosint, inurendus est, cum ex inflammatione
suppuratus fuerit, inustio sanat. Inurendus & cum valde
intumuit, quod ex vsu lactis fit: oportet enim ante inu-
stionem prius lacte crassa facere. Aliquando in principio
vrere oportet, cũ timetur, ne materia regurgitet in pul-
monem, quod contingere solet, cum statim in principio *Int. Aff.*
morbi dolor acutus irruit, nempe ex vena portæ. Si
quidem Medicus non intellexerit, priusquam incubue-
rit, resilit in pulmonem. Huic per fungos crustas octo
inurito, capita lienis quam celerrime intercipiens. Et
vbicunque alius dolor incubuerit, vrito, sic enim statim
sanus erit. Si vero non fuerit vstus, sanus autem sponte
fiat, plerumq; post duodecim annos morbus tandem re-
uertitur, & si plenem occupauerit, multis aquam inter-
cutem inducit.

Victus Hipp. Si febris non adest, panis furfuraceus,
caro canina, caprina, ouina. Sallamentum gaditanum,
id est, quas vulgo haringas vocamus, aut saperdam, & a *Int. Aff.*
cida & salsa omnia assumat, & acerba, bibat vinum coum
subastringens, quam nigerrimum, abstineat à dulcibus,
pinguibus & nidorosis. Non caro porcina, nec mugil,
nec anguilla, nullum olus nisi aceto coctum. An absti-
nendum à vinis tenacibus, & cibis, à quibus intumescit
lien? si adeo validus fuerit per 30. dies ad ligna secanda
cogatur. Luctetur summis humeris, interdiu deambu-
let, vespere dormiat, mane exurgat, & quæ relata sunt
edat. Galen. lien eget attenuantibus citra manifestam
caliditatem, ne vehementius increscat succus cras- *9. Catat 2.*
sus in ipso obturatus. Admiscendum aliquid ex au-
steris ad actiones naturales conseruandas, quibus per
accidens totum corpus conseruatur. Conueniunt val-
de amara cum quibusdam austeris ex aceto. Intus ex
Hippocrat. medicamenta splenem attenuantia, asphode-
li semen, visci folia, fænugræcum, semen viticis,
ruta, mentæ radix, in vino austero trita, dato singulis
die-

diebus ieiuno. Galenus ex aceto hæc tribuit myrobalani caro, hemionitis, asplenum, capparis, radicis cortex, costum, camædrys, polium, cotyledonis radix, hederæ corymbi, ammoniacum, semen hyperici, galbanum, periclimeni semen & radix, nasturtium, scyllæ succus, chamæpitrys, aristolochia, rubia, panax, myricæ fructus, folia, lignum. Variæ cõpositiones extant Andromachi & Asclepiadæ. Paul. aquam extinctionis ferri propinat in febricitantibus per se: in infebricitantibus ex aceto & vino. An ferri scobes, & scoria ex aceto præparata, cum vires validæ sunt ad deambulationes, vel cum hieræ speciebus in catapotiis, vel in vino infusæ? lienis obstructiones auferunt, ieiuno ventriculo ante inambulationes. Extrinsecus cataplasmata & inunctiones & epithemata. Ex cera, resina, pice, bitumine, galbano, ammoniaco, sambuci folia tenerrima ad inflammationem, aloes ex aceto, mairubium nigrum, viscum quercinum, calx viua auripigmentum, alumen, ex aceto & oleo eliquantur. Sed sæpius auferenda, ne vrant, interim fouere spongiis calidis ex aceto. Arabes vnguentum de artanita ad vmbilicum, ex cyclamino, brionia, nam mouet aluum & vrinas.

Hodie quidam lienem induratum confundunt securi supposita lana imponunt emollientia: sic enim facilius remediis cedit contusus & veluti confractus.

CAP. XXVIII.

Renum constitutio, affectus, de calculo.

RENES duo figura faseoli lumbis affixi ad serosum excrementum excernendum è toto corpore, vt transdere. af. 1. mittant in vesicam per vasa vrinaria. Substantia carnosa, densa, fibrosa, in mediam cauitatem venulæ & arteriæ desinunt vrinam transcolatam fundentes, vnde exitus in vasa vrinaria tendentia in vesicam. Ingrediuntur in renes, qua incurui sunt, venæ emulgentes amplæ ex vena

caua,

caua, & aorta, inde in dorsum, id est, eorum gibbum vasa minuta sparguntur, quæ reuertuntur in incuruum ad cauitatem, veluti lacunam. Nerui admodum exigui, vnde in carne stupidus sensus, in membranis & vasis acutus fit. 3. vs. pas. 9

Patiuntur affectus secundum morborum differētias intemperiem quamcumque, inflammationem, obstructionem, calculum, vlcera, secundum symptomata, dolores, vrinæ stillicidium, quæ stranguria dicitur, retentio, quæ iscuria, mictio cum dolore, quæ disuria, sanguinis mictio, saniei, pilorum, arenularum, seu sabuli. Humorum, quorum multi communes sunt cum vesicæ morbis, aut vasorum.

Calculus renū aut vasorum nephritis vocatur, vesicæ lapis Lithiasis. Morbus est in numero, toto genere præter naturam. Est & causa obstructionis, aut attritionis, symptoma autem intemperiei. Causa materialis, humores crassi aut glutinosi, aut vtroque modo vitiati. Cibi & potus, lac, caseus, pisces ex lutosis, anguillæ, voracitas, aquæ stagnantes, & quæ ex magnis fluminibus. Efficiens sola caliditas etiam naturalis Gale. licet extra quidam à frigore congelentur. Re. aff. 2. Ac. aq.

An lapides illiquabiles ab vtroque fiunt? Arist. Iudicium. Omnis vrina in matulis derelicta crustam lapideā gignit, vt aquæ thermales. Quod enim assatum est, in vrina refrigescens concrescit, vt calx soluta in aqua. Quod pueris contingit in vesica, quia membranosa, frigida, & ampla capacitate constat, non in renibus ob velocem exitum. In adultis autem prius concrescit in renibus, quia materia crassa in illis magis retinetur, & exusta magis est quam in pueris. Hipp. in coacis inquit. Nephritis non fit ante pubertatem, sed ab anno 14. vsque ad 42. omne genus morbi contingit. Post hanc ætatem, nec strumæ, nec calculus in vesica, nisi prius affuerint. Incipit quibusdā concrescere in vesica fellis. Feruor n. causa est rerentionis Hipp. Oppositum videtur sentire Hipp. vbi inquit, & calculi pueris propter vesicæ caliditatem, & 4. Meth. 7. Ac. aq. 2. Nat. hū. 21.

totius corporis fiunt. Viris autem calculi non generantur propter corporis frigiditatem, quod Gal. inquit verum esse in senibus. An frigiditas faciens ad lapidum illiquabilium concretionem, non est euidens, vt quando glaciei concretio fit? Non enim crystallus inter gemmas à vehementi frigiditate fit, sed satis est post exustionem & solutionem modica frigiditas, separans ab aqua crassitiem.

3. Aph. 28.

Hæc autem frigiditas in concretione efficit, vt aliqua humiditas glutinans siccas partes retineatur, quæ alteri humiditati prohibet ingressum: quo fit vt ab humido & frigido non soluantur, neque à calido & sicco, quia assatio coagulauit. Ideo secundum sensum tam in renibus, quam in vesica sola caliditas lapidem gignit, quæ in pueris maior est quam in viris, & in iuuenibus maior quam in senibus, quamuis caliditas aduentitia aliquando aliter se habeat. Locus igitur exustionis materiæ lapidescentis est in venis, in absessibus: nam & pus lapidescit. Concretionis autem locus minus calidus, vt vesica, renum lacuna, vasa, in quibus materia retinetur. Vesica pueri magis retinet, quam virorum, & in masculis magis quam in fœminis, ob meatus angustiam. Qui in renibus coagulantur, quidam numerosi milii magnitudine spectantur, alii paruæ viciæ, alii instar piseoli, omnes leues: quia in vasis angustis fiunt, sed in progressu maiores spectantur dilatatis vasis. At qui in lacuna renum concrescunt, hispidi sunt & inæquales, ad lapillum prius genitum inæqualiter agglomerata noua materia, non à continente coercita, & qui descendunt in vesicam, si non expurgentur, simili modo crescunt secundum crustas.

Signa Nephritis. Dolor similis colico, aliquando simul vtraque pars afficitur, ob consensum. Fit repente impacto lapide in cauitate renũ, vel vretere, ideo acutus. Renum dolor repentinus cum vrinæ suppressione, Hip. in coacis. Calculorum aut vrinarum crassarum mictionem significat. Communicatur enim affectio vesicæ.

6. lo. aſ. 3.

Grauis

Grauis in substantia renum, nullus cum exigui & læues. Fixus in nephritide communicans cum vreteribus. Vagus in colico maior nausea & vomitus. Vrinæ sabulosæ certum iudicium. At in initio aquosæ. Calculosi vrinam splendidissimam ad similitudinem seri, quia crassissimũ & biliosissimum manet. Quibus in vrinis arenosa subsistunt, iis vesica calculo laborat. Gale. non solum vesicæ, sed & renum signum esse. Libro de internis affectionibus non vesicæ, sed renum. Gal. inquit. Arenulæ prodeunt, dum fiunt lapides, cum facti sunt, nõ possunt euici, nisi à natura, aut medicamentis atterantur. Pro diuersitate colorũ diuersa materia significatur, subalbidi, rufi, pallidi, nigri, aliquando sanguinolenti, commixto sanguine. Stupor in crure eiusdem lateris, repleta vena, vnde & nerui compressio. Testis contractus cõmunicata affectione seminalib. aliquando genitali spiritu exarteriis tendente. Signa lapidis in vesica, fricatio pudendi, non in fœminis. Stillicidium. Mutata positione facilius mingunt. Calculosi ita figurati, vt lapis ad vrinarium meatum non illabatur, facile mingunt, quod non contingit in tuberculo. Vrina sanguinolenta, dolor in mingendo. In pueris tactu dignosci potest, intromisso per sedem digito medio. In adultis intromissa candela in pudendum, aut siringa, sed exasperatio periculosa. Prognostica. Insanabiles magni, & præduri. Qui in renibus magis atteri possunt. Pericula imminent ex inflammatione, vlcere, suppressionis vrinæ, ob dolorem ingentem coangustatis meatibus.

Re. af. 3. Ac. aq. 4. Aph. 79.

Int. aff. 4. Mor.

Coa.

CAPVT XXIX.

Curatio calculi.

CVratio præseruatiua calculi, ne gignatur, ne augeatur. Victus extenuans in crassioribus naturis, mediocris in gracilibus, non valde calidus, aquam bibere ante cibum, Trall. Fugare satietatem, cruditates, & motus vehementes. Abstinere à cibis duris, & multum nutrientibus, inflantibus, viscosis, vinis nigris, & dulcibus, a-

Re. af. 8.

quis paluſtribus, & magnorum fluminum. Si cruditas orta ſit in ventriculo, corrigere ſomno longiore, & calefacientibus. Si humores abundauerint, euacuatio per venæ ſectionem, & medicamenta purgantia in vere. Renes & veſicam expurgare poſt totius euacuationem, non iis, quæ vehementer vrinam impellunt, quia cogunt in lapidem, ſed quæ obſtructiones aperiunt, manifeſte calida amara, & quæ ducunt vrinas craſſiſſimas, viſcoſas, & ſœtentes, cardui decoctum, eringii radix, aſparagus, betonica, rubia, cetrach, quinquefolii radix, Trall. Ad calculum iam genitum, eductio, ſi fieri poteſt, ſin, tranſpoſitio ex anguſto in latam cauitatem. Melius in ſubſtantia renum, quam in cauitate; & in lata cauitate renum, quam in vretere, & in veſica, quam in collo.

10. Cat. 1.

Vrgente dolore prius mitigantia, ne inflammario oriatur, vnde augetur meatuum aſtrictio. Si dolor ſubito inuadat, exiſtente cibo in ventriculo, vomat ſtatim, deinde fæces educantur clyſteri. Poſtea plenitudo euacuetur, ſi adſit, mediocriter, vt ſufficere poſſit, venæ ſectio in brachio ad reuellendum. Aliquando in poplite, aut malleolo, ad deriuandum à partibus propinquis, ſed in virtute imbecilli materiæ alliciuntur ad partem affectam, ideo ſatius in ſuperioribus, ex manu. Aet. Medicamenta purgantia ad humores peccantes poſt venæ ſectionem interiectis diebus quibuſdam ad vires inſtaurandas. Terebinthinæ vncia ſemis ſaccaro candio fiat bolus, & ſuperbibantur olei amygdalarum dulcium vnciæ quatuor, aut caſſiæ nuper extractæ vncia vna, diaphœniconis vncia ſemis, fiat bolus cum puluere liquiritiæ. Deinde ad lumbos, & ilia anodyna relaxantia, humectantia, per fomenta, inſeſſiones, & cataplaſmata, ex fœnugræco, ſem. lini, althea, anetho, gummi, incoctis in aqua, & oleo dulci. A dipe gallinaceo recenti, phaſiani, butyro recenti. Farina tritici hordei, ſem. lini, fœnugræci, radice althææ trita, & cribrata, terebinthina adiecta cataplaſmati. Addenda ad flatus ſemina anethi, apii, fœniculi, liguſtici in decocto.

Re. aſ. 4. 8.

cocto. Clysteres ex iisdem. Ne cataplasma refrigeretur, fouere oportet ex decocto, & sæpius renouare. Sacculi etiam ex farinis madidi, cataplasma optimum ex lupini farina decocta cum musto, adiecto peucedano, chamæmelo. Item panis cum musto incoctus. Balnea aquæ dulcis non diuturna, quia vires resoluunt. Ex balneo fomenta applicentur, & cataplasmata. In dolore vehementissimo, si cætera non prosint, obstupefacientia. Hepp. curatio prius purgat per scammonium, fomento ad totum corpus adhibito, postera die subpurgat duobus congiis succi ciceris albi, sale iniecto, vt bibatur; facit enim ad detrahendum lapidem, quemadmodum hodie aquæ thermales quædam faciunt. Postea cibis, potibus, & balneis curat, vt in stillicidio. Cum dolor presserit, multa calida lauato, & tepefactoria qua parte maxime dolet adhibeto. Cum intumuerit, tanquam suppuratum secat, & extracto pure, arenam per vrinam cientia sanat. Si sectus fuerit, sanum fieri spes est, alioqui commoritur. Ad lapidem detrudendum ex renibus, Act. Cucurbitulæ faciunt à renibus deorsum attractæ ad inguina, dum in balneo, aut insessionibus, & fomentis loca relaxata fuerint. In calidioribus naturis, & siti immodica, post totius euacuationem aqua frigida sæpe & copiosius hausta lapidem detrudit, si æger assuetus frigidæ, & nulla in visceribus fuerit inflammatio. Eadem habentur ex Philagrio. In cæteris autem conueniunt aquæ thermales potæ, quæ nitrosæ aut ferreæ sunt, vt aqua Regii, Villensis, Ficoncellæ. Si nimium impactus, vt nequeat descendere, conterendus est in arenulas paulatim. Lapidem paulatim conterunt insidentia tepida, admixtis tamen quibusdam diureticis ad ventriculum, nam calida vrinam mouentia indurant. Videmus succos acidos, vt limonum, margaritas tabefacere, salem in fictilibus contentum crustas demere. Explicantur a Galeno danaconium, petroselinum, polytricon ex oxymelite, & ipsum oxymel, acetum scilliticum, saccharum. Lapis spongiæ, Iudaicus, qui Syriacus

Int. aff.

Re. af. 4. 6. lo. aff. 4.

mas, & fœmina, ad vesicæ lapidem fœmina, ad renum mas.

9. Simpl. Sed concedit quidem Galen. ad lapidem renum multum posse, ad vesicæ lapidem nullum se reperisse. Sanguis hircinus præparatus, vitrum combustum, lapis Cappadox, id est, spongiæ, paliuri semen, graminis radix, asparagorum regalium radix, id est, Asphodeli. Semē altheæ, milium solis, id est, Lithospermon. Betonica, saxifragia, pulegium, capparis radix, ficuum domesticorum semina, bdellium Arabicum, succus limonum, nitrum, sal, oleum vitrioli, sulphuris, cum aqua capilli veneris, vel iure. Extant variæ compositiones. Electuarium Lithontripron, de cineribus. Aetius extollit auem troglodytem, passerculus est minimus, vt regulus, totus cum pennis combustus vt teri possit. Inter prædicta remedia quædam emolliunt, quædam frangunt, emollientia alternatim intermiscenda, vt paliuri semen, quæ iuiuba a nostris dicitur, semen altheæ, bdellium Arabicum, id est, gummi Arabicum, gummi cerasorum. Fiat pastillus ex pulpa iuiubarum, & gummi Arabico, & semine altheæ, cum modico olei vitrioli, aut sulphuris. Dissoluatur in potu cum aqua capilli veneris.

10. Cat. 2. Victus quamdiu dolores vrgent, tenuissimus, ptisana, emulsio seminum communium, amygdalarum, potus aquæ decoctionis iuiubarum, liquiritiæ, capillorum veneris, cum saccaro. Mitigato dolore, carnes volatilium elixæ, vinum album, potus largior, nisi affuerit vrinæ retentio. Si lapides conteri nequeant, vt qui in vesica ob duritiem, & longinquitatem, & qui in renibus vetustiores fuerint, non mouendi, nec agitandi, ne atterant vicinas partes & inflamment, atque exulcerent. Extrahuntur lapides vesicæ incisione in collo vesicæ, & qui impacti in pudendo, incisione superius, ne vrinæ meatus tangatur, fieret enim fistula.

Rsn. af. 3.

CAP.

CAP. XXX.

De Renum inflammatione, Vlceribus, & mictu sanguinis.

RENES inflammantur concitata fluxione, aut ob dolorem, aut ob calditatem, aut propter imbecillitatem. Dolor ex calculo, aut percussione, obstructione. Caliditas ex motu, aut humoribus calidis. Imbecillitas ex qualibet intemperie. Hip. recenset quatuor species. Prima ex calculo. Secunda ex labore, cum ruptæ venulæ in renibus sanguinem fuderint, deinde pus. Tertia ex atra bile mordente, & exulcerante. Quarta ex bile, & pituita maxime in æstate, aliquando ex venere. Signa. Dolor cũ horrore interpellato, varioq;, ad quem febres quædam inordinatæ. Ex venæ disruptione, sanguinis mictio, deinde puris. Quicumque sponte sanguinem mingunt, iis à renibus venulam ruptam significatur. Rumpitur, aut ex motu vehementi, vt in saltu, casu ex alto, aut ob plenitudinem. Contingit & ex vesica. Si sanguinem aut pus mingant, aut renum, aut vesicæ exulcerationem significat. Exulceratio aut à lapide fit atterenti, aut ab humoribus mordentibus. Aliquando sanguis egreditur per anastomosim, quod paulatim incipit, non repente. Gal. Dignoscitur pars affecta ex dolore, & iis quæ cum vrina excernuntur. Vult Gal. etiam ex permixtione sanguinis cũ vrina magis, & minus, at liquida cito permiscentur, etiam si ex loco propinquo exeant. Ex atra bile, vrina ostendit veluti ex carnibus bubulis assatis, dolores in lumbis, & in vesica, & inter anum & pudendum, & in ipso rene ad tempus modicum. deinde remittit dolor, & rursus acutus fit breui tempore.

Int. aff.

6. Io. aff. 3.

Int aff.

4. Aph. 78.

4. Aph. 75.

Ex bile, & pituita, dolores in lateris mollitudine, & lumbos, & lumborũ musculos. Nõ potest in sanam partem decumbere, nam valde dolet, & pẽdere quædam videntur ex mollitudine. Si pronus decumbat, nõ dolet. Pedes & tibiæ semper frigent. Vrina vix prodit, crassa cum

subsidētia farinæ modo, & si bilis prævaluerit, subsulua, si pituita, alba, & crassa. Si morbus diutius perseuerat, cum dolore maiore suppuratur. Gal. Cum pendere videatur ex rene dolente quidpiam, absceſſum concretum ſignificat.

6. loc. aff. 3.

Prognostica. Inflammatio ex lapide periculosior, quia astrictio augetur, & dolores, vnde vrinæ retentio fit. Suppuratio si extra intumuerit, spes salutis per incisionem.

6. loc. af. 4.

Ex sanguinis mictu periculum ne grumus meatū claudat, & vrina cohibeatur. Tenuis sanguis, & sine dolore, non periculosus.

Curatio inflammationis, ad fluxionem reuulsio per venæ sectionem in cubitu, medicamenta purgantia non in principio, quia offendunt partes inflammatas, præcipue renes & vesicam. Trall. magis clysteres molles. Præparandi humores humectantibus cibis, & *potibus*, *ptisana*, pisces saxatiles, intubus, mulsa aquosa, *decoctio liquiritiæ*, iuiubarum, sy. violatus, de ibisco, de capillo veneris. Si humor crassus, admiscendum aliquid oxymelitis, & aliqua extenuantia, semen apii, succus limonum, sed partius, ne mordeant, & ne ferant humores ad partē affectam. Si humores acres, magis molestat, aqua tepida copiosior. Extrinsecus refrigerantia inter initia & vbi feruor, etiam in statu. Ceratum rosaceum cum modico aceti, aut succo polygoni, portulacæ. In progressu addendum chamæmelum, adipes recentes, diachilon. Tandē sola relaxantia, & digerētia, ex decocto chamæmeli, meliloti, absynthii, altheæ, fœnugræci, semen lini, non diutius, ne in pus conuertatur, balnea, vbi totum corpus fuerit euacuatum. Cels. inquit, oportet quiescere, cubare molliter, soluere aluum, sæpe desidere in aqua calida, neque cibum, neque potum frigidum assumere, abstinere ab omnibus salsis, acribus, acidis, bibere liberaliter, adiicere modo potioni, modo cibo, piper, porrum, ferulam, papauer album, inde quæ maxime vrinam mouere consueuerunt. Ad suppuratos renes, si extra tumor appa-

appareat, secandus quamprimum iuxta renem. Si pus non eruperit, vergit inferius, aut ad intestinum, quod melius est, aut superius, vnde tabidi fiunt, & pereunt. Si pus exeat per vrinam, id aut à renibus venit, aut à superioribus, aut à vesica. Discernitur commixtione cum vrina magis, & minus. Abstergendum ex potu aquæ mulsæ aquosæ, ptisana, melle roſaceo, aqua hordei, capillorum veneris, sem. cucumeris, vesicariæ, serum & lac, quæ Hip. exhibet ad atram bilem in renibus. *Int. aff.* *6. loc. af. 4.* *Int. Aff.*

Ad mictum sanguinis, si magna effusio, venæ sectio reuellens in cubitu iterata. Aet. statim in principio, & vbi per interualla ex consuetudine, anticipare paulo ante. Si ab exercitatione, non turū est cohibere: nam alii morbi contingunt vt ex retentis hæmorrhoidibus, iuuat excretio. Sed in processu debilitantur, quibus multus prorumpit. Cohibetur refrigerantibus & astringentibus Ad renes posca in spongiis applicata, vnguentum roſatum cum aceto, rubi folia, glandes, myrthi, & quercus folia, mulicorium. Intus succus polygon. symphiti decoctum, tragacanthæ in vino nigro, strationes aquaticus, lisimachiæ succus, salicis folia, hæmatites. Pæoniæ semina fulua 12. in vino, cornu cerui vstum. Aquæ aluminosæ, qualis est brandula. Potus aquæ frigidæ extincto ferreo, cauere nimiam astrictionem, ne grumi retineantur dissoluendi oxymelite, posca, & lixiuio.

Vlcera contingunt in renibus & vesica, aut ex lapide atterente, aut ex suppuratione, aut humoribus erodentibus, aut medicamentis, vt cantharidibus. Dignoscuntur ex vrina conturbata ac si farina esset inspersa, quæ residet in fundo. Aliquando exiguum pus crassum quod non soluitur in vrina, aliquando ramentum particulæ, vt caruncula ex renibus, veluti squama ex vesica, aliquando sanguis ob erosionem. Dolor crebrime sentitur, si ex lapide, arenulæ & reliqua signa lapidis. Si ex abscessu, quæ præcesserunt, & copia sedimentorū, in quibus & humorum vestigia ostenduntur. Curantur siccā- *6. loc. af. 3.*

tibus & abstergentibus sine morsu. Dioscor. laudat ad omnia vlcera interna, & rosiones renum & vesicæ lac præcipue asininum Trall. vitandum, vbi multitudo acrium humorum, quia simul corrumpitur. Suspectum etiam in calculo. Tamē Aet. ex Philagrio exhibet in extenuatis calculosis, at non aliud genus lactis, quam asininum. Qui timent lactis crassitiem, exhibeant serum per lactis decoctionem extractum, non per coagulum, id est, lac aqua pluuia temperatum & decoctum, postea refrigeratum & colatum, siccantia, bolus armenus, equisetum, gramen, semina altheæ, semen lini, vrticæ, paliuri. Pastilli ex his varii componuntur, dantur cum decocto eringii, aut graminis, aut atractylidis herbæ, aut chrysattico, id est, protropo, vino dulci. Ex Andromacho. Recipe sem. communia, sem. papaueris albi. sem. cucumeris, tragacanthæ, singulorum drach. *duas*, *anisi* drach. quatuor, cum aqua, fiant pastilli. Alii etiam *obstupefacientes* componuntur ex passo. Mastiche, aut terebinthina lota in ouo sorbili sumpta. Trall. oua recentia cruda ad sorbendum præstantissima. Portulacæ succus addensatus in pastillos drach. vna cum aqua calida Aet. aquæ thermales ferreæ, vt Villensis, Ficoncellæ.

10. *Catat.* 1

CAP. XXXI.

De Capillitio, & Stillicidio.

6. *loc aff.* 3. 4. *Aph.* 76

PIlli in vrina, morbus pilaris, capillitium, cuius facit mentionem Hipp. Quibus in vrina crassa existente caruncvlæ paruæ, aut veluti capilli vna exeunt, iis à renibus excernitur. Gal. fieri à crassis humoribus & viscosis non in vesica, sed in rene. Longitudo aliquando ad dimidium cubitum, & ex comestione orobi, fabæ, casei teneri, & duri, & aliis cibis crassioribus. Putat in venis eam longitudinem procreari, quod mirum, in transitu per angustas venas integritatem seruari.

An collecta in renibus materia sequaci veluti viscum, dum fertur per vreteres, producitur in eam longitudinem,

nem, vt ſtamina ſerica ex ſimili materia in ventre ſui vermis collecta, contingunt ſanis, à quibus periculum imminet obſtructionis, aut lapidis. Curatur per incidentia, & extenuantia, quibus omnes pericula euaſerunt.

Stranguria græce ab expreſſione dicta, Latine ſtillicidium. Eſt vrinæ paulatim & guttatim emiſſio cum aſſidua mingendi irritatione. Aet. Diſuria, id eſt, vrinæ difficultas, qualis in inteſtinis dyſenteria, eſt emiſſio vrinæ cum dolore, vel cum difficultate. Gal. Hip. ſenibus contingere ſtranguriam & diſuriam. Stranguria eſt veluti teneſmus, aſsidua mingendi cupiditas cum expreſſione paucæ vrinæ. Si contingat cum dolore, diſuria dicitur, vterq; affectus ſimul eſſe poſſunt. Symptomata ſunt veſicæ, aut propter eius affectum, vt vlcera, inflammatio, imbecillitas, aut ob vrinam mordentem ex ſuperioribus, vt pure, humorib. acribus. Hipp. 2. de morbis inquit, quum repletum fuerit caput & præcalidum factum, torpor caput tenet, & frequenter mingit, & alia patitur, quæ in vrinæ ſtillicidio. Poſt nouem dies, ſi per nares aut aures aqua & mucous erumpat, à morbo liberatur, & vrinæ ſtillicidium ſedatur, mingitq; citra dolorē vrinam multam & albam. Item ſtillicidii multi modi ſunt & omnigeni. Fit à pituita, & cum veſica ſiccata fuerit, aut perfrigerata, aut euacuata, dolorem exhiber. Quum vero humida eſt, & plena, aut etiam diffuſa, minus. Senioribus fit diuturnior, iunioribus breuior, neutris lethalis. Per conſenſum vicinarū partium, ex inflāmatione inteſtini recti, aut vteri, & renibus purulentis ſtillicidium aduenit, vt hepate inflammato ſingultus. Signa, fieri ex materia deſcendente à capite, capitis læſio, ex renibus, quæ excernuntur cum vrina, pus, humores, ramenta. Ex veſicæ affectu dolor ex lapide, aut vlcere, exeuntia, ex imbecillitate, cum vel à parua quantitate grauatur, ob ſiccitatem. Vidimus quendam ob calculum veſicæ, veſicam in anguſtum habere contractā, vt modicam vrinā contineret, hic cōtinuo ſtillicidio laborabat. Ob frigiditatē in ſeni-

7. Aph. 48.

6. loc. aff. 4

Aff.

5. Aph. 58.

4. Aph 80.

3. Aph. 16. 22. senibus per ætatem coangustata vesica. In aquilone, in autumno, vrinæ albæ. Prognostica. Sanantur quæ ex descensu materiæ irritantis, si partes mittentes sanabiles sunt. Idem si fiat per consensum. Imbecillitates vesicæ in senibus non curantur. Periculum ex stillicidio ob insomnium ex frequenti irritatione, & ne transeat in suppressionem vrinæ. Si ex stillicidio ileos superuenit, in septem
6. Aph. 44. diebus pereunt, nisi febre superueniente satis vrina fluxerit.

Similis affectus est vrinæ incontinentia, cum præter voluntatem emittitur, vel ob vitium musculi claudentis
6. Io. aff. 4. ceruicem, vel nerui in paralysi. Et qui in somno permingunt, quæ affectio pueris maxime contingit. Aet. musculo ob somnum non fungente suo munere, vesica autem expellente.

7. Aph. 48. Aff. Curatio stillicidii, conducit forinsecus corpus balneis calidis mollire, intrinsecus humectare, aluum per cibos fluidam reddere, vesicam per potus quamplurimum diffundere copia vrinæ. Danda & vrinam cientia, quæ dolorem sedant. Aet. ad acredinem irritantem, contemperantia & euacuantia, quamprimum humores noxios euacuare, syr. rosato solutiuo, cassia tamarindis, sero vaccino cum syr. rosato per plures dies. Abstineat ab omnibus acrib. & salsis. Bibat aquam calidam dulcem plurimam, amylum cum lacte decoctum, palmarum decoctum, vinum dulcius, lac calidum potatum, & per colem infusum, trochisci Alchechengi in potu, continuis fomentis vtatur ex malua, parietaria, violis, meliloto, chamæmelo, incoctis in hydræleo. Ad frigiditatem, fouere pectinem ex oleo rutaceo, insidere in decocto sampsuci, rutæ, imũ ventrem contegere & calfacere. In sedem eadem infundantur. In cibis vrinam cientia, anisum, fœniculum, cinamomum, & in potu. Theriaca cum passo, aut vino
7. Aph. 48. mulso. Hipp. Vrinæ stillicidium, & mingendi difficultatem, vini potio, & venæ sectio soluit, incidere autem interiores. Sed Gal. reiicit hunc aphorismum, cauillans secare

care interiores. An prius ad reuellendum, interiores malleoli, vt in dolore coxendicis exteriores? Vini autem potus, ad vrinam promouendam. Ad alia vitia vesicæ, ad vicera, & lapidem, & ad partes consentientes, dicta sunt remedia. Ad vrinæ incontinentiam, musculum relaxatum fouere ex oleo rutaceo ad Perineum, ex euphorbio & castorio. Ad permingentes in somno, Aet. varia remedia affert ex animalibus. Si mordaciores vrinæ, contemperantia, semen lactucæ in potu, & in ferculis. Pudendū illinire ex cimolia cum succo parietariæ in somno. Potus paucus, si sitiant, dormiant. Ad vesicæ imbecillitatem ex nimia humiditate, siccantia, a proprietate, myrrha, & calamintha cum vino ante cœnam. Rutæ syl. semen torrefactum, castorium, pulmo hœdi assatus comestus large sine pane in cibo.

CAP. XXXII.

De suppressione Vrinæ, & Diabete.

ISCuria Græce est vrinæ suppressio. Contingit, aut quia vrina non perueniat ad vesicam obstructis renibus, vreteriis à lapide, humoribus crassis, pure, sanguinis grumis. Vel astrictis ab inflammatione tubercul. Vel præsiccitate in febribus malignis, humoribus ad superiora vergentib. In his omnibus vrina non fertur ad vesicam. Aut vesica plena non reddit vrinam, obstructo vel astricto meatu ab iisdem causis, amplius ex carne supercrescente in collo vesicæ ex vlcere eius loci. Aliquando nulla existente noxa in meatu, vrina non redditur, quia vesica comprimi nequit ad expulsionem naturalem, cum nimirum repleta est in diuturna retentione ob negotia, aut ob nerui læsionem ex ictu spinæ. Quamuis Ga. non putet facultatem naturalem egere neruis ad suos motus. Sed ex ictu spinæ retineri vrinam, & alui excrementa, quia iis communicetur inflammatio, at hæc non statim fit, sed in progressu. Signa vesicæ plenæ, tactu dignoscitur, tensione, & duritie supra pectinem. Non excerni ob vitia in meatu.

1 Io. aff. 1.
6 Io. aff. 4.
3. Art. 51.
33.
1. Io. aff. 6.

meatu, ex lapide obstruente, cognoscitur, mutata figura corporis, qua melius mingit, & intromissa siringa aut candela tangitur carnositas aut lapis. Si vitio renum non transmittentium, nullus tumor nec grauitas in imo ventre. Renum vitia explicata sunt, quibus dignoscantur. At læso vno rene, non tollitur vrinæ decensus per alterum, nisi inflammatio vtrunq; occupet. Si absq; renum læsione non descendat vrina, alio vergere necesse est, vt in febribus malignis. Prognostica. Si non succurratur, breui occidit, aut vesica inflammata, aut vrina in venas regurgitante specie hydropis.

Con.

Curatio iscuriæ, aduersus causas, vt in stillicidio. Ad vesicam plenam abstinere à potu, fomenta & insessiones relaxantes. Si obturata fistula à lapide, resupinato corpore concutere, vt lapis à meatu dimoueatur, elatis cruribus. Si non succedat, repetendum efficacius. *Sin, intromisso catheretere retruditur lapis, & vrina per eius fistulam egreditur.* Idem in grumo & carnositate faciendum, at non vbi inflammatio adest. Si fistula non est obturata, sufficit abdominis compressio manu, sed prius sedata inflammatione, si adsit, per venæ sectionem & relaxantia. Ad obtusum sensum, irritantia vt in paralysi. Alliciunt vrinam, nitrum, cimices tritæ illitæ ad fistulam. Aet. Si ob renum vitia, remedia explicata sunt. Ad vrinam impellendam efficacissimum remedium recentioribus oleum vitrioli, guttæ duæ vel tres in iure hausta, nisi febris prohibeat. Antiqui cantharidas propinabant.

1. loc. af. 1.

Diabete est vrinæ profluuium, rarissimus affectus, dipsacos etiam vocatur, ob sitim vehementem, nã multum bibunt, & multum mingunt non alteratum à sua qualitate ob celeritatem, vt in liēteria. Causam putat Ga. renū imbecillitatē, vt pondus retinere nequeant. At obstat vehemens attractio. Respondet, non absurdum esse vt in fame canina. An in renibus non est tanta cauitas, quæ continere multam vrinam possit, sed successiue labi in vesicam necesse est? attractio humidi in siti ob calorem

6. lo. af. 3.

vel

vel siccitatem, vel vtrunque. Aet. ex Aræteo. Viscera ipsis vri videntur, anxii, & non longe post moriuntur. Si quãdo parum per vrinam retineant, intumescunt lumbi & coxæ, si adhuc amplius mordens calor augeatur in visceribus, superior venter corrugatur, & venæ eleuantur. Vniuersum habitũ gracilem habent, & tabes accidit. Humores vitiosi in renum corpore imbibiti eam inducunt, falsi. Curatio. Motum auertere in habitum corporis. Humores contemperare, abstergere à renibus, refrigerare & humectare. Celsus auertit in corpus exercitatione, frictionibus, maximeq; ad solem, vel ad ignem. Aræteus sudatorium parat ex vapore in dolio, vt interim aer frigidus inspiretur. Aet. addit vomitum post potum. Archigenes venæ sectione vtitur in initio moderata, non in progressu. Contemperatio per victum. Ptisanæ succus frigidus, olera, refrigerantia non diuretica, oua sorbilia, hatica, caro porcina sine pingui, elixa, caseus recẽs non salitus, potus frigidus vini rubri austeri cum aqua frigida amplius diluti. Cels. Cibus comprimẽs, vinum austerum meracũ, æstate frigidum, hyeme calidum quam minime. Lac extincto ferro, vt totum serũ absumatur. Euacuatio prauorũ per aluũ medicamentis lenientib. vel lacte Cels. per vrinam Archig. mediocriter vrinam cientib. vt renes à prauis expurgentur. At non tutum in inueteratis. Emulsio seminũ communiũ. Refrigeratio renum exterius ex lactuca, vmbilico veneris, lenticula palustri, vnguentũ rosaceum, adiectis aliquando obstupefacientibus, mandragora, papaueri.

Libri Septimi finis.

AN-

ANDREAE CÆSALPINI ARTIS MEDICÆ

LIBER OCTAVVS

De Genitalium morbis.

CAPVT I.

PRÆFATIO.

NVNQVAM satis mirari licet, quantum natura gestiat in iis partibus, quæ ad speciem propagandam datæ sunt, fabricandis & exornandis. Nam in plantis quid pulchrius spectari potest, quam apparatus ad seminis productionem? Quam iucūda est florum venustas fructus præmonstrantium, in quibus semen naturæ thesaurus conditur? Nulla enim res adeo intuentium oculos oblectat, quam colorum pulchritudo, & texturæ artificium, quibus natura plerunque in iis condendis ludit. At illud maxime mirandum in animalibus, quod genitalia tam in maribus, quam in fœminis tanquam turpia, & obscœna abscondit, quasi pudeat ostendere. Nam in brutis, quorum ingressus pronus est, sub cauda & inter coxas latitantia collocauit. In hominibus autem, quibus ob rectam staturam id minus fieri poterat, inditum est, vt arte has partes velent, nec turpe videtur reliquum corpus nudum ferre, modo hæ solæ tegantur. Quin & nominibus propriis eas proferre pudet. Quæ enim apud vulgus recepta sunt vocabula, verecundius loquentibus ne consuetudine quidem placent, sed fœdiora videntur.

Ideo

Ideo si quando necesse sit aut in scientiis, aut medicinæ gratia eas partes meminisse, Latini Græcis nominib. vtuntur, vt Cornelius Celsus testatur. Quod si morbi in iis sedibus contingant, ægri ob verecundiam non audēt patefacere. Idque sæpe in causa est, vt remediis destituti magis ingraueicant & hominem perdant. Quod præcipue mulieribus accidit, sunt enim verecundiores, vt Hip. testatur. Num putandum est, naturam eas partes, quibus officium generationis delegauit, tamquam turpes despexisse. At nequaquam rationi consentaneum est, eas despici, in quibus maximum eius artificium spectatur, diuinæ mentis sapientiam ostendens Creantur enim in vtero tanquam in officina omnes animalis partes, quāquam prope exitum excrementorum, quia materia generationis excrementum quoddam est, in quo calor animalis comprehenditur, proportione respondens elemento stellarum, & cum eo diuina mens in homine, vt tradit Aristot. Nihil igitur turpe, nihil obscœnum in natura, sed vbique etiam in rebus vilissimis diuinum quid continetur. Genitalium porro actionem non paruipendi, sed summopere expeti à natura, argumento est voluptas eximia indita rei venereæ, nulli alii ex corporeis voluptatibus comparanda. Gliscit enim ex ea vniuersum corpus, vt pene langueat præ dulcedine, qua ratione ad prolem gignendam auidius excitantur animalia. Plantæ igitur suam hilaritatem ostendunt in floribus, & fructibus vario modo ornatis. Quoniam vero animalia præter partes genitales alias pulchriores habent, quæ sensibus & motibus inseruiunt, iure has ostentant pulcherrimo artificio fabrefactas, precipue caput & faciem, genitalibus obscuriori loco latitantibus. Neque immerito obscœna appellantur. Cum enim homini vita præstantissima sit ex intellectu, quemadmodum turpe est brutorum animalium more duci à sensu, sic turpius quoq; est more plantarum venereis illecebris detineri. Vt enim quodam tempore mas & fœmina iunguntur prolis

gratia, sic plantæ maris & fœminæ vires habent coniunctas, vt assidue quodammodo coire videantur, teste Aristot. Sed hæc iam egrediuntur institutum nostrum. Proposuimus enim partium genitalium morbos persequi, præcipue mulierum. Nam hæ longe plurib. & grauius laborant, quam viri. Futura est autem hæc tractatio Medicis maxime necessaria. Difficilis profecto, quia à Gale. & recentiorib. minus exculta reperitur, raro aut nunquam in scholis exagitata, nisi per transennam. Neq; ipse hanc prouinciam suscepissem, nisi Hippo. auctorem haberem, qui diligentissime hanc partem excoluit, vnde eruere licet omnia, quæ necessaria sunt ad prænotionem & curationem muliebrium morborum. Inter posteriores auctoritate dignos in hac parte habemus Act. & Aui. qui admodum diligenter de iis tractarunt. Quamuis autem libri, qui nomine Hippocratis de his circumferuntur, non omnes legitimi videantur, interseruntur enim aliquando quædam sententiæ, quæ doctrinæ Hippocraticæ non consentiunt: auctores tamen graues esse ostendit antiquitas, & accurata absq; vllo fuco eorum explicatio, quæ ratione & experimento comperta sunt. Multa de his habentur in aphorismis. Extat præterea liber copiosissimus de natura mulierum, cui tãquam proœmium videtur præponẽdus libellus de virginum morbis: quod n. in illo proponit ante morborum explicationem, prius singulorum naturas cognoscendas esse, exequitur in lib. de natura mulierum, & incipit ab ea sententia, si quid diuinum inest in morbis, quæ facta fuit in libello de virginũ morbis. Non esse autem hunc eiusdem auctoris, qui scripsit de morbo sacro, vt multi putant, quia in eo proponit primum de morbo sacro agendum, patet, quia sententiæ dissentiunt. Sedes enim mentis in hoc libello ponitur in corde, cor enim fatuum fieri scribit. Oppositum in libro de morbo sacro, non in corde sed in cerebro. Extant etiam duo libri de morbis mulierum primus & secundus, & liber de sterilibus, & alter de superfœtatione, in quibus

5. Aph. à 28 vsq; ad 63.

4. Aph. 1.

iidem ferme morbi sæpius repetuntur, vt videantur aut ab eodem auctore in diuersis temporibus conscripti, aut ab aliis transcribentibus collecti.

Sed inter hos lib. primus de Morb. Mul. & de sterilib. ostendit alium esse auctorem ab Hippocrate, quia in constituendis quatuor humoribus, ex quibus corpus constat, ponunt sanguinem, pituitam, bilem, & aquam, aliter quam Hippoc. qui in libro de Natura humana loco aquæ atram bilem numerat. Præterea mulierem calidiorem esse viro, sic & eius sanguinem, quam sententiam refellit Aristotel. Sunt autem quatuor libri, qui ab eodem auctore scripti videntur, liber de genitura, quem sequitur liber de natura pueri, liber de sterilibus, & liber primus de Morbis mulierū, & liber quartus de Morbis. Qui sunt Alcmeonis Crotoniatæ, vt colligitur ex sententia, quæ habetur in libro de natura pueri, pullum in ouo nasci ex luteo, augeri ex albumine, quam Aristot. tribuit Alcmeoni. 4. *Ge. an* 3. 3. *Ge. an* 2.

Quatuor etiam libri de principiis, de diæta, de insomniis, de glandulis, de morbo sacro eiusdem auctoris esse videntur, à Democrito scilicet conscripti, quia quasdam sententias Aristoteles Democrito ascribit, scilicet puerum in vtero labiis sugere, animam esse ipsum calidum, & inspiratione aeris hauriri prudentiam. 2. *Ge. an.* 5. 1. *An.* 20.

CAP. II.

Vteri constitutio, & Affectus.

AD speciem propagandam membra genitalia sunt, distinguentia marem à fœmina. Mari quidem prominentia extra testiculi & genitale, fœminæ autem vtraque intus condita. Vterus proportione respondens genitali, & testiculi testiculis. Exterius autem sedæ mammæ prominent, vt lacte infantem nutriant, quæ & in marib. nothæ tantum gratia reperiuntur. Vterus ad recipiendam maris genituram, & concipiendū fundo constat & cruice, instar vesicæ. Os vteri est ingressus seminis in fū- *De resp.* 10.

dum, prominet glandis modo in ceruicem, cum genituram acceperit, sursum contrahitur. Os ceruicis pudendum vocatur ab Hipp. Desinit in carunculas, veluti colliculos prominentes, quas Nymphas vocant, teguntur la-
1. Mor. Val dif. 2. biis cutaneis instar præputii. Galen. Substantia est mem-
5. 6. 8. branosa, crassa, exterius neruosior, interius venosa magis ex venis, & arteriis. Situs paulo infra renes, crassior & amplior redditur, augescente fœtu. Ceruicis cauitas rugosa, vnde laceratio quædam in coitu virginibus hymenæi appellati. In fundo venarum & arteriarum oscula, vnde menstrua eumpunt, enixis cotyledones apparent vt in polypis. Testes vtrinque cum vasis seminalibus vbi cornua vteri traduntur, nam in brutis vterus bifidus est, veluti desinens in cornua, quasi duo vteri videantur, vnde numero plurali vteri dicuntur: at in mulieribus id non contingit, est enim vnici fundi vnica cauitas. Positus est vterus inter intestinum rectum & vesicam, *quibus nectitur*. Vesicæ collum desinit paulo intra pudendum superiori parte. Membrana vtrinque ad ossa ilii & os sacrum
14. Vsp. 21 firmatur, vnde venas suscipit. Ea laxa est, vt moueri vterus possit, indita appetentia coitus, & voluptas eximia, & in propria seminis emissione, & in virilis receptione. At non in purgatione menstrui. Vtrum vtriusque semina concurrant ad fœtum concipiendum dissentiunt Galen. & Aristot. Negat enim Arist. affirmat Gal. ex libro de na-
1 Ge. an. 19. tura pueri. Sed obstat seminis mulieris emissio extra, &
1. Sem 4. vasa deferentia semen ex testibus ad ceruicem tendentia,
2. Sem. 1. 5. non ad fundum: cum tamen prius ad cornua inserantur, quod antiquiores non vidisse asserit. Mulieris temperamentum frigidum & humidum, eadem mollior, & animi dejecti. Ambiguæ viragines, & viri effæminati, hermaphroditæ.

Morbi mulierum plerunque acuti & magni fiunt, ac
2. Mor. periculosi, intellectu difficiles; quia mulieres verentur narrare præ pudore, nisi cogantur ob vim morbi, quando incurabiles sunt, & Medici negligentiores in perquirendis

dis causis: multum enim differt muliebrium morborũ, ac virorum curatio. Patitur autem vterus morbos in intemperie quacunque, tumores, vlcera, occlusionem, hiatum, procidentiam, distortionem. Vnde varia symptomata aut ipsius vteri, aut totius, aut partium, per se aut per consensum. Vteri symptomata in excretis & retentis menstruorum defectus, aut superfluus fluxus. Circa facultatem concipiendi, sterilitas, prauus cõceptus, vt molæ, aut monstruosus. Circa gestationem, abortus, pariendi difficultas, & quæ partum sequuntur, purgationes vitiosæ aut imperfectæ. Præterea dolores, conuulsiones, vteri strangulatio, errores vteri vocantur. Nam Plato vterum tanquam belluam inuadere ait, quod & Hipp. fateri videtur, inquit enim: Vterus ex loco motus alio alius allabitur, vbi dolores ingentes parit, ad caput, cor, hepar, pedes. Sed hoc esse per consensum afficere, idem testatur, vbi inquit. Fratrationes seu fraternitates, id est, communitates & consensus multa habent cognita valde digna circa contractiones, musculorum figuras, intestina, vniuersum ventrem, vteri errores, & contractiones. Incipiamus autem à defectu menstruorum, hæc enim causa est multorum morborum. Inquit enim Hipp. Si menstrua plura fiant, accidunt morbi, & si non fiant, ex vtero morbi contingunt.

6. lo. aff 5.
2. Morb.
3. Art. 100.
5. Aph 57.

CAP. III.

De retentione Menstruorum.

INcipiunt menstrua secundum naturam in pubertate, quando aptitudo concipiendi adest, quod plerumque circa annum duodecimum contingit, quamuis aliquando tardius. Desinunt autem, cum facultas concipiendi desinit circa septimam annorum septimanam, id est, anno 49. Nam sine eo sanguine, qui multitudine grauans stimulat singulis mensibus ad expellendum, non fit cõceptus. Non stimulat autem postquam conceperint, dum vtero ferunt, neque post partum quamdiu lactant, quoniam

niam sanguis ille tendit in alimentum fœtus & pueri. Quod si menstrua illis temporibus adueniant, fœtū aut infantem lædunt. Si præter hæc tempora deficiant menstrua, præter naturam est, & morbos prænuntiant, aut
1. Mor. mu. sterilitatem. Secundum naturam singulis mensibus exeunt desinente mense, id est, ante nouilunium ob frigidi-
2. Ge. an. 4. tatem. Aristot. Exit autem sanguis apertione osculorum in fundo ad cotyledones, veluti à victima, duarum heminarum mensura ad duos vel tres dies. Longius aut
1. Mor. mu. breuius tempus morbosum aut sterile. Morbosæ quibus vltra quatuor dies, & copiosiora exeunt: nam hæ attenuantur. Steriles, quæ intra tres dies, & exigua exeunt, hæ crassæ, bene coloratæ, viriles. At mensura prædicta hodie ob corporis paruitatem non respondet. Retentionis causa est aut totius corporis natura, aut vitiū seu totius, seu alicuius partis, aut tandem vteri vitium. Aet. Natura corporis calida & sicca, virilis seu ab ortu, seu per *labores* comparata caret menstruis, quia totum sanguinem absumit. Item quæ abundant multa pinguedine, pauci sanguinis sunt, quia tendit in pinguedinem. Et quæ graciles ac valde extenuatæ sunt ex morbo, non habent sanguinem superfluum pro menstruis, siue id contingat vitio totius, siue alicuius partis. Vteri autem vitia impedientia menstruam purgationem, sunt. Os vteri occlusum aut distortum, aut aliqua pars pudendi contracta. Obnoxiæ, quibus os angustum, aut quæ ceruicem habent à pudendo remotam, item quæ coitu non vtuntur & virgines. Mulier enim, quæ non peperit, grauius & citius è mensibus ægrotat, quam quæ peperit, quia coitus & partus omnia aperit. Ex retentione, si in tertio mense non prodierint, iam suffocatio aduenit, febris & horror lumborum dolor. Suppurantur enim, cum à febre fuerint exusti. Si exeat suppuratio ad pudendum, aut ad inguen, aut supra, melius habet, sed sterilis fit. Si in quarto mense adhuc retineantur, dictæ affectiones augentur, maxime in tempore mensium, deinde minus, vt sæpe

à dolo-

à dolore libera videatur. Vrina crassa, venter durus magis quam prius, dentium fremitus, cibi auersatio, vigiliæ. Si curetur, euadet. In quinto mense, si non multi descenderint, dolor fortior accidit. In sexto iam incurabilis est, & iuxta priora magis dolebit. Amplius anxia alias atq; alias iactabit seipsam, animi deliquiũ, vomitus pituitæ, sitis fortis, quia exuritur venter præ copia sanguinis. Dolor ad tactum, maxime ad pectinem, febris, vteri murmuratio. Neque vrina, neque excrementa descendunt. Dolor spinæ, dorsi, tandem ducit ad mortem ex vteri inflammatione, aut materia translata ad partes principes. Aliquando perdurat ad octo menses. Eadem contingunt, si pauciores prodeant sed tardius apparent morbi. Signa. Si lac in mammis habet, quæ neque prægnans est, neque peperit, menstrua defecerunt. Item podagra laboret. Galen. hæc signa affert. Grauitas totius, fastidium, inappetentia, horror inæqualis, os vteri clausum, cum duritie, inclinatio, communicatio doloris ad coxam. Cum longiori tempore, tumores in ilibus, suppurationes, dolor lumborum, colli, sincipitis, ad radices oculorum, febres ardentes, vrinæ nigricantes cum rubra sanie instar aquæ loturæ carnis cum fuligine, aliquando stillicidium, suppressio, oriri ex toto corpore aut vitio aliarum partium, signa partim patent ex dictis, partim sumenda ex earum morbis. Ex vitio autem vteri: si menses occultentur, aut vix exire possint cum dolore, significat os vteri occlusum aut distortum, aut aliquod huiusmodi, quæ etiam tactu dignosci possunt. Prognostica. Menstruis deficientibus, sanguis è naribus, bonum.

5. Aph. 39. 6. Aph 29. 6. lo. af. 5.

2. Mo. mu.

5. Aph. 28.

CAPVT IV.

Curatio retentionis Menstruorum.

SI totum corpus in causa sit, prius illi prospiciendum, quacumque purgatione egeat, postea ad vterum. Si solus vterus, statim eius cura auspicanda est. Vi-

2. Mo. mu.

ragines non tangendæ, neq; quibus vterus cicatricem magnam contraxerit, aut scirrum, aut alias incurabiles affectiones. His conueniunt deriuationes ad alias partes. Huius gratia in libro de superfœtatione inquit: Mulier, quæ facile concipiebat, si prægnans esse desiit, bis per annum à manibus & cruribus venam secare sinat, scil. ne recurrat in partes principes, sed effugiat morbos. In extenuatis prius reficiendæ, & quæ inanitæ sunt, prius replendæ. Si menstrua in alias partes recurrant, vt per sanguinis fluxum è naribus, vomitu, hæmorrhoidibus, suppurationibus, alui fluxu, sudoribus, cum cessauerit fluxus refectis viribus, si non succedant menstrua.

Cucurbitulam retro ad mollitudinē affige, & sanguinem plurimum detrahe pro viribus. In initio autē si vires robustæ, & nihil prohibeat, vena secanda est, nam remedium ad plenitudinem totius, ne recurrat in partem principem, libro de sterilibus ex vtroque brachio. Aet. ex cubito & talo. Gal. In crure, non in cubito: quia in cubito comprimit menstruas purgationes, retrahens ad superiores partes. An in plenitudine totius non tutum est deriuare ad partes vicinas, ne humores crassi impingant magis? bene Paul. Cum præterierit tempus purgationis per decem dies, venam secare & sanguinem extrahere, id est, in cubito, iterum extrahere ex talo, eum in tempore purgationis nihil momentaneum exierit. Gal. anteuertit tribus quatuorve diebus ante circuitum incisa vena cruris, aut scarificatis talis in vno pede paulum extrahendo, postero die iterum repetit in altero, vt menses promoueantur. Vt tamen istis diebus & ante eos quatuor aut quinque extenuantem victum procures, & potiones prouocantes adhibeas ex nepita, pulegio, in melicrato coctis, aut in tenuissimum pollinem insperfis. Tempus commodissimum à balneo statim. Valentiora etiam exhibenda, Sabina dictamum: Grithmum in vino Thedaceo Hippocrat. eodem tempore conuenit purgatio ex hiera. Paul. pro venæ sectione purgat vehementius

De Steril. Vig. m.

San. mi. 18.

San. mi. 19.

tius ex hiera cum colocynthide, nisi febris adsit. Deinde reficit cibis liquidis, oleribus, piscibus saxatilibus, auiculis, lacte. Postea exercitationes inferiorum partium imperat. Vinum absynthite per totum morbi decursum. Si menses non prodeant, iterum purgat post septem dies. Postea rubificatorium adhibet inferiori ventri, lumbis, & feminibus ex sinapi cum pane cocto, aut caricis, & mollientibus. Sed melius Hipp. Pessis mollitoriis, & attractoriis, & suffitibus vtitur, vt ad vterum intra alliciatur sanguis, non auertatur. Sed hæc remedia commodius inferius explicabuntur in morbis vteri. Hic solum proponuntur, quæ sanguinem ad vterum alliciunt. Victus sit non admodum extenuans, ne diffletur, nec valde crassus, ne obstruat, & excretiones impediat. Paulus inquit, lauandum est circa statum menstruale tempus, ac præsumatur potui sesamum, aut capitatum porrum cum pipere & ruta simul incocta. Potio autem ex passo Cretico erit heminæ mensura: hæc enim deambulationibus mẽstrua dimouet. Cibus sit, lolligines, sepiæ, polypodes, & quæ eius sunt generis, & eorum iura, nam sanguinem proprie commouent, & testacea infernæ partes vinculis constringantur tribus aut quatuor diebus. Cum verò instat purgationis tempus, tollatur deligatura, & bibat myrrhæ fabæ magnitudine, aut castorium ex passo. Intempestiuum igitur est, cum non instant menstrua, prouocare, aut potionibus, aut sanguinis missione ex propinquis. Neque nocet venam brachii secare, cum tempus menstruorum distat. Quod si necesse sit ob vim morbi venam secare, instantibus purgationibus, vinculo adhibito ad crura, secare licet in brachio, vt postea soluto vinculo scarificentur tali.

CAP. V.

De Sterilitate.

STerilitas est priuatio potentiæ concipiendi, in quibus & quando est aptitudo secundum naturam. Non an-

te pubertatem, nec in senectute, non in iis, quæ viragines sunt, vt inter viros eunuchi. Traduntur enim ab Hippo. duæ mulieres, quæ cum antea fæcūdæ essent, postea viragines factæ sunt, menstruis deficientibus, quibus nulla ratione menses reuocari potuerunt, vnde non post multum tempus interierunt. In quibus igitur inest concipiēdi potentia, non tamen concipiunt, causa quærēda est, hac enim ablata, fœcunda erit mulier. Vna ex causis est, non recipere genituram viri, altera non continere, tertia illam corrumpere, quarta defectus materiæ. Non recipit vel quia occlusum sit os vteri, aut ceruix, vel compressum, vt contingit in valde pinguibus: comprimitur enim os vteri ab omento. Non recipit etiam, cui os vteri distortum est aut auersum à pudendo. Auertitur autem longius à pudendo Aet. cum mulier non concupiscit, nec amat virum. Cum enim valde concupiscit, os vteri occurrit, & glandem viri amplectitur, etiāsi breuius sit virile membrum, mouetur enim vterus deorsum. Amplius durities receptionem prohibet, nam prohibet motum attractionis. Attrahi enim semen ab vtero testatur Gal. Imbecillitas quoque attractionis est in superfluis purgationibus vteri, ex morbo, & cum nimis hians est aut prolapsus. Non continet autem genituram ob liuorem, aut ex cicatrice magna, aut ob humiditatem, vt contingit in fluxu albo & aquoso, & vbi cotyledones sunt pituita pleni, in his n, est imbecillitas contentiuæ, & in fluxu superfluo & hiatu. Corrumpitur autem genitura à sanguine morboso, ab vlcere purulento. Extinguitur enim calor innatus genituræ à menstruis derelictis incalescentibus aut refrigerantibus extra venas. Deficit materia in defectu menstruorum aut paucitate in iis, quæ multum extenuatæ sunt, imo & pinguiorib. quia excrementum menstruorum tendit in pinguedinem. Videtur tamen Aristoteles concedere aliquas mulieres sine menstrua purgatione concipere. Materia tamen hæc necessaria est. Inquit enim: Quibus mulieribus nihil foras emittitur,

6. Epi. 8.

De Steril.

1. Aph 46.

Nat. mu. 3. fa. na. 13.

Nat. mu. 5. Aph. 45.

5. Aph. 44.

3. Ge. an 18

2. Ge. an. 4.

tur, quoniam non multum excrementi inutilis continetur, ita tantundem quod colligitur in vtero est, quantum iis, quæ foras emittunt, remanet, quod maris facultas cõstituit. Videretur etiã & fœminis mulieris defectus conceptionem tollere, si concurrat ad conceptum constituendum, vt traditur in libro de natura pueri. At nulla fit mentio huius causæ in libro de sterilibus, nec in libris legitimis Hippocratis, quasi non sit necessarium, quod comprobat Arist. Gale. tamen ab Aristotele dissentiens testatur castrari à quibusdam sues fœminas. Reducit autem Hipp. in Aphorismis omnes causas ad 4. intemperies simplices, & 4. compositas, his verbis. Quæcunque frigidos & spissos vteros habent, non concipiunt. Quæcunque præhumidos non concipiunt, extinguitur enim in eis genitura. Quæcunque sicços magis & adurentes, nam ex defectu alimenti corrumpitur semen. Quęcunque vero ex vtrisq; mediocrem habent temperaturam, hæ fœcũdæ sunt. Gal. ex Platone in Theeteto inquit, intemperaturas excedentes infœcundas reddere tum mulieres tum vitos. Et Arist. mulieres corrigi inuicem contrariis; si mulier frigidior coeat cum viro calidiori, fœcundam fore, si cum viro frigidiori, infœcundam, & è conuerso. Idem in altera contrarietate humidi & sicci. Signa sterilitatis mulieris experimento Hippo. Mulierem pannis circumtectam desubter suffias, id est, thure, myrrha aut styrace. Si odor videatur per corpus ire ad nares & os, non est sterilis ex se ipsa. Nititur Gal. ostendere in qualibet intemperie verum esse. Aliud. Netopum modicum lana exceptum subdito, si mane os oleat, concipiet, sin minus, non. Iterum paulo post & de superfœtatione. Post purgationes lauetur, caput tricetur, nihil illinatur, obuoluantur capilli lintęo inodoro. Subdat galbanum remolitum igne, quiescat. Mane eius caput denudatum quis olfaciat, hæc faciat à cibis abstinens. Si redolet, fœcunda reddita est, sterili nunquam olet neq; prægnãti. Idem facit caput allii derasum subditum. Si ex subditis

1. Ge. an. 19
2. Sem. 4
5. Aph. 62.
Ac. aq. & lo. in fine.
4. Ge. an. 2
5. Aph 59.
5. Aph 62. de ster. in prin.

ditis non valde fortibus excitantur dolores articulorum, dentium stridor, vertigo, oscitatio, spes est fertilitatis. Potio anisi triti ex aqua ante somnum, si pruritum facit circa vmbilicum, fœcunda, sin minus, non. Galen. vsitatu
5. Aph. 59. esse huiusmodi experimenta apud Reges & sacerdotes ob successionem, vtrum ex muliere an ex viro infœcunditas contingat. Sed ad certiorem scientiam explorandi affectus mulierum, visu, tactu, interrogatione per interpretem obstetricem propter verecundiam. Quæ ex concubitu non concipiunt, interrogandæ, an menses prode-
1. Mo. Mu. ant, an non? Si prodeant sani arguit duritiem. An purulenti, aut frigidi? Sic cognoscitur, an ex defectu vel prauitate. An statim exeat genitura, an postera die, aut tertia, aut sexta, aut septima? Ex his dignoscuntur vteri affectus. Si prodeant menses secundum naturam, & non concipiant, vitium est in vtero, impedita receptio, quia non attrahitur semen, vel ob duritiem, vel quia auertitur in coitu os vteri. Si exeant morbosi, corrumpitur genitura. Si statim exeat, signum non recipi intra os ob occlusionem aut distortionem, aut auersionem, duritiem, imbecillitatem attractricis. Multa ex his cognoscuntur tactu intromisso digito ab obstetrice, vt occlusio, distortio, dutities, cicatrix, hiatus. Visu cognoscuntur multum extenuatæ & præpingues. Si postridie exeat, aut tertia, vterus præhumectatus est, & semen eluitur. Si sexta, aut septima, semẽ computrescit, & putrefactum exit. Si vltra septimam asseruetur, iam conceptus est, cuius exitus abortus dicitur. Quibus auersio aut occlusio, menses non prodeunt, aut violenter, si morbus coegerit pro more cõuerti. Sed post purgationem auertitur. Quibus os parum distortum, aut recens conclusum, prodeunt quidem menses, sed violenter & paulatim per multos dies. Exeuntia ostendunt sanguinis prauitatem, & pus, & humores. Menstruorum examen fit super duo lintea, vnum nocturnum, alterum diurnum. Siccentur super cinerem obscuro loco, postea lauentur. Macula muccosa ex pituita est,

fulua

fulua & subliuida ex bile, salsugine. Vel siccentur super aream: nam pallidus color in bilios., muccosus in pituitosa. Prognostica. Vitia ab ortu insanabilia, & quæ confirmata sunt, vt scirrus, cicatrix. Idem si factæ sunt vitigines. *1. Mo. Mu. Ster. 6. Ep. 8.*

CAPVT VI.

Curatio sterilitatis.

AVferendæ sterilitatis causæ, scilicet vitia totius, & vteri, deinde remedia adhibenda ad fœcunditatem præstandam. Totius vitia, nimia pinguedo, nimia extenuatio, cacochymia. Hipp. inquit, mulier præter naturam crassa & pinguis, & pituita repleta non concipit hoc tempore: quæ vero ex natura talis est, horum gratia concipit, si non aliud quippiam impediat. Impedit omenti crassitudo comprimens vteri os, defectus materiæ, quia transit in pinguedinem, breuitas virilis membri ob mulieris crassitudinem non pertingens intimius. Aet. Scytharum gens parum fœcunda, ob vitam ociosam, ob pinguedinem & humiditatem. Non continent semen, menstrua diminuta & intempestiua, os vteri concluditur. Oportet igitur attenuare victu extenuante. Venam secare per annum ex manibus & cruribus, si nihil prodit. Purgare deorsum pituitam, ad vterum apponere quod purgat, ac flatum inducit. Pau. & Aet. Flatuosa in victu conuenire, semen gignentia, non siccantia. At obesorum extenuatio apud Galen. fit victu calefaciente & siccante, attenuante, exercitationibus, cursu veloci, inunctionibus digerentibus, balneis naturalibus, non cibus post Balneum, sed somnus aut quies ante cibum, medicamenta vrinam ducentia, theriaca, sinapi coctum, sumat iciuna, & vinum merum superbibat, apponat nitrum rubrum & cuminum, & resinam, cornu cerui vstum cum farina hordei, & vino, obsonia ex Sesamo, & dulciariis, pinguia sint, sic enim pauciss imis saturabuntur (quidam codices legunt, non πίονα, id est, pinguia, sed πλίονα, id est, plura) labor ante

Superf. Ac. aq. 1. Mo. Mu. Ste. 14. Met. 15. 1. Mo. Mu. Sal. dia. 12.

ante cibum, adhuc anhelantibus offerre præpoto vino diluto non admodum frigido, semel in die, sine balneo, stratum durum, nudum, quantum fieri potest, deambulare. Sed multa ex his non probat Gal. Corpora extenuata reficienda sunt cibis incrassantibus. Vino crasso, exercitationes paucæ, frictiones moderatæ, inunctio, picatio, balnea aquæ dulcis post cibum. Ieiuni non laborent, sæpius in die cibum sumant. Lac summo mane primo asininum, postea transferatur ad crassiora. Bonus habitus,
14. Met 16. vt corpus contractum & iusta mole conseruetur, paucis
6. Tu. sa. 8. balneis vtatur, exercitatione multa & lenta. Cacochymũ
Sal. dia. 14. purgatione eget sursum vel deorsum. Sursum si ex bile, si
1. Mu. mu.. distillario à capite, vomitus etiam cum instant menses. Deorsum cum etiam vterus affectus est cũ toto. Præmittendum fomentum, vbi per inferiora tantum, ellebori, scammonium, pephirium. Postea lac asinæ, nam perficit
Superf. purgationem, & corrigit noxam medicamen. Hodie mi-
1. Mo. mu. tioribus vtimur, ad bilem, rhabarbaro, mirabolanis citrinis. Sy. rosaceo solutiuo, electuario rosato. Ad pituitã agaricum, diaphœnicon, mel rosatum solutiuum. Ad melancholicum. sena, polypodium, epithymum, confectio hamech mirabolani, tudi.

Ad totius intemperiem frigidam ex Pau. & Aet. signa.
3. Aph 62. Menstruorum retentio ob angustiam vasorum. Stupor quidam in ventre inferiori, lumbis, & cruribus. Veneris modica appetentia, victus frigidus & crassus. Curatur purgatione pituitæ. Conuenit calfactio totius & vteri, leuiter inflantia Paul. ad dilatandum & incitandum, vinum calidum modice sumptum, eruca, horminum, erysimum, non ruta, nec calamentum, sed castorium, cuminum, amisum, pulegiũ, iuniperi fructus, piper. Quæ menses moueant cum propinqui sunt, olera odorata & acria, scandyx, crithmum, fœniculum, apium, smyrnium. Sed apium Plinio sterilitatem facit. Fomenta & suffitus calefacientes ex decocto saluiæ, artemisiæ, rutæ squinanthi, cyperi, pulegii, seminum odoratorũ, ad regionem

gionem infra vmbilicum spongiis, in sessu & per arundinem intra pudendum. Pessi ex myrrha, ruta, galbano, castorio, exercitationes.

Ad caliditatem, cuius signa. Totum corpus calidius, menses pauci, laboriosi, exulcerantes, salacitas. Refrigerandum victu ex olerib. lactuca, cichorio, acetosa, malua, blito, atriplice, cucurbita, cucumis, pepon, portulaca. Vinum album tenue aquosius, somnus longior, balnea aquæ dulcis. Intra vmbilicum succus solani, vmbilici veneris cum rosaceo ex lana. Cataplasma ex mercuriali lumbis & pectini.

Ad humidam intemperiem, cuius signa, menstrua multa & tenuia, humiditas in coitu victus exsiccans, labores, fricationes superiorum, vomitus. Ablutio vteri ex decocto lentisci, myrthorum, rosarum, rhus, balaustia, rubi teneri ramuli, galla. Purgato prius toto corpore, ne astrictione recurrat humor ad principia, Aetius ad siccum, cuius signa, gracilitas, menses pauci, victus humectans. Compositæ intemperaturæ patent ex simplicibus.

CAP. VII.

Localia remedia ad Vteri occlusionem & distortionem.

AD affectus vteri, prohibentes ingressum seminis, occlusio, si ob membrum fiat ante os, quæ digito discernitur. Subditiū exterens ex flore æris, melle, & resina linteo exceptis, filo appēso, penitissime inditum. Pessum vocat Paul. Postea eluere ex astringēti vino incocto myrtho. Si sola astrictio adsit, ob q̄ menses non prodeunt, indanatur aperientia. Formetur glans ex linteo tenuissimo *Nat. mu.* melle imbuto, & fici succo tincto, & apponatur, deinde amplius intrudatur. Vbi defluxerit aqua, abluatur ex vino & oleo, & cū viro dormiat, præsūpto pulegio in vino cedrato. Aliud ex resina, melle, cumino, nitro rubro. Si adsit durities,

durites, nam aliquando grossum æmulatur, & digitum non admittit. Post totius purgationem deorsum lauetur mulsa calida, & apponantur emollientia, ex pinguedine anatis, oleo amygdalarum dulcium, butyro, postea specillum intromittatur, vel digitus, & calidam asperge. Cum fuerit emollitum, apponantur, quæ sanguinem purgant. Quam diu durum est os vteri, nihil acre indatur, ne exulceret, nam penitus steriles fiunt. Crithmi cortex in vino bibendus, vt sanguis per vterum feratur. Si asperitas adiuncta veluti arena, post emollitionem & apertionem, exterere oportet ex cyclamino, sale, ficu cruda, melle formata glande, deinde fomento adhibito purgatoria infundere. Edat mercurialem & brassicas, & ius sorbeat, lauetur aqua calida. Fomentum per arundinem transmisso fumo in vterum ex vino iucundissimo aqua temperato, incocto fœniculi semine, & radice, & adiecto oleo rosaceo. Purgatorium molliens ex caricis decoctis abiectis granulis cum rosaceo. Aliud Medulla bouis, aut cerui, pinguedo anseris magnitudine fabæ, affuso rosaceo & lacte muliebri, quò illinatur os.

2. Mo. mu. 6. lo. af. 5. 8. Mo. mu. Ad distorsionem directio. Distorsionis causa est, vteri tensio ob plenitudinem non erumpentibus menstruis, nunc æqualiter, nunc inæqualiter, nunc sursum, nunc deorsum, ad dextra, ad sinistra, ante, retro. Quibuscunq; vterus ad coxendicem, si non breui discedat, & rursum in suum locum redeat, resiccatur ad coxendicem, & necessarium est osculum auersum esse, & in supernis detineri. Cum auersum est, concluſum esse, vnde & durum fieri ob tensionem. Conueniunt igitur relaxantia, vt os contractum conuertatur inferius. Purgato toto corpore, si inde morbus pendeat, vterum fouere fumigio per arundinem diutius, ex allio contuso in aqua & oleo Phocæ, id est, vituli marini. Post fomentum lauetur toto corpore, & magis insideat lumbis, & infra vmbilicum, duobus diebus, si ferat, sin, intermittatur dies. Hoc fomento inflatur vterus & dirigitur, sed os magis auertitur, forte ob insuauitatem.

Postea

Postea per quinq; dies aut plures, singulis diebus, si ferre possit, fomentum simili modo ex radice fœniculi in aqua, deinde lauetur, quo paulatim os conuertatur, & propinquissime adducatur. Tunc imponantur subditia ex thæda pinguissima illita ex oleo amygdalarũ dulcium. Eius longitudo sit sex digitorum, indicis crassitudine gracilior, assidue ad extremũ, fiant alia minora. Indatur paulatim pars tenuior, & conseruetur, ne excidat. Singulis diebus penitius intromitttatur, donec intra os penetret quatuor digitis. Cum vnum eximitur, statim alterum indatur, antequam conniueat. Postea ex plumbo parentur fistulæ eadem figura & magnitudine, qua thædæ, vt per fistulam egrediantur purgamenta, expleantur fistulæ adipe ouillo, & indantur confestim post thædam. Si plumbum mordeat, reuertatur ad thædam, & iterum plumbum intromittatur aqua refrigeratum. Saltem noctu plumbea teneatur. Postea purgantibus vtatur ex resina magnitudine oliuæ subdita oleo rosaceo tincta. Nũc mollitoriis vtatur ex pinguedine & oleo, si inflammatio adsit, ante & post subditia, & lauetur aqua calida. Si nõ succedat apertio, iterum reuertatur ad suffimenta.

CAP. VIII.

Remedia ad hiantem Vterum & superfluam purgationem, & vlcera.

CVm vterus magis hiat, quam oportet, menses plures fiunt, & deteriores, & humidiores, vnde imbecillitas oritur, genituram non attrahit, nec continet. Corripit hic morbus à fluxu sanguinis, & cum menses suppressi derepente eruperint, vel si quid in muliere fusum fuerit, & corruptum computruerit. Aliquando ex partu, aliquando aliter. Ad putredinem sequitur febris & rigor, & dolor ad imum ventrem, & lumbos, & laterum mollitudinem, morbus lethalis. Si diutius protraxerit, prolabitur vterus. Huic, cum dolor maxime habuerit, tepefa- *Nat. mu. 2. Mo. mu.*

ctoria apponito, & cum remiserit, vterum foueto, & pharmacon infra purgans bibendum dato, alibi inquir, supra ad reuellendum. Et quæ non mordeant, subdito, & post subdititia purgatoria, cum acerbis colluito, & quam minimum lauato, cibis vtatur siccissimis. Si ab his non sanatur, pharmacum bibat, quod sursum & deorsum purget, deinde ad victum siccantem redeat, astringentia ex decocto myrthi, aut rubi, oleæ, rosarum, florum labruscæ, foliorum vitis in aqua. Partes circa vmbilicum cum spongiis fouendæ, insessus in frigida & ablutio. Suffimenta siccantia, graueolentia, ad nares autem beneolentia, suffitus astringentes ex galla, bitumine, pice, oleæ folia sicca, & oleo subacta super carbones. Optimum auxilium sitis, frequens vomitus, abstinentia Balneorum. Eadem remedia ad liuorem ex humiditate. Victus ex marinis magis, ex polypo, abstinere à pinguib. Aluus reddatur lubrica, ne egeat conatu, quo vterus prolabitur, ex Mercuriali. Si oriantur vlcera, vt contingit ex tenuib. & sanioſis humorib. aliquando ex abortu, vnde purulenta & compacta exeunt, cito curanda. Nam si negligantur, cito augescunt, & putrescunt, quia in tenero loco. Si inflammentur, multa graueolentia & purulenta exeunt, velut aqua de carnibus, febris & dolor ingens aliquando ad scapulas pertingens. Prohibere oportet inflammationem, repurgare, explere, ducere ad cicatricem. Aqua in potu, vinum minime, cibus paucus. Lac asininum coctum ad mitigãdam mordacitatem, superbibere aquam, si dolor capitis adsit. Caprinum ad astringendum, bubalum ad replendum, serum coctum ad purgandum post medicamenta purgantia. Vterum colluere ad pus abstergendum ex grossis, ex fæce vini combusta, brassicæ decocto, butyro ad mitigandum, malicorio ad cicatricem, rosarum flore. Arida, lithargyrus, squama æris, æruginis, thus, myrrha, crocum, myrthilli, labruscæ flos, galla, alumen combustum, coquantur contrita in vino dulci diluto ad mellis crassitiem, quo bis in die illinantur,

1. Mo. mu.

prius

prius abluta ex aqua tepida incocta saluia, hedera. Mitigatorium morsus, cato bubula pinguedine illita intromissa, additis pulueribus siccantibus variis. 1. Mo. mu.

Ad vlcus inflammatum, myrrha, adeps anserinus, cera alba, thus, pili leporis, qui sub ventre ex lana mollissima. Aliud. Myrthi baccas in vino coctas ad colluendum, & melilotum apponat. Mali punici dulcis putamina in vino coquito, in quo dilue myrrham & resinam, & linteum intinctum impone. Ad callum ex vlcere relictum, qui tactu discernitur durus, eximendus pennis minutissimis in fasciculum deligatis rosacco illitis, sursum & deorsum sæpius moto specillo, donec prominet, tunc volsella placide extrahatur. Porro cum prædicti affectus supra os vteri fuerint, inanis est omnis labor fœcunditatis gratia, redduntur enim penitus steriles. Sed si in ceruice fuerint, nisi auferantur, impediunt conceptionem. Nat. mu. 2. Mo. mu. Ste.

CAP. IX.

Remedia ad conceptum præstandum.

ABlatis vteri impedimentis ad conceptum præstandum præparationes requiruntur tum in viro, tum in muliere, & tempora oportuna. Vterus sit mundus, at non vehementer astrictus, ne vasa obcæcata genituram non apprehendant, sit quidem siccus at non densus, sed mollis. Nam medicamenta vehementius siccantia, quæ aliquando ad sistendos fluores muliebres adhibentur in potu, aut suffumigiis, vt rubigo ferri, apud Dios. cõceptũ adimit. Idem fere facit scoriæ ignitæ extinctio in suffitu, quãuis imbecillius, aut similia medicamenta in pessis adhibita. Aet. Conueniunt igitur post purgationem totius & vteri modice siccantia, abstergentia, & emolliẽtia, qualis est cedria cũ adipe bubulo impesso, suffitus ex baccis ac foliis viridibus lauri contusis, thure, myrrha, artemisia, aniso, adipe & cera simul contusis, castorio, asinino stercore, allio, styrace, adipe suillo. Nam his os vteri conuertitur, & hiat. Mollientia, pinguedines, sæuum Superf.

caprinum, galbanum, semen lini, melanthium cum adipe anserino linteo exceptum subditum. Pulegium siccum in linteo subditum, & in potu. In calidioribus autem lac, succus mali punici dulcis cum resina & melle subditus.

1. Mo. mu. Nat. mu. Mādragoræ radix, succus mandragoræ & cucumeris syluestris cum lacte muliebri, subdititium efficax. Si mulier diu non concepit, mensibus apparentibus tertia aut quarta die alumen tritum vnguento dilutum lana exceptum apponito per tres dies. Postea fel bouis derasum oleo subactum, linteo exceptum apponito per tres dies. Sequenti die cū viro coeat, hoc enim præcedit astrictio, ne semen eluatur, sequitur apertio vt suscipiat. Assumat in cibo & potu quæ magis expetit. Tempus oportunum

Superf. est vernum. Mulier ieiuna, vir non sit ebrius, neque vinum album bibat, sed quod fortissimum est ac meracissimum, itemque edulia fortissima, non lauet calida, robustus sit, & sanus, abstineat à cibis non conferentibus ad rem.

1. Mo. mu. Virum adire post adhibitam curationem, desinentibus aut inchoantibus mensibus, optimum autem est vbi quieuerint: dies enim hi oportunissimi ad conceptum. Quod si non successerit, reliquis bene habentibus, nihil prohibet in aliis diebus coire. Nam exercitatione alacriores fiunt, & venulæ magis laxantur. Additur in libro de superfœtatione. Si matrem generare voluerit, mensibus desinentibus aut defectis misceatur, & quam maxime impellat, donec emittat semen, obliget autem testiculū sinistrum. Ad femellam autem cum plurimi menses prodierint, dum adhuc eunt, & obliget testiculum dextrum.

4. Ge. an. 1. Sed hanc sententiam reprobat Aristot. quam tribuit Leophani. Præterea Auic. testatur, leprosos nasci, si menstruata coeat. Vt autem auidius vterus semen suscipiat, aiunt zibettum glandi illitum in coitu voluptatem mulieri adaugere, vnde alacrius semen admittit.

CAP

CAP. X.

De signis conceptus, & regimine.

SIgnum concepisse non fluxisse genituram vsque ad septimam diem. Nam in septem diebus genitura habet, quæcunque corpus habere debet, lib. de principiis. Sed oppositum videtur in lib. de natura pueri. Die sexta reperta est genitura à muliere per saltum excluſa instar albuminis oui tenui pellicula incluſi. Præterea masculum in 30. diebus perfici, fœminam in 42. An testatur Aristot. prius fieri veluti delineationem, postea perfici? Delineationem quandam vidisse testatur in die sexta auctor libri de natura pueri. *2. Ge. an. 4*

Idem testatur Hippocrat. si genitura exeat post septimam diem, abortum esse. Alterum signum est, si tempore solito cessent purgationes, neq; febris superueniat, neque rigor, & fastidia incidant, iudica in vtero habere. Galen. fastidia fieri ob læsionem oris ventriculi vt in pica: contingere possunt propter vitiosos humores in toto corpore, at tunc febris & horror aderit, non signum est concepisse. Si non ex alio cognoscas ex hoc. * Oculi distracti, cauiores, eorum candidum liuidius apparet. Maculam solarem in vultu habent, vinum odio habent, & cibos auersantur, morsus cordis, & frequenter saliuam expuunt. Experimentum. Aquam mulsam dormituræ da, si alui tormina patitur, concepit, si non, non concepit. Aliud. Mel & anisum tenuissime tritum ex aqua bibat, & superdormiat. Si tormen circa vmbilicum, prægnans est, alioqui nequaquam. Ex subditiis non valde fortib. dolores in articulis, stridor dentium, distentio membrorum & oscitatio, concepisse spes est. Mamma maior est qua parte fœtus existit, oculus quoq; maior & splendidior. Fœtus maris in dextris magis, fœminæ in sinistris. Quæ marem concepit, bene colorata est, quæ fœminam male. Quæ maculam solarem in facie habet, fœminam. 42. Papillæ sursum conuersæ masculum, deorsum fœminā. *1. Mo. mu.* *5. Aph. 61.* *5. Aph. 41.* *Superf.* *5. Aph. 48.* *Ster.*

Lac super folia emulctum, si condensetur, mas, si diffundatur, fœmina. Aet. Cum genituram acceperit, horror quidam & moderatus dolor circa pubem & vmbilicum. Os vteri sine duritie occluditur, & sursum progreditur, siccum, languet venus. Menses consueto tempore nō apparent Venæ pectoris virent, & mammæ intumescunt, & in progressu lac colligunt. Lac tertio vel quarto mense aduenit, cū fœtus moueri incipit. Circa secundū mensem falsa & acida appetunt præter consuetudinem. Aduenire solet pica à secundo ad tertiū mensem in quibusdam, aliquando vsq; ad quartum. Incipit vrplurimū circa 40. & nausea & vomitus. Vrina ignita, rubens. Ad fœtum conseruandum, victus ratio sola, si quid non contigerit præter naturam. Cum concepisse cognouerit, abstineat à venere saltem vltrā nouem dies. Quæ abstinet à coitu, facilius in partu liberabitur, frequens coitus impedit conceptum, aliquando superfœtat. Si non exierit genitura, tenuis victus conuenit, per sex dies, melius per septē. Motus vitet, non lauet per omne tempus, deambulatio in loco plano & leui, Desideat super mollia. Deinde vsq; ad dies 30. moderato victu vtatur ex pane, carnibus palumbæ & similibus, aut marinis iis, quæ aluum sistant, a lis potius, abstineat ab oleribus, caput non madefaciat. Postea transeat ad consueta post primam quatragenariam, in qua magis periculum est abortus. Si contigerit aliquid præter naturam, mulierem vtero gerentem capi aliquo morbo acuto, lethale. Nam si cum febre, perit fœtus vi febris, aut inedia. Quod si crebrius nutriamus, matrem occidemus victu intempestiuo. Gal. Idem in cæteris acutis sine febre. Quæcunq; vtero gerentes à febrib. corripiuntur, & fortiter calefiunt sine occasione manifesta, difficulter pariunt, aut ex abortu periclitātur. Gal. quia grauidæ non ferunt remedia valida, & victum exquisitū. Si perdurent praui humores vsque ad partum, difficulter parit, & valetudinarium. Ad bonum autem partū requiritur virtus valida vtriusque. Si grauidæ vterus patitur

Nat. pu. 1. Sy. ca. 7.

Superf. 2. Mor. mu.

Sept par.

5. Aph. 30. 55.

crysi-

erysipelas, lethale. Remedia magna sunt, venæ sectio, purgatio, inedia, aquæ frigidæ potus, vstio, vehementer alterantia. Venæ sectio. Sanguine missō ex vena, abortit, & magis, si fœtus sit maior, Gal. ob defectum alimenti. Minus periculosum per cucurbitulas, aut hirudines ex locis distantib. ab vtero. Tutius in principio & ante quartū mensem. Purgatio. Grauitas purgare turgente materia à quarto mense vsq; ad 7. minus has. Recentiores & seniores vereri oportet. Gal. quia fœtus vt fructus nouellus & maturus à quocunque motu abscedit. Sed purgantia valida non solum motu, sed & qualitate venenosa corrumpunt fœtum. Eligenda igitur mitiora, & quæ astrictionem participant. Syru. rosatus solutiuus tamarindi, rhabarbarum, mirabolani. Paul. Rhaponticum grauidis tum ante cibum, tum post exhibet. Si aluus plurimum profluat, periculum est ne abortiat, Gale, ob defectum alimenti melius per superiora, ex aqua tepida aut decocto anethi, non clysteres. Victus tenuis in primis mensibus nō periculosus, cum fœtus modico eget, imo iuuat ad continendum fœtum. In prima septimana exquisitus, non solus potus, sed sorbitiones validiores. Aquæ frigidæ potus non gelidæ, nec in magna copia, ne extinguatur fœtus. Si lauare opus sit, pauca & non valde calida lauetur. Non inustiones, & quæcunque horrorem incutiant, aut motum quemcunque vehementem, præsertim intra vmbilicum & crura. Non opiata, nec vehementer alterantia, quia corrumpunt fœtum. Si ex remedio aut vi morbi abortus contingat, adhuc grauius laborat mulier. Nam accessio fit alterius morbi ex vteri hiatu, aut inflammatione. Minus si partus sit naturalis, quia minus laceratur vterus. Inquit Hippocr. Abortus grauiores sunt, quam partus, quia sine violentia non fiunt, aut ex pharmaco, aut potu, aut cibo, aut subdititiis medicamentis, aut aliqua alia re. In his periculum, ne vterus exulceretur, aut inflammetur, quod periculosum. Aberrant igitur, qui dedita opera tamquam remedium abortum parant. Si

5. Aph. 43.
5. Aph 31.
4. Aph. 1.
5. Aph. 29.
1. Mor. mu.

prægnanti menstrua fluant singulis mensibus, tenuis redditur, & debilis, aliquando febris corripit, pallida, licet pauci exeant. Fœtus quoq; tenuis ac debilis redditur. Si purgationes eant, impossibile est, fœtum esse sanum.

3. Aph. 60. Gal. inquit, si paucus semel aut bis excernatur, repertum est, fœtum non pati. Sed si pari quantitate, & singulis mensibus exeat, impossibile fœtum sanum esse, nō enim attrahit. Exire autem in his non ex fundo, sed ex cervice.

1. Mo. mu. Si curetur, melior euadit fœtus & mulier. Si non curetur, fœtus corrumpitur, & ipsa quoq; periclitatur, ne morbus fiat diuturnus & ex aborta, ne vterus magis hiet. Remedia requiruntur astringentia & repellentia. Stercus asininum siccum, & rubricam, & sepiæ testam terito, & linteo illigata apponito. Aut pæoniæ semina nigra in vino diluta bibenda dato. Dioscorides laudat rubra. Si inter coeundum imus venter dolet, & sanguis recens exeat, lini semen tusum & muscum mollem, & adipem anserinum mixta, & molli lana excepta apponito, nam mollit, concoquit, & exsiccat. Abstineat à coitu. Si prægnanti distillatio à capite in ventrem fiat, febris debilis corripit. Palpitationes quibusdam debiles, quæ redduntur acutæ, cibi fastidium, impotentia. Periculum est ne fœtus corrumpatur. Ipsa quoque in periculum adducitur, si non curetur. Vbi effugerit, nempe fluido ventre, statim constringere oportet. Nos commode euacuabimus ex rhabarbaro in substantia sumpto. Deinde astringentibus vtemur, saccaro rosaceo, diacitonio, bolo armeno. Si dolor in ventre aut lumbis fuerit, formidare oportet, ne abruptis pelliculis fœtus deijciatur. Mitigandus fomentis ex aqua calida incocto chamæmelo, anetho, clysteribus mollibus, purgatione leni, si opus sit.

Si contingat vteri suffocatio, quod maxime fit, vbi mulier laborauerit, & cibum fastidit, vtero calfacto, & pauciore humore fœtui accedente, vnde commotio ad hepar & præcordia, vel cū à capite distillatio in thoracē fit, vnde respiratio tollitur, satis est motum sedare assum-

pto

pro cibo, qui celeriter ad vterum feratur. Vinum cum modico panis tosti. Nam reliqua remedia grauidis non conueniunt. Ad cibi fastidium & picam vomitus ex aqua tepida, Paul. & Aet. Cibi varii, & varie conditi. Lambere amilum pro terra, ventriculum roborare astringentibus.

CAP. II.

De Conceptu falso.

VIdentur aliquando mulieres concepisse, cum vterus intumescit, & menses deficiunt, aut ex morbo, aut ex concubitu, vnde conceptus deprauatus fiat, quæ mola appellatur. Ex morbo in hydrope vteri, in quo menses pauciores ac deteriores fiunt, deinde repente deficiunt, & venter intumescit, & mammæ siccæ fiunt, & reliqua male habent, & in ventre sibi habere videtur. Deprehenditur autem ex aqua laborare etiam tactu. Nam os vteri gracile, calidum, humectum, in processu dolor circa imum ventrem, lumbos, & laterum mollitudinem. Fit maxime ex abortu, fit & ex aliis causis, ex inflammatione. Augescit aliquando vsq; ad decimum mensem, tunc venter aqua impletur, & vmbilicus eminet, & pedes intumescunt, clauiculæ attenuantur. Contingit in hoc morbo vtero gestare per duos menses aut paulo amplius, sed fœtus corrumpitur à multa aqua, ex abortu autem effusa multa aqua plerunque moritur. Rigor aliquando & febris corripit. Ex flatu, cum ex ventre flatum acceperit, eleuatur, & intumescit mensibus non prodeuntibus, ex sanguine non erumpente ob clausionem, crassitiem, viscositatem, dolet in coitu, grauitas. Venter prominet. Desideriis similiter afficitur, vt prægnantium. Dolor stomachi præcipue post dies 30. alias atque alias in ventre circa vmbilicum, collum, inguina, lumbos. Aliquando post duos vel tres menses menstrua erumpunt in pudendum aceruatim veluti carnea ex corruptione fœtus. Quibusdam alterius. Aliquando ad sex menses erupunt

Nat. mu.

1. Mo. mu. Na. pu.

1. Mo mu.

suppurata supra inguen. Iterum Hipp. vbi vterus con-
2. Mo. mu. clusus fuerit, vt menses sursum ad mammas, & ad pectus
secedant, & imus venter attollitur, inexpertæ putant in
ventre habere. Vsque ad 7. & 8. menses venter pro ratione
crescit, & pectora eleuantur, & lac innasci videtur.
Post id tempus mammæ gracilescunt & venter, & lac
euanescit, quo tempore se parituram sperabat, venter
euanescit, & concidit. His contingentibus vterus modi-
co tempore fortiter contrahitur, & osculum reperire
non datur, præ contractione & siccatione. In mammis
autem tubercula fiunt dura partim maiora, partim mi-
nora, non suppurantur, sed semper duriora, vnde cancri
2. Mo. mu. occulti, & alia grauia symptomata superueniunt, vnde
Ster. & pereant, nisi cito curentur. Mola conceptus est deprau-
1. Mo. mu. tus à crassa genitura intus retenta. Fit cum multa men-
strua modicum & morbosum semen conceperint, vnde
fœtus non rectus & venter plenus est, vt prægnantis. Sed
nihil in ventre mouetur, neq; lac in mammis fit, licet sint
turgidæ. Nam in fœtu naturali mouetur tertio mense
in masculis, quarto in fœminis. Eodem tempore lac gi-
gnitur in mamis. Perdurat mola ad duos annos & tres. Si
vnica caro est, incurabilis est, sed perit cum in ingentem
molem excreuerit. Si plures, erumpit p pudendum sangui-
nis multus & carnosus. Si id modice fiat, seruatur, sin, ex
4. Ge. an. 7 fluxu moritur. Aristprodit, molam fieri, cum pro coctio-
ne inquinatio fit ob imbecillitatem caloris & multitudi-
nem menstrui. Durasse aliquando annos quatuor, & ab-
ortu dysenteria peperisse carnem adeo duram, vt ferro
transigi non posset ac periclitatã, comitari aliquãdo per
totam vitam. Raro contingere & solis mulierib. Auic. in-
quit, existimari duplicẽ esse causam, quarũ vna est mul-
titudo materierum effusarũ ad vterum cum vehemẽtia
caliditatis, altera apprehensio aquæ mulieris in coitu. An
semen præter naturam humectatum non retinet figuras
eorum, quæ coagulantur, ideo fœtus informis fit? quod
autẽ præter naturam crassum ineſt non separatur à par-
tibus

tibus coagulatis, sed simul cum partibus concrescit, vnde durities. Paul. & Aet. Tumorem induratum instar lapidis interim in ostiolo, interim per totum vterum. Vnde in progressu tendit in hydropem. Fieri ex inflammatione, aut ex vlcere, cui supercreuerit caro, Quidam, inquit Paul. molam asserunt carnem informem vteri tunicis adhærentem, edi in lucem fœtus modo. Ras. & Aui. vnde posteriores acceperunt. Molam vocant omnem affectū similem prægnanti, flatuosam, aquosam, humorosam, carnosam. Sed molam vere dictam esse carnem informē quæ & mouetur alio modo quam fœtus naturalis. Ras. mouetur inquit, cum duriter tangitur,

CAP. XII.

Curatio ad Vteri Hydropem.

PRius dolores mitigandi, calida lauare oportet, & te- *Nat. mu.*
pefactoria adhibere, donec sedetur. Postea pharmacum purgans deorsum bibendum, scilicet ex iis quæ trahunt aquas, vt in hydrope dictum est. Post purgationem fomentum ex stercore bubulo. Vltimo subditicia, quæ vterum expurgant, & menses eliciunt, vt tandem cum viro dormiat. Nam si peperit, sana redditur. Eadem fer- *1. Mo. mu.*
me repetunturalibi. Post purgationem perseuerandum in medicamentis subdititiis. Bibat corticem Crithmi alternis diebus. Pæoniæ grana nigra quinq;, sambuci fructum in vino ieiuna, mercurialem quam plurimam edat, & allium crudum, & coctum. Ad somnum vtatur mollibus & multa potione, obsoniis marinis potius quā carnibus. Si interim conceperit & pepererit, cum puerperii purgamentis subpurgātur etiam quæ prius ineranr, Sed si multum tempus processerit hydrops, & in ventre habuerit, corrumpit, & eiicit, & cum fœtu aqua effunditur, & mulier plerunque moritur, Sanguis autem corrumpitur, & aquosus redditur. Huic lac bibendum dato, & papauer album potandum, donec fœtus moueri poterit. Nam ante hoc tempus vtplurimum abortit. Si febris superue-

peruenerit, aut aliquis æstus in ventriculo, & sitierit vehementer, ex potu aquæ splen attollitur, vnde venter & crura aqua implentur. Ideo continere oportet. Iterum alibi inquit: Cum sic habuerit, pharmacum infra pur-
2. Mo. mu. gans bibat, subditiijs vtatur, & fomentis odoratis. Per diem penicillis plumbeis vtatur, prius aqua calida non mordente colluatur. Post appositionem colluat ex decocto Cneστri, id est Timæleæ, in aqua admixto oleo narcissino, aut anethino. Si permanserit, iterum pharmaca bibat ad aquam purgandam, cibis vtatur panibus & oleribus elixis, & marinis potius quam carnibus, aut extremis partibus coctis flaccidis. A pinguibus & dulcibus abstineat. Victus frigidus & glutinosus ad hydropem, quia aqua tenuis à calido fit, quod Celsus notauit in hydrope. Laboret plurimum ante & post cibum, non lauet frigida. Adiantum bibat in vino diluto ieiuna diebus inter purgationes. Subdititia aquam purgantia. Cyclamen in linteolo, cuminum, vua passa alba, vrticæ semen, ari radix. Cantharides modico tempore & per longa intervalla cũ cupressi succo ex aqua efficax. Vnguentum narcissinum,
2 Mo. mu. cuminum quod editur, myrrha, thus, absinthium, cyperum, vnguentum rosaceum cum puluere ex lino dum pectitur decusso, subdatur per totam noctem, lauet, & aqua odorata perluat. Aliud ex myrrha, sale, cumino, felle tauri, melle.

Si flatus in vtero sit, ardorem facit, & præardore in-
2. Mo. mu. tumescit, & dolet, qua flatus exit, stridet, mordet, tota intumescit, febris oritur, & ardor. Præ dolore exilit valde, virum non admittit, erigi non potest, neque dirigi. Onus graue in vtero iacet, capitis dolor, anxietas, loqui nõ potest. Cũ dolor exacerbatur, clamat, & dolet omnia, lumbos, pubem, & sedem. Vrina supprimitur, venter suffocatur, mori cupit, & præcordia distenduntur, stomachus mordet, os amarum, vomit acida & pura, frequenter ructat, & melius habet, sin minus, intumescit, & si tetigeris, renititur, & dolet. Contingunt hæc, quia ventus in vtero est & genitura.

Desi

Desideat in oleo calido iniectis, aromatis, iunci flore, aut in aqua lauri, aut marina. Optimum prius ventrem purgare molli clysteri, aut glande ex lana illota cum melle, aut efficacius cæpa in oleum & mel tincta. Vterum colluere ex aqua mulsa aut aceto mulso & oleo. Subdititia & potiones. Aromata omnia & vnguenta odorata, laurus, myrrhus, saluia, cedri, & cupressi ramenta contusa & cribrata inspergantur in vino odorato, & oleo rosaceo infundantur. Folia lini & semen trita, & lana excepta appone. Efficacius vnguentum irinum, crocum, lini folia, adeps gallinaceus, lac muliebre, excipiantur rasura linteoli. Potio. Saluia, cyperus, tusa noctu madefiant, mane cremor excolitur, tritici farina adiecta & aceto & laserpitio fabæ magnitudine modice coctis. Cuminum & anisum sumere. Hodie in vsu diacyminum. Si inueterauerit, deficientibus menstruis præmittenda venæ sectio, aut purgatio.

CAPVT XIII.

Remedia ad Molam carnosam.

INquit Hippocr. Hanc maxime quidem ne curato, aut certe cū prædictione, quia ante quartum mensem nō cognoscitur, sine lacte, & sine motu. In progressu indurat, & cum nunquam matureſcat, coalescit. Primum totum corpus foueto, deinde per sedem clysterem adhibeto, quo purgetur. Muliere enim a pharmaco calefacta fortasse commouebitur quod conceptum est, vt videatur fœtus. Amplius vterum colluito, vt sanguinem educas, siu minus, subdititiis vtatur ex Bupresti. Bibat dictamum Creticum in vino, aut castorium, cucurbitam retro ad laterum mollitudinem affigito, & plurimum sanguinem detrahito pro virium robore, nam aufert nutrimentum. Item thimbram tritam in aceto & aquā bibendam dato, aut hioscyami semen tritum. Vterum colluito cum muria ac laserpitio & aceto, aut cum aqua. Optimum infundere aquam mulsam cum aqua lentium, aut erui, aut *Ster.* *2. Mo. mu.*

flore

flore violæ, id est leucoii. Si purgationes exeant tãquam exustæ, myrthum coquito & perluito. Et apponito myrrham & netopum, id est, oleum amygdalarum dulcium cum lana. Rasi. pilulas fœtidas sæpius exhibet. Decoctum
2. Mo. mu. de seminibus, oleum de cherua, trochiscos de myrrha. Indit pessaria educentia fœtum, præcipue ex ruta & mentastro. Ad tumorem scirrosum uteri, qui videtur veluti lapis tangenti, os apertum multis radicibus præditum digitum non admittit. Superuenit febris circumrefrigerans, fremitus, dolor in imum ventrem, & laterum mollitudinem, & lumbos, cum scilicet menses computruerint, aliquando ex partu & frigore, aut praua victus ratione. Huic medicamenta purgantia danda sunt. Lauare multa aqua calida, item oleo, & fomentum adhibere, qua parte dolor fuerit. Cũ recens lota fuerit aut fora, immisso specillo, os uteri dilatare, aut digito, iterum fouere diuturne cum decocto cucumeris syl. Deinde mollitoria apponere, quæ tribus diebus adhibeantur. Cum os molle apparuerit, intromittendus penicillus ex lino crudo longitudine quinque digitorum, non crassior paruo digito, incipiendo à tenuiori, illitus adipe anserino. Postea adhibito fomento odorato suffito glans mollitoria indatur, aut nitrum superillitum ne exulceret, non enim mordeat. Teneat p duos dies, decedet ex hoc veluti cortex & pellicula crassa. Intermissis vero tribus diebus, cyclaminum cum narcissino subdito. Si hæc non purgatint, cum multa consideratione apponito id, quod cum bupresti paratur, & cum fortiter momorderit, glandem extrahat, & pudendum colluat cum aqua calida, & in oleo insideat. Postridie adhibeat adipem eeruinum cum lana. Si adhuc purgatione egeat, fiat per mollitoria post tres dies, ex narcissino primum, deinde nepoto. Iterum odoratis colluito & pinguibus. Postridie pulegium indito per vnum diem, postridie foue cum aromatis. Vtatur cibis acribus marinis, aut carnibus, & in mensibus castorium sumat. Paulus & Actius molam esse tumorem

morem induratum aut ex inflammatione, aut ex vlcere, cum supercreuerit caro. Insequitur grauitas deorsum trahens, gracilitas, color vitiatus, inappetentia, solet in hydropem conuerti, licet incurabilis putetur, non negligenda remedia, cataplasmata laxantia, fomenta, pessi mollitorii, non acres, insessiones. Cerata ex althæa, oleo cyprino, caricis, pinguedine, cucurbitulæ cum scarificatione, dropaces, rubificatoria, at hæc non probat Hippo. Suffitus aquæ marinæ vel muriæ incoctis lauri baccis, pulegio, saluia, artemisia, & aliis digerentibus. His remediis sæpe plurima copia egreditur sanguinis grumosi & atri, vnde affectio dissoluitur, sed periculum de nimio fluxu Hippoc. Philosophus quidam vsus est in vxore vino generoso incocta ruta & anetho, potu continuo calido, vnde excreuit sanguinis copiam.

CAP. XIV.

Abortus causæ & signa.

ABortus est fœtus deperditio, id est, imperfecti fœtus emissio. Qui dedita opera parant, subiacent legibus tanquam de homicidio, vt fatetur Gale. & Hipp. in iusiurando. Aetius tamen medicamenta abortiua docet, & in libro de facile parabilibus ad Solonem. Num forte liceat aliquãdo, vt matrem superstitem habeamus? nam ea pereunte, etiam fœtum perire necesse est. An remedia aduersus morbum danda sunt, non ad fœtum perdendum? Quod si vi morbi, aut remediis quibusdam necessariis perdatur, Medicus excusabilis est. Causæ abortus ad summũ tres sunt. Moles nimia, pondus, morsus. Moles, cum vterus distendi amplius nequit ad perfectum incrementum. Sunt enim quædam, quæ facile concipiunt, sed gestare nequeunt, ideo perdunt vt plurimum tertio, aut quarto mense, nulla causa manifesta. In causa est imbecillitas. Hip. Quæcunque præter naturam tenues existentes vtero gerunt, abortiunt antequam fœtus crassescat. Menstruum aut bimestre, trimestre, aut amplius ferre ne-

1. in 6. Epi. 2.

An Animal sit ꝙ in Vt. 5.

Nat. fa 12

1. Mo. mu.

5. Aph. 14. Ste. et. Supestif.

re nequeunt, cum vterus tenuis fuerit, nec amplius distendi potest. Iterum inquit: Mulier præter naturam extenuata augere fœtum amplius non potest. Quæcunq; autem mediocriter corpora habentes abortiunt secundo aut tertio mense, sine occasione manifesta, iis acetabula vteri plena muccoris sunt, & non possunt ex pondere fœtum continere, sed abrumpuntur. Alia ratione, si qua mulier natura sterilis forte concipiat, abortit, defectu licet nutrimenti, cum alio vertatur nutrimentum, aut quia menstrua non secundum rationem procedant, vnde mulier laborat, & deiicit fœtum, vt innuit Hipp. Hoc modo abortus similis est partui naturali, cum sponte ex defectu nutrimenti paulatim abscedat, non per abruptionem. Abruptionem faciunt violentam, motus, saltatio, ponderis eleuatio, percussio, vociferatio, & alia multa etiam animi motus. Morsus irritantes ad expulsiones, vt medicamenta pessi acres, cibi acres, & quæcunque turbant ventrem, seu humores distillantes seu putredines. Quædam ex his fœtum enecant, vnde sequitur abortus, quæcunque vehementer alterant, vt venena, & medicamenta purgantia, odores praui, & quæ auferunt alimentum, vt magnæ euacuationes, venæ sectio, inedia.

Nat. mu. *5. Aph. 45.* *Nat. mu.* *Nat. mu.* *1. Mo. mu.*

Signa futuri abortus, si mammæ repente gracilescunt, abortit. Si altera mamma geminos habenti dextra aut sinistra, alterum abortit, marem, aut fœminam. Et rursus, Quæ corrupturæ sunt fœtus, iis mammæ gracilescunt. Si vero rursus duræ fiant, non corrumpent. Nam simul natura per venas dispensat vtero & mammis, vt patet in conceptu. Mulieri vtero gerenti, si lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillem significat, si vero mammæ solidæ fuerint, fœtum saniorem significant. Quod enim debuisset tendere in alimentum fœtus, effluit ex mammis, vt in auersantibus cibum vomitus. Si vero mammæ solidæ, significant asseruari materiam pro lacte, quanto magis fœtus augetur. Hic enim est partium consensus, vt vna læsa, altera lædatur. Conuertuntur igi-

5. Aph. 37. 38. 53. *5. Aph. 52.*

tur

tur propositiones. Si mammæ gracilescant, aut multum lac effundant, corruptio futura est, aut fœtus imbecillis est. Si vero solidæ fiant, id est, plenæ non effundentes, fœtum saniorem significant. Si rursus duræ, id est plenæ, non corrumpent, quanquam Galen. aliter in Com. sentiat. Quæ abortiunt non ex defectu nutrimenti, sed ex violenta abruptione, iis non paulatim mammæ gracilescunt, sed repente. Sed quæ corrupturæ sunt fœtum, deficiente paulatim alimento, ex necessitate mammæ paulatim gracilescunt. Nam in partu maturo, licet multa purgatio succedat, non tamen gracilescunt mammæ, quia iam collecta est materia pro lacte, nec duobus amplius natura incumbit, & quod in vtero collectum erat superfluum est. Fieri autem abortum ex acetabulis mucosis, cognoscitur Hippocrat. quia humida fit, & mucosum quid defluit, & non mordet, & in mensibus vbi fuerit purgata, per duos, aut tres dies mucci ab vtero prodeunt. *Nat. mu.*

Si autem ex mordentibus & irritantibus abortus fiat, horrores & febriculæ contingunt, dolores in aliis & aliis partibus, cibi fastidium, oris amaritudo. Hæc si biliosa per secessum egerat, quod sæpe contingit, melius deget. Prognostica. Abortus periculosior est partu, ob violentiam. Periculum ne vterus exulceretur, aut inflammetur. Plurimi abortus fiunt in primo quatragenario, nam eo præterito, fœtus fortiores fiunt. Iterum in sexto quatragenario, cum fœtus descendit laxatis membranis. Si nascantur in octauo mense, abortus sunt, in septimo autem quidam vitales, antequam ex descensu fœtus laboret, robustior enim est. *1. Mo. mu.* *Sept. pa.* *oct. pa.*

CAP. XV.

Præseruatio ab abortu.

CAuere oportet à causis abortum facientibus. Sed quædam præsente fœtu auferri non possunt, vt imbecillitas vteri propter extenuationem, vt propter humecta-

mectatos cotyledones. Sed ante conceptum crassefacere oportet, & vterum siccare, ac roborare. Dum vtero ferunt solum ad causas recentes occurrere licet, ne abrumpant, ne auferant alimentum, ne corrumpant. Ideo compescēdi fluxus, & optimo nuttimento reficiendæ mulieres, & vterus astringentib. roborandus. Si morsus adsit, humores mordentes euacuare, ex manna, rhabarbaro, contemperare victus ratione.

1. Mor. mu. In fluxu à capite, ventre fluido periculum effugitur, sed statim concludere, ac constringere oportet. Si mulier ægrotauerit, & venter concludatur, aut magnus fiat, etiam sic puer perit à labore calfactus, & à tumore prelsus. In his modica sanguinis missio iuuat ex brachio. Si biliosa fuerit, & doloribus vexata, si per secessum deiecerit biliosa, melius deget. Vt mulier non abortiat, cancer fluuiatilis in vino tritus in potu: nam facit ad tabescentes. *Dinam.* Non leporis prægnantis coagulum, vt quidam tradunt, in vino; licet sistat fluxiones vteri, sed enecat fœtū, Dios. *Ste.* Hipp. Si inuita abortum facit, nec eiicere velit, triticum torrefactum & molitum, vuam passam albam ex aqua mulsa cum modico oleo bibat ieiuna. Postea Raphani semen tritum cum aceto & adipe anserino bibat. Origanum, pulegium cum polenta ex aqua, lauri folia cum gummi ex aqua, pastinacæ semen ex vino diluto.

Conueniunt igitur emplastica ad tollendam asperitatem, siue ex mordentib. siue ex motu abrumpente, adiūgenda, quæ ferant ad vterum modice acria. Hodie vtuntur ouis sorbilibus cum cocco. Extrinsecus autem vnguēto de comitissa ad lumbos, & supra pectinem. nam astringendo corroborat. Ad vitia autē antiqua, ex quibus abortit, curanda est, cum non vtero gerit. Cum in ventre habens fœtum menstruum, aut bimestrem corruperit, & ad perfectionem gestare non possit & tenuis præter naturam fiat, huius vterum purgare oportet, & corpus pinguefacere. Non enim prius fœtum perferre poterit, quam vterus crassus fiat, & robustus, iterum post pharmaca pur-

purgantia ſurſum & deorſum, lac aſininum aut ſerum bibendum dato. Poſtea adhibito fomento vterum purgato iis, quæ non mordeant: poſtea aceto colluat, & ſuffita aromata. Vt omnia facta ſint prima die menſium. Poſtea lota & leuiter paſta, ſuffita affuſo netopo & roſaceo coeat. Iterum ſi vterus diſtendi nequeat ad perfectam magnitudinem, cognoſcitur, cum ſæpe ſtatuto tempore eodem ſine cauſa manifeſta abortit. Huius vterum colluere oportet, & ſubdititiis quam maxime inflare cucumerario medicamento. Cucumeris ſyl. medulla contundatur & cribretur, eius modicum excipiatur multo melle cocto, addito modico laſerpitii. Summo ſpecillo indatur in os vteri, vt penitius penetret, ſinatur, donec liquatum fuerit. Tertia quoque die repetat, aut pluribus interiectis. Elaterium idem præſtat, & colocynthidis medulla eodem modo. Poſt hoc tempus edat allia plurima, & ſylpii caulem & quidquid flatum inducit. Interiectis diebus mollientibus vtendum, & poſt menſium apparitionem vbi ſicca fuerit, cum viro miſceatur. Flatum etiam inducit in vterum allii caput integrum & laſerpitiũ in ſubdititiis. Sed noxa mollientibus corrigenda intus & extra pinguedine anatis, oleo amygdalarum dulcium afficatis ſupra pectinem. Si ob cotyledones pituita plenos, hanc ſucco groſſorum eluito. Poſtea per acerba bis aut ter alumine, galla, malicorio, deinde apponito quæ pituitam purgent, & mollia fomenta ex lauro, colluito aqua & aceto pari menſura, & in menſibus aromata ſuffito, impaſta & illota cum viro dormiat, faſciis crura circundet, & oleo illinat. Purgant pituitam, aquam, & mucos, & non exulcerant, ſubdititia, myrrha optima, ſalis grumum, pix aromatis imbuta, & trita apponito. Aliud. Grana gnidia decorticata 30. Indicum, quod Perſæ piper vocant, in quo rotundum ineſt, myrrhidanum vocatum, id eſt, vt puto gariophyllus, cum lacte muliebri & melle ex lana pennæ inuoluta indito, & per diem ſinito.

Ste. & Superf.

2. Mo. mu.

CAP. XVI.

De Partu naturali.

Oct. pa. PArtus secundum naturam perfectissimus septé quatragenariis constat, qui dies 280. ad summum continent. Decimestres appellantur, quia continent 9. lunas integras, & paulo amplius, singulis lunis assignando dies 29. cum dimidio & paulo amplius ab vno nouilunio ad alterum. Desunt autem vsque ad dies 280. dies 14. cum dimidio, quæ est pars decimi mensis, aliquando vndecimi. Si enim conceptio fuerit vltra plenilunium, attingit mensem vndecimum. Nouimestres minus perfecti sunt, adhuc minus septimestres, vitales tamen in diebus 182. cum dimidio, quod est anni dimidium, ad minus continet menses quinq; integros, primum & vltimum non integros. In libro de principiis perducitur ad dies 210. qui attingit mensem octauum & prætergreditur quintã
Sep. par. quatragenariam. Sed apud hunc mensis est dierum triginta Gal. ad summum peruenire ad dies 204. In sexto quatragenario laborat fœtus in vtero, qui octauũ mensem includit, aliquãdo partem septimi vel noni. Laborat autem, quia matureſcente fœtu pelliculæ spicarum more laxantur in septimo mense, vnde fœtus præ grauitate descendit propinquior factus ad exitũ. Extenſione vmbilicus conuulsus dolorem matri inducit, multæ etiam febricitant, quædam pereunt cũ fœtu. Aliquando claudi & cæci nascuntur. Fortissimi & plenissimi fœtus in laxatione pellicularum violantes & disrumpentes partum fieri cogunt, sed plurimi intereunt, quia cum parui sint, 40. dierum afflictionem ferre nequeunt extra vterum, vt decimestres perfectissime faciunt. At si in 8. mense exeãt omnes moriũtur, quia adhuc ægrotus ex laxatione pelliculatum in 7. mense cogitur ex partu laborare. In septimo quatragenario quibus bene futurũ est, soluuntur inflammationes tum matris, tum fœtus. Vẽter fit mollior, tumor à præcordiis descendit, facilius ferũt, donec contigerit

tigerit fœtum verti: Os uteri prope pudẽdum. Tunc dolores partus, & labores fiunt. Nam deficiente alimento per umbilicum, puer copiosius desiderans calcitrat, disrumpit membranas, & conuertitur.

Quibus modici sunt menses, alimentum citius deficit, vt quædam non perueniant ad decimum mensem. Eædem vt plurimum sine lacte sunt. Conceptus & abortus & partus mulieribus in eodem tẽpore, in quo etiam morbi, & sanitas, & mors omnibus fiunt, partim secundum dies, partim secundum menses, partim secundum dierum quatragen. partim secũdum annos. Sed vt distinctius habeatur dierum cõputatio gestationis fœtus, hoc modo consideretur. Septem quatragenarii, qui terminus summus est, continet dies 280. Continet lunas nouem integras, dierum scilicet 29. & horas 15. scilicet dies 265. & horas 15. vsque ad 280. desunt dies 14. & horæ 9. decimi mensis. Si conceptio contingat vltra plenilunium, vt die 16. primi mensis, relinquentur dies 13. & horæ 15. vt complearur mensis decimus: supersunt adhuc horæ nouem undecimi mensis, vt ad summã perueniatur dierum 280. Si tardius adhuc conceptio fiat, vt die 20. Lunæ, relinquuntur dies 9. & horæ 15. mensis decimi. Hæc peruenire poterit ad diem 5. undecimi mensis. Septimestres partus quinque quatragenariis absolui possunt ad minus diebus 182. cum dimidio, quod est anni dimidium. Continet menses quinque integros, qui dies 147. cum dimidio primi mensis & vltimi plus dimidio, vt saltem perueniãt ad dies 35. Ad summum perueniunt ad dies 204. vt Gale. testatur semel tantum vidisse, vt plurimum non excedũt dies 200. At liber de principiis perduci ad dies 210. qui sunt menses septem dierum 30. *Sep. pa.* *Sep. pa.*

CAP. XVII.

De Partu facili & difficili.

MOdus secũdum naturam est, vt disruptis membranis puer exeat in caput. Si pueri momentum in ca- *Nat pu.*

4. Ge. an. 9 put inclinatum prædominabitur, mulier facile parit, inquit Arist. Proni in caput conuertuntur, quia pars ab vmbilico superior plus ponderis habet. Disruptis membranis prius effluit aquosus humor, qui inter eas continebatur, deinde infans, vltimo membranæ ab vmbilico appensæ, quæ secunda vocatur, quia secundo loco post infantem exit. Aqua viam præparat, infans secundam trahit. Difficilis est omnibus, præcipue primiparis, quia in hiatu uteri maior violentia fit. Nam coxendices disparantur, dolet totũ corpus, maxime lumbi & coxẽdices. Difficilior si exeat in pedes aut obliquus. Nã sæpe fœtus perimitur, aliquando & mulier. Contingit peruersio ob iactationem, cum inexpertæ, aut propter incontinentiam non quiescunt, in peruersione vmbilicus collo sæpe circumducitur.

Mortui fœtus difficilius eiiciuntur, & languidi, quia
5. Aph. 55. robur requiritur non solum in muliere, sed etiam in infante. Nam adiuuat impulsu & calcitratu. Gal. post exitum infantis aliquando moratur secunda præ imbecillitate, aut quia adhæreat cotyledonibus, quod in abortu magis contingit cum fœtus non maturus est. Alia impedimenta affert Aer. Loci angustiam, ob pinguedinem,
3. Aph. 12. si moles amplior. Si tuberculus adsit, aut inflammatio
1. Mo. mu. lapis in vesica, excrementa crassa. Siccitas cum ante rẽpus
5 Aph. 55. debitum aqua proruperit, aquilonia constitutio præcipue veris. Signa instantis partus. Frequens respiratio, dolor lumborum, ventriculi signa difficilis partus, febribus corripi, fortiter incalescere sine causa manifesta. Quibus circa 7. aut 8. mensem derepente mammarum & ventris plenitudo collabitur, & vbera gracilescunt, & lac
5. Aph. 52. non apparet, his dicendum puerum aut mortuum esse,
5. Aph. 60 aut debilem viuere. Si lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillem significat, si mammæ solidæ, fœtum saniorem. Si vtero gerenti purgationes eant, impossibile est fœtum sanum esse. Si cui ex partu laboranti fluxus multus sanguinolentus citra dolorem ante puerum prodeat,

deat, periculum est, puerum exoluendum esse, & non vitalem processurum. Nam significantur sanguinem pueri exire per venas vmbilicares. Si puer diu in genitalibus hæreat & nõ facile exeat, sed cum labore, & Medici machinamentis, modicæ vitæ est. Talis omnino obliquus aut in pedes procedit, vnde sæpe aut matres pereunt, aut puer, aut ambo. Si cui exeat secunda, priusquam puer foras procedere incipiat, ægre parit, & periculosius, si caput non præcedat. Si simul exeant, & ad os vteri rumpatur secunda, facilius parit. Sed secunda hæret, & seipsam retrahit & manet. Cum puer immortuus fuerit, tum aliis signis coniectari licet, tum iubere, vt mulier de vno latere in alterum conuertatur. Si mortuus, translabitur pondus, quo se verterit, veluti lapis, & pecten frigidus. E cõtra pecten calidus & totus venter tumens translabitur.

CAP. XVIII.

Curatio Parturientis.

INquit Hipp. Custodia & multa scientia opus est mulieribus, vt in vtero gestent puerum, enutriant, & vt euadant ab ipso in partu. Aet. circa octauum mensem, qui molestissimus est, alimentum contrahendum est, & motus vehementiores præscribendi, aluus humectanda nono mense, balneo frequenter vtendum relaxandi gratia, vt dolores partus ferre possit. In partu situs quærẽdus est rectus, decliuis, firmus, vt fœtus conuertatur in caput. Eniti oportet retento spiritu, & truso deorsum, vt septo transuerso & musculis abdominis expressio fiat ad inferiora. Arist. Mulieres si in partu vel oscitando, vel aliqua huiusmodi causa retrahant, difficilius pariunt. At frustra enituntur, antequam os vteri hiarit, quod obstetrices digito cognoscunt. Humectum enim & laxatũ os reperitur pudendo propinquissimũ. Nam inutile antequam turgeat. Si ægre pariat locis præclusis manẽtib. & siccis, insideat in aqua calida & oleo, crebris perfusio-

1. Mo. mn.

1. Ge. an. 11.

4. Pro. 9.

nibus, incocta malua, fœnugræco, semine lini. Inunctio locorum ex oleo Cyprino, pinguedine, bibat oleum, a-
1. Mo. mu. pud nos ol. amygd. dulcium. Nam lubricat, & dolores lenit. Suffitus ex resina, cumino, cortice pinus. Si prodire volentes non facile exeant, cum situs sit secundum naturam, talibus sternutatorium admoueto, & nasum apprehendito, & os comprimito, ac sic sternutet, vt sit efficax. Vtendum & concussionibus super lectulum stratum, cui supina alligatur fascia ad pectus, & axillas recuruis cruribus, malleolis apprænsis detinetur. Cum accedunt dolores, attollitur lectus ad caput, vt decliuis sit in pedes, at non prona. Decidat postea lectus non in suos pedes, sed in fascem sarmentorum paratum ad caput, vt concussio mollior fiat. Si prima concussione non exeat, rursus interstitio facto concutito, & in lectulo gestatam attollito ac agitato. Interim illinire oportet & perfundere ex decocto maluæ, fœnugræci, aut potius succo prisanæ triticeæ vsque ad inguina, & sedem, & pudendum fouere, & insidere, vbi partus dolores maxime infestarint, & nihil aliud mente versare. Obstetrix molliter oscula aperiat, vmbilicum vero vna attrahat cum fœtu. Ad fœtus situ deprauato 1. Mor. mul.

Quicunque duplicati in osculo vteri incumbunt aut foras præmittunt manum, aut crus, aut vtrunque, siue viui, siue mortui, rursus retro protrusos vertere oportet, quo secundum naturam in caput exeant. Supina collocanda est in lecto vt reclinet in caput, substratis mollib. ad coxas, & sub lecti pedibus sensim aliquid supponendo, vt mulieris pedes attollantur, nullo ceruicali sub capite. Obstetrix manu peruncta fœtum dirigat in situm naturalem. Deinde sensim mulier constituatur, vt reclinet in pedes, & caput altius sit, & si opus fuerit, concutito. Interim vires refocillare, & in aquam calidam residere. Si fœtus mortuus fuerit, non semper licet detrudere, & dirigere, quia intumescit. Tunc membratim secando extrahendus, cauendo ne venter scindatur, sed perforetur tantum,

tantum, vt flatus exeat. Intumescit etiam viuentis pars, quæ extra vterum manet, reliquo corpore intra. Tunc fouere oportet odoratis, vt humectissimus vterus reddatur, & tumor desideat, vt intromitti & dirigi possit. Si à fomento non processerit, os vteri elaterio crasso aqua diluto oblines quo inducat parturitionem. Et pudenda cerato illinēda, si sicciora videantur. Vbi defatigata, & nullum auxilium à fœtu imbecilli, aut mortuo, prouocanda est parturitio à potibus & cibis. Partum accelerant ægre parienti, lauri radix derasa, & lauri bacca dimidii acetabuli mensura in aqua calefacta bibenda data. Dictami oboli duo in aqua calida. Abrotoni drachma & lauri bacca, & anisum in vini dulcis veteris cyatho vno, & aquæ cyatho affuso bibat. Hoc bonum etiam ante dolores partus. Dictami, myrrhæ, vtriusque obolos duos nitri obol. vnus in vini dulcis cyatho vno, & aquæ calidæ cyathis duobus. Dein calida lauato. Resinam, terebinthinam, mel oleum duplum horum, vinum odoratum suauissimum, hæc mixta tepefacta sæpe bibenda dato. Interim vterus sedandus, si fuerit inflammatus. Si multo tempore cohibeatur, & parere non possit, diebus pluribus doloribus ex partu laboret. Et iuuenis in vigore multo sanguine referta venas in malleolis secare oportet, & sanguinem extrahere virium respectu. Postea calida lauare incoctis lauri corticibus. Et semen viticis, & dictamum Creticum pari pondere in vino albo, aut aqua bibat. Subditicium ex galbano, baccis lauri, oleo rosaceo in lana. Polypodium quercinum in vino bibitum. Adiantum in vino meraco bibitum, & ex oleo illitum. Cibi qui etiam faciunt ad purgamenta partus, triticum trimestre fractū, & fresum in aqua coquito, vt ter aut quater effetbuerit, sorbendum dato, aut brassicas coctas & porrum, & fœniculum, & anethum, & polypos, & locustas, pisciculos.

Superf.

1. Mo. mu.

CAP. XIX.

Remedia ad secundam, & purgationem ex partu.

Superf. CVm secunda non statim exierit post partum, imi ventris dolores contingunt, & in laterum mollitudine, rigores & febres. Si discesserit secunda, sanatur mulier. Sæpe putrescit, & discedit sexta aut septima die, aut etiam prius. Si non facile cum fœtu excidat, ad fœtum appendere sinenda est, & puerpera sedeat super sella in altum extructa, quam lasanum vocant, vt fœtus descendens grauitate sua secundam extrahat, at sensim, non violenter, ne præter naturam diuulsa inflammationem inducat. Substernere lanas molles recens carminatas, quo paulatim remittatur, & considant. Aut vtres duos copulatos aqua plenos, & super vtres lanas molles fœtū sustinentes. Vter vterque stilo perforetur, vt sensim aqua exeat, & considant. Sic fœtus sensim descendens vmbilicum trahit, vmbilicus secundam. Si super lasanum sedere nequeat, super reclinatam sellam perforatam collocetur. Sin ob imbecillitatem non possit sedere, lectum quam erectissimum struemus, vtà capite deorsum declinet, & sic fœtus grauitas quam maxime secúdam trahet. At puerpera subalis fascia, aut loro alliganda est ad lectum, ne deorsum labatur. Si vmbilicus abruptus sit, aut ante tempus debitum recisus, moderate grauibus ponderibus appensis, secundæ eductionem facere oportet. Contingit relinqui in vtero secundam, cum per vim vmbilicus abruptus fuerit, aut recisus per imperitiam, retrahitur enim sursum. Hodie si cogantur rescindere à puero, antequam exeat, alligant ad coxam puerperæ. Aet. Chirurgia vtitur ad extractionem, quod periculosum est. Nam satius sponte exire adiuuantib. medicamentis & artificio Hippocratis. Nam & fœtus mortuus sponte exit
Superf. tabescens in saniem. Tunc fouere oportet odoratis, & abluere

luere vterum ob putridos vapores. Vt secundæ procidãt, sternutatorio imposito nares apprehẽdito & os. Vterinis, & ei quæ difficulter parit, superueniens sternutatio, bonum. Præstat dare ea, à quibus maxime purgantur puerperii purgamenta. Allia elixa in vino, & oleo, cum polypis ac sepiolis totis super prunas. Castorium, aut nardum, aut rutam in vino nigro dulci, aut admixto melle bibat, brassica cum ruta, & mercuriali additis seminibus odoratis. Omnium optimum artemisia herba & dictamum, violæ albæ flos, laserpitium fabæ magnitudine in aqua potum. Etsi secundam excludere non possit, à cibo abstineat, postea viticis folia trita in vino & oleo & melle bibat, & exibit. Purgatio ex partu nisi fiat, morbus magnus corripiet, & periculum vitæ incurret, nisi cito curetur. Necessariam esse purgationem, vt euacuetur id, quod à primo quatragenario non absumebatur in fœtum. Ideo respondere tempus purgationis tempori articulationis fœtus in fœminis diebus 42. in masculis 30, ad summum. Purgatio ad minus diebus 25. in fœminis, 20. in masculis. Vel dicendum, vt puer post partum laborat 40. diebus, sic puerpera. Exeunt purgamenta post partum ob conturbationem sanguinis, primum muccus sanguinolentus copia heminæ vnius cũ dimidio paulo plus aut minus, in dies minus, donec desinat. Similiter fit in abortu. Si sana est, procedit sanguis veluti à victima, qui statim congelatur. Si morbosa, purgatio paucior procedit, & specie deterior, nec cito congelatur. Si ex partu non fuerit purgata, tumet venter & crura. Rigor & dolor corripit imum ventrem, & lumbos, quandoque ad viscera ascendit, & animo linquitur, febris acuta. In processu faciei partes cauæ rubescunt, moritur vtplurimum ad summum in diebus 31. Pulsus debiles, nunc attolluntur, nunc deficiunt. Causa impediens purgationem est os conclusum ex inflammatione. Obtorquetur enim os vteri post pueri egressum, quodcumq; horum fuerit, purgatio non procedet. Hinc febris, horror, ventris inflatio,

5. Aph. 49. 35.

1. Mor mu.

Nat. pu.

Sept par.

1. Mo. mu. Nat. mu.

1. Mo. mu.

tio, dolor ad tactum, & alia multa symptomata. Primiparæ & abortus magis obnoxii ob violentiam, & quibus partus difficilis. Ad purgationem ex partu, fomento adhibito ad vterum ex vrina, aut decocto sambuci, & suffitu. Cyclaminum apponito, aut alia subdititia. Cucumeris syl. interna pars oboli tres, artemisia, thus, obolus vnus cum melle & lana ad vteri os, teneat die ac nocte per dies quinque. Bibat medicamentum cum thæda præparatum, donec fluxus fuerit commotus. Potiones multæ recensentur ab Hippoc. Sambuci folia coquito, & oleo affuso bibenda dato. Erysimum in aqua coquito, & oleo affuso bibendum dato, aut tritum cum aqua & oleo polentæ insperge & coquito. Trifolium ex vino. Si purgatio in grumos coacta exit, porrum coctum & olera cum oleo exhibe. Lauet tertio quoq; die, caueat frigus, inungat. Ad os vteri applicentur emollientia, adeps anserinus, myrrha, resina tepefacta. Deambulatio. Sumat ante cibum mercurialem coctam, & allium, & porrum, & brassicæ succum sorbeat. Cibis mollibus vtatur magis marinis. Abstineat à pinguibus & dulcibus, donec sana fiat. Lauetur calida. Si febris adsit, ne lauato, à balneis abstinere oportet, sed fomentis & tepefactoriis ad imum ventrem & lumbos curare oportet. In potu exhibere pharmaca vterina admixtis sepiæ ouis, aut castorio, post hoc farinam cum ruta coctam, aut ptisanæ succum. Pharmacum autem, si turgeat, sit, quod bilem ducat aut pituitam, si biliosa aut pituitosa fuerit. Prodest & anisum, & quæ vrinam cient, vomat, & sudores eliciantur, clysteres ex succo ptisanæ, melle, ouis, maluæ decocto. Admiscenda refrigerantia, & astringentia post vsum attrahentium. Vitis pampini, aut folia viridia trita ex melle cum lana. Cupressi fructus, & thus trita cum rosaceo & melle.

Nat. mu.

Nat. mu.
1. Mo. mu.

CAP.

CAPVT XX.

De inflammatione Vteri.

VTeri inflammatio vtplurimum ex partu difficili contrahitur aut ex abortu, cũ præ frigore materiæ multitudo & crassities obstruit, & putrescit deficientibus purgamentis. Oriri etiam potest ex aliis causis ob defectum menstruorum. Nam primum obstructio fit, putredo, & febris de genere synoche ob magna vasa, quæ in vtero sunt, succedit autem inflammatio, si non recte curetur. Ad inflammationem febris vehemens. Vteri cervix variegatur multis tenuibus venis ad similitudinem telæ araneæ. *1. in 6. Ep. 2* *2. Mo. mu.*

Aliquando febris debilis, caligo, caliditas perpetua in ventre, sitis, dolor ad coxas, imus venter intumescit, aluus turbatur, excrementa olida, tunc calor vehemens. Cibi fastidium, dolor circa synciput, ventriculi imbecillitas. Nisi statim curentur, plurimæ moriuntur. Si fiat erysipelas, tumor incipit à pedibus, procedit ad crura, & lumbos, postea intumescit venter, rigor & febris, imbecillitas. Præ dolore iactat seipsam, ex imo ventre ascendit ad lumbos, & præcordia, pectus, & caput. Mori sibi videtur. Cum remiserit, occupat torpor ad manus, aliquando ad inguina, & liuida fit. Interualla quædam mitiora, corpus impletur pustulis, faciei rubor, sitis vehemens, fauces siccæ, tumores fiunt liuidissimi exorsi à pedibus, liuores in poplitibus, cum dolor solutus fuerit. Curatio. Quæ ex partu vel abortu, non venæ sectio Act. neque quibus multus effluxit, sed leuiter aluum mollientia. Sambuci folia tenerrima in tritici farina cocta sorbeat tepida. Resinam, terebinthinam, & mel & vinum tepidum, oleum amygdalarum dulcium, nam sedant dolores, & inflammationem. Ad vteru relaxantia non repellentia. Quicunque tumores vteri in partu, aut ex partu fiunt, eos astringere non oportet, vt Medici faciunt, sed digerere potionibus ex cumino, a- *4. Mo. mu.* *5. Aph. 43.* *2. Mo. mu.* *Nat. mu.* *1. Mo. mu.* *11. Met. 16.* *1. Mo. mu.*

niso,

nisō, seseli, pæoniæ rādice aut semine in vino albo odorato ieiunæ, refrigerantia tamen aliquādo adhibet Hip. vbi inquit, si ex partu vterus inflammatus fuerit, solani succum infundito, aut beræ, aut rhamni actu frigida & vbi incaluerit, alium, aut lentilci, aut cucurbitæ succum expressum, & medullam derasam in longitudine indito, cerussam ex aqua lana exceptam, cataplasma frigidum imponead pectinem. Ventrem quoque frigefacere oportet, cauendo ne horrescat. Vbi calor debilis, sed imus venter igne ardet. Sorbitiones actu frigidæ, sed extrinsecus calefacere oportet ad relaxandum & extrahendum præcipue, vbi ex frigore condensatus fuerit vterus. Cataplasma ex musco marino, farina hordei, cinere sarmentorum, semine lini tosto ex oleo & aceto ad ignem addensatis, vt pasta, & calidissimū imponatur, & si oporteat scarificare, id quoq; fiat. Postea subdititia ad inflammationem consequentia, relaxantia, dolorem mitigantia, digerentia, & extrahentia. Pessi, suffitus, lotiones, ex pinguedine anatis, oleo amygdalarum dulcium, rosaceo, butyro, myrrha, thure, oui vitellum. Cataplasma imo ventri ex palmulis, caricis, meliloto, Aetius ruta, parietaria, artemisia. Tandem pessi purgantes. Aqua mulsa in potu & vinum aquosum. Cibum quam minimum edat, & venter sistatur, & caput curet. Aetius capiti oxyrrhodinum imponit. Hepar ouinum, aut caprinum sub cineribus obruito, postea elixato, edat & vinum meracum bibat vetustius, si nihil prohibet, ad dies quatuor, si longe aberit à partu. Si post partum sanguinem vomat, multa calida lauare oportet, & lac asininum detur ad dies septem. Postea vaccæ nigræ ad dies 40. sine alio cibo, si fieri poterit.

1. Mo. mu. Nat. mu.

Ad vteri inflammationem ex retentis menstruis, venę sectio in cubito Aet. si nihil prohibeat, repetitio fiat altera die & tertia. Non ex onere, nisi instantibus menstruis. Purgans medicamentum. Ad vterū quæ purgant, & non mordent. Postea ablutio ex aqua & aceto. Edat mercurialem

Cu per. Jan. 18. Nat. mu. 2. Mo. mu.

riale & succũ eius, farina insperſa vel cocta, cotyledonis folia & portum in tritici farina cocta oleo affuſo edenda. Si dolores vehementes adſint, fouere ſpongiis calidis ex aqua & oleo expreſſis. Subdititia mollia ex medulla cerui, adipe anſerino, cera alba, oui luteo, aut ceratum picatum cum reſina ſubdito. Ablutio ex vino, aut lacte caprino, iuſculo volucris ex vino & oleo roſaceo. Act. vinum ne bibat, & ptiſanæ ſuccum ſorbeat. Suffumigia ex vino ſuauiſſimo, & aqua pari, fœniculi radice & ſemine, & oleo roſaceo, quæ in olla ferueant, vt fumus recipiatur, addatur & ſcylla ad oſcula aperienda. Si ex hoc excitentur puſtulæ, ſuperponatur intra pudendum caro bubula illita cum butyro, aut adipe anſerino & aniſo. Ad pus in vtero, cum non eſt incluſum in tuberculo, lacte equino cocto & colato abluatur per fiſtulam veſicæ alligatam, deinde fumum recipiat ex vino odoratiſſimo, ſiccisſimo, & vetuſtiſſimo, iniectis lapidibus nigris candentibus. Ad eryſipelas purgandum ex lacte aſinino, ſi non ſoluatur, ventrem mollibus frigefactoriis ſubluere, ſubdititiis non moleſtis & leuib. paulatim vterum purgare, vomere, ex ſambuci foliis coctis cum origano, aut thymo, aut ruta, cum febris dimiſerit, etiam vinum & cibos dulces dato, veruntamen paucæ curantur. Frigefactoria adhibenda, & ventrem turbare ex ſolis cibis & potibus, ſi prægnans ſit, iis quæ fœtum non corrumpant, vt lac aſininum, & clyſteres molles, ſi non prægnans, ex pharmaco cibis pauciſſimis vtatur, molliſſimis ac frigidis, mercurialem edat & ſambucum abſtineat à ſalſis, pinguibus, & acribus. Poſtquam calor & ſtrangulatio remiſerit, & tumor non fuerit ſedatus, medicamentum fortius infra purgans bibat, paucæ tamen effugiunt. Vtrum conueniat aquæ frigidæ potus, qui à Gale. in eryſipelate interno laudatur non expectata coctione? an conueniret, ſi exquiſitum eſſet eryſipelas? At in vtero prohiberetur eius purgatio.

Ster.

2 Mo. mu.

Nat. mu.

9. Meth. 5.

CAP.

CAP. XXI.

De fluxu Vteri.

9. Met. 10. 6. loc aff. 5. 5. Aph 56. 2. Mo mu.

EX immodico vteri fluxu morbi fiunt ex inanitione. Nam aut mors repentina sequitur, aut graues morbi: nam praui habitus insequuntur, color fædus, pedes molli tumore attolluntur, robur totius prosternitur, vitiatur concoctio, & appetitus.

In fluxu muliebri, si conuulsio & animi defectus sequatur, malum. Differentiæ. Quidam ruber, quidam albus, qui fluor muliebris appellatur, quidam fuluus. Ruber contingit aliquando ex febre, sed magis ex abortu aut partu difficili, aliquãdo in coitu violento ob ruptionem venarum, aut apertionem osculorum. Fit aliquando ex mensium retentione, cum conclusi repente eruperint, aliquando ex vlcere ob erosionem. Si fluxus plures fiant quam oportet, etiam crassiores, & plurimi prodeunt diebus intermediis. Incipientes autem & desinentes pauciores & tenuiores effluunt. His os vteri prope pudendum est hians, & ob impetum magis dilatatur, & à toto corpore fluxionem recipit. In muliere laxa & pituitosa sanies potius subrubra, interdum aquosa aut subpallida. Aliquando sanguis purus veluti à dissecta vena, quando ob erosionem præcipue in ceruice fiat. His prædicere in principio oportet periculum, vt cito remedia adhibeantur. Curatio superflui fluxus rubri, reuulsio, sedatio perturbationis, tandem vitia vteri, aut totius corrigere. Reuulsio per venæ sectionẽ iteratam in brachio, vbi vires consentiunt. Cucurbitula magna sub mammis eleuata & detracta nunc ad dextra, nunc ad sinistra, sine scarificatione. Vincula ad manus, supra cubitos, & ad poplites supra genua. Sedatio perturbationis per medicamenta siccantia, & victum mane danda sunt ter, & quater in die, si sanguis multus discessit, multa describuntur ab Hipp. Cornu cerui vstum cum duplo farinæ hordei in vino Pramnio. Adianti radix, cicer torre factum, farina len-

5. Aph. 50. 2. Mo. mu.

C. vstum. Rad. adianth. Cicer torr.

lentium in poru aut ex melle. Aſpalathi radix extollitur in vino albo cocta ante cibum. Refert Hipp. iuvenculam ex fluxu ruhro laborantem, quæ neque medicamentis datis, neque capite purgato, neque vena ſecta quidquam proficiebat, curata eſt ex aſpalathi radice in vino albo cocta. Hodie habemus radicem ſaſſafras ex India occidentali, non abſimilem aſpalatho. Mali punici dulcis aſſati ſuccus cum vino nigro, hodie vtimur trochiſcis de carabo, cum ſaccharo roſaceo. Aetius hypociſtidem exhibet, acaciam, lycium, terram Samiam, & alia aſtringentia. Diæta Hippoc. ſi ſine febre ex cibis, ſi febricitet, ſorbitionibus ex panico, farina hordei, tritici, halica. Cibi panis aſſatus in cinere, caro leporina, columbæ, tum elixa, tum aſſa, hœdi caro aſſata cum aceto. Hepar caprinum, vitulinum ſub cinere aſſatum, oua, caſeus inſulſus, abſtineat ab oleribus & balneis. Cibis ſiccis vratur, & vino nigro vinoſo. Sed Paulus abſtinet à vino, vritur aqua chalybeata cum vino granatorum. Si ad hæc non ſedetur fluxus, habita virium ratione, & conſiderata natura mulieris, vtrum bilioſa, aut pituitoſa, ſi robuſta fuerit, veratrum dare oportet, & ſi non obediat, caput purgare, facta autem purgatione, per diætam reliqua curare. Galenus inquit, vbi affectio in toto corpore eſt, non in vtero, hæc ſufficiunt. Ad vteri affectus, id eſt, oſculorum relaxationem, intemperiem calidam, & humores irritantes, imo ventri refrigerantia imponenda, mulier autem elatis pedibus decumbat. Ex ſpongia madida, aut linteis laceris in aqua frigida tinctis & aceto, at non diutius ne horreat. Indat ſubditicia ſiccantia, aſtringentia & abſtergentia, groſſum ſiccum contuſum & cribratum linteo exceptum impone. Oleæ ſyl. folia in aceto cocta perluat pudēda, rhus eodem modo, melius ex aqua & vino auſtero, ſi acetum offendat, nam vtero inimicum.

Myrthi folia, lauri, hederæ in aqua, collant tepida. Lentiſcus, labruſcæ germina, cyperus, vua paſſa ex mulſa

leuiter tepida. Cupressi fructus, mali punici. Gal. Succo plantaginis vtebatur. Fomenta & cataplasmata leuiter tepida. Vbi dolores affuerint, ex iisdem, aut ex digerentibus, farina lolii in posca, lentes torrefactæ & decorticatæ in aqua coctæ. Saluia. Loti ramenta & cupressi in cremore vuæ passæ. Illitiones ex rosaceo, butyro, resina, adipe anserino, medulla & adipe suillo, oleum seminis lini. Suffitus ex hordeo tosto prunis insperso, cornu cerui cum oliuis immaturis, palea hordei & stercus bubalum, vinum nigrum, in quo ramenta loti, cupressi, & rhus. Galbanum, manna thuris, aut resina vino subacta. Vinacea vrantur in scrobe, & super cinerem irrora vinum odoratum, & mulier circumsedens seipsam contegens excipiat fumū. Aromata, cinnamomum, thus, styrax, myrrha cum foliis rubi, rosarum, mentha, in cinere sarmentorum vitis. Sed cauere oportet, ne odorad nares, nam melius esset non suffire. Subdititia ex iisdem cum oleo rosaceo. Myrrha & bulbion cum melle tritum, porrum, calamentum in vino nigro coctum crustam inducant. Hioscyami folia, cicuta similiter cocta obstupefaciunt.

CAP. XXII.

De fluxu albo.

5. Aph 36. FLuxus albus, muliebris fluxus, vel fluor vocatur, Pau. & Aet. Menses decolores dicuntur. Est expurgatio per vterum prauorum humorum in corpore existentium, nunc continue, nunc per interualla. Senioribus mulieribus magis fit. Ruber autem iunioribus, rufus in vtris-
2. Mo. mu. que, albus pituitam significat, rufus bilem, Arist. Quæ alba vocantur, paruis adhuc & puellis proueniunt. Vterque
2. Ge. an. 4. fluxus, scilicet albus & ruber, cum modice fit, seruat corpora integra. Per menses decolores omnes intelliguntur præter rubrum, Hip. ad sex species reducit. Prima, in qua
2. Mo. mu. quod defluit, est veluti vrina asini, tumores albi apparent in facie, sub oculis specie hydropis, in crutibus laxi, quod si digito pressēris, relinquitur fouea, saliua multa, lachry-

mæ,

mæ, anhelatio, cum ad accliuem locum procedunt, refrigeratio inferiorum partium, os vteri hiat præter rationem cum grauitate plumbea, difficile liberantur, quia ætate prouectioribus aduenit, & conseneſcunt. Secunda, rufa eſt, veluti ex ouo vitioſo, graueolens cum inflammatione, & dolore in lumbis, & inguinibus.

Si cito non liberetur, cum multitudine effluxus, quæ relinquuntur, reliqua putrefaciunt, vnde rigor & febris acuta, defluit humor veluti à carnibus aſſatis, & multæ pereunt. Tertia mixtionem habet ex bile & pituita, purgatur album ſubluteum, cum mingit, morum percipit, lancinatur, vterus vlceratur, febris acuta, calor multus, ſitis, vigiliæ, deliria, cum aliquid feſtinanter egerit anhelatio, exolutio. Quarta, defluit veluti vrina ouilla, color albus, tota intumeſcit, in tibiis eminentiæ laxæ rubicundæ. Si quid ederit, implетur, & inflammatur, in motu anhelatio, dolor, color albus, quandoq; ſubluteus. Quinta, exit ſubluteum veluti ex ouo, viſcoſum, venter imus intumeſcit & durus fit, dolet ad tactum, dentibus ſtridet, febris, animi deliquium, anxietas, perfrigeratio, ſudor multus. Pulſus ad manum accelerãtes, debiles, deficientes, & ſtatim pereunt. Sexta, fluxus eſt ſanioſus, fluit ſuberuentus veluti à carnibus aſſatis, mordet vt muria, corrodit, & vlcerat pudenda, & vterum, ac circumſtantia, & femora, & alias partes. Veſtes ea tinguntur, vt ægre eluipoſſint. Venter attollitur, & durus fit, dolor, color vt arquati. In progreſſu cauæ partes attolluntur, & pedes intumeſcunt. Oritur maxime ex abortu, aut ex partu, cum quid delaniatum fuerit. Tandem quicunque fluxus, nunc tenuis eſt & aquoſus, nunc craſſus, vel calidus, vel frigidus. Exulcerans, mordens, ſanioſus velut lotura carnis exit poſt ſanguinis fluxum, purulentus in vlceribus, & ſuppurationibus. Purulenta, & compacta poſt abortum, aut difficilem partum, ſi quid relictum in vtero ſit, quod putruerit. Tenuia autem & ſanioſa ex toto corpore fluunt.

t Mo. mu.

Curatio. Qui ex vlcere tantum vteri fit, remediis tantum ad vterum eget. Qui ex toto corpore, purgatione totius pro humorum vitio. Siccatio in pituitosa, contemperatio in biliosa. Ad fluxum album, si adfuerit alui fluxus, prius astringentibus sistere oportet ex cortice papaueris albi & rubri pari mensura, & fructu acanthæ, id est, acaciæ in vino diluto & insperso polentæ. Adde & malicorium torrefactum, cibi succi & frigidi. Confirmato ventre purgandum prius per superiora, & post purgationem, lac asininum. Iterum purgandum per inferiora, postea lac bubalum per dies 40. Alibi & Paul. purgat per vrinam cientia, & quæ caput purgant. Abstinere a balneo, potus epithimi, deambulatio, omnis resiccario in victu. Iteratis vomitibus, post fomenta toti corpori adhibita tertia, vel quarta quaque die ex multis & acribus oleribus & cibis multis quos voluerit, & multo vino aquoso, à quibus vomat.

5. Aph. 36. Nat. mu.

2. Mo. mu.

1. Mo. mu.

Post vomitum victus ex pane & aqua nullo obsonio, quam vino nigro meraco. Melius autem esse, si prius per pharmaca purgetur. Ad fluxum fuluum & mixtum bilem, aut etiam pituitam purgare per superiora & inferiora eodem modo per elleborum, si nō affuerit febris. Aet. Rhabarbaro. An & myrabolanis, tamarindis? Post purgationem potiones astringētes, & contemperantes, lerum, lac, vbi ex morbo aut medicamentis refectione egent. Papauer album, vrticæ semen, & quod præstat, mali punici dulcis radix & folia, rhas, galla in vino acerbo bibenda, succus mali punici, caseus caprinus.

Ad vterum, si inflammatus est, & dolet, fomenta mollia, ablutiones, subdititia emollientia, lac caprinum decoctum & refrigeratum cum mulsa bibat. Cum cessauerit inflammatio, abstergentia, & purgantia primum ex vini fæce, postea ex scammonii succo ad bilem, thapsia ad pituitam ex aqua, & melle, & oleo narcissino, aut anethi, postea ex vino, melle & oleo. Deinde suffitus per astringentia ex malicorio. Ad aquam fluentem clyster in

vterum

vterum ex resina sicca, myricæ foliis, thure, semine lini in vino tritis, & adipe anserino, gallinaceo. Amylum, farina purissima cum lana ad os. Sulphur & Mandragoras in vino meraco ex lana. Dormiat supina & immota. Victus contemperans ex oleribus refrigerantibus, amygdalis, sesamo, pisces saxatiles. Caro ouilla, aut volucres, leporina, elixa potius quam assa. Deambulatio mane, & à cibo, gestatio, currus in declinatione.

CAPVT XXIII.

De Procidentia vteri.

PRocidentia vteri, descensus, vt extra pudendum prominеat magis, & minus. In partu ab expultrice violentius concitata, nam simul decidit cum fœtu. Post partum, si recens cum viro dormierit, aut defatigata. In fluxu muliebri, vtero relaxato & humectato, & calefacto. Sterilibus maxime contingit. Euertitur os per ceruicem ad locum refrigerii, calor sentitur maxime ad pudenda & sedem Vrina paulatim distillat & mordet. Cum penitus prolapsus est, dependet veluti scrotum, dolor in imo ventre & lumbis, ad inguina. Cum tempus processerit, non vult in suum locum redire, intumescit, morbus consenescit Os durum semper extra: fluit humor sanioſus. Si breui curetur, sana fit, sed sterilis relinquitur. Aliquando retrusa instabilis est, ex quacunq; occasione exit, cū supina fuerit, manet. Cum surrexerit, aut à somno expergiscitur, aut se inclinauerit, exit, sæpe etiam dum quiescit. Aet. scribit, non esse vteri prolapsum à suis sedibus, vt multi putant, non enim restitui posset, sed euersionē esse, ideo quod prominet, esse simile ouo struthiocameli, modo maius, modo minus. Sed mirum, quod scribit, aliquando putrescere totum quod prominet, & reciſum sanari. Quod testari possum Romæ contigisse in pluribus, & quædam post excisionem, non solum sanata est, sed & concepit, & peperit. Quod fieri omnino impossibile esset, si id, quod excidit, esset fundi vteri pars in-

3. nat. fa. 3.
2. Mo. mu.
Nat. mu.

uersa. Potius putandum est esse, quas alibi idem Aet. & Pau. hæmorrhoidas vteri vocat, pendentes modo excruce, modo ex vteri ore, quemadmodum videmus ex naribus polypos pendentes, has Hippo. Columellas vocat.

2. Mo. mu. inst. Vidi aliquando in muliere viragine paulatim ex pudendo egredi instar genitalis virilis inæqualis crassitudinis, hæc fluorem album patiebatur, aliquando rubrum. Curatio, retrudere, astringere, reuellere ad superiora, fluxionem sistere. Si parum egressus fuerit, retruditur manu, si valde, machinamentis. Astrictio ex myrthi baccis, lotiramentis in aqua decoctis. Refrigeretur decoctio noctu sub dio, & quam frigidissima perfundantur pudenda. Eadem trita pro cataplasmate adhibeantur. Reuulsio per vomitum ex decocto lentium melle & aceto, donec vterus fuerit eleuatus, iaceat pedibus altioribus.

Nat. mu. 2. Mo. mu.

Graueolentia ad pudendum suffiantur, odorata ad nares, Cucurbitula ad vmbilicum Aet. Duæ ad ilia Hipp. non ad coxas, vt prauè legitur. Fluxio sistitur potionibus ex papauere, caseo, & polenta, cibis mollissimis & frigidis. Vinum aquosum album. Non lauetur, nec cum viro dormiat. Si penitus prolapsus. Ad dolores mitigandos, fomenta ad pudendum refrigerantia. Quod extra depurgare, abluere vino nigro incocto malo punico. Intro protrudere. Mel & resinam simul liquata intra pudendam infundere. Spongias fascia alligatas ad lumbos. Abstineat à cibis. Potu quam paucissimo vtatur vsq; ad 7. dies. Si non redeat, deradere summas vteri partes, abluere, ceratum picatum illinire. Pedes ad scalam deligare, vt caput deorsum pendeat, & manu introtrudere, scalam concutere, crura inuicem colligare; sinatur sic per noctem & diem. Ptisanæ succum frigidum modicum dato, aliud nihil. Postera die reclinato, & cucurbitam quam maximam affigito ad ilium, & multo tempore sinito sine scarificatione. Sola ptisana vsque ad 7. dies, si sitiat, aquæ modicum. Postea mollissimis & paucissimis cibis vtatur. Si ventrem exonerare oporteat, decumbens faciat, vsque

ad

ad dies 14. vel 40. Postea colluatur tepidis fomentis, melius ad solem calefactis, paucissime deambulet. Non lauetur. Ventrem ne solueris, gestet subligas. Si multo tempore promineat, vt refrigeratus & stupidus redditus sit, abluatur ex aqua calida, illinatur ex oleo, & vino. Indito & deligato, & reliqua prædicta facito. Si iam inflatur, etiam acetum ad aquam admisceto. In aqua incoquatur laurus, myrthus, absinthium. Oleum ne adhibeto, neq; aliud pingue. *Nat. mu.*

Si instabilis sit. Intromitte pomum mali granati perforatum ad vmbilicum magnitudine, quæ quadret, in vino picato calefactum, deligetur fascia, ne excidat. Aut globum ex hedera siccissima trita linteo excepta, vt humiditatem manantem excipiat. In potu, triticum recens, papauer album, saluia, cyperus, anisum in vino diluta, cum furfuribus hordeibis in die. Si igitur vteri procidentia morbus est in situ, remedia ab Hippocr. explicata satisfaciunt. Si autē ex genere abscessuum sunt, vt hæmorrhoides apud Pau. curantur reprimentibus, quod si non succedat, abscissione, quam coguntur præstare, cum putruerit.

CAP. XXIV.

De Vteri strangulatione, & Hystericis.

STrangulatio vteri vocatur, seu suffocatio, cum inter cætera symptomata inducit priuationem respirationis. Hystericæ autem mulieres appellantur, quæ vitio vteri huiusmodi symptomata patiuntur. Eorum causa difficilis cognitu visa est. Fama enim est fieri ob vteri errores, impetentes varias partes, nunc hepar, septi transuersum, ventriculum, caput, nunc inferiores, coxas, pedes. Citat Gal. Platonis verba, vterum esse tanquam animal, & desiderio prolis petere diuersas partes, vnde hysterici affectus oriuntur. Arist. Vterum protendi superius vsq; ad septum transuersum, quod in ouiparis manifestū est, quia oua in superiori parte nascuntur, licet descen- *6. lo. aff. 5.* *Ge. an. 12.*

dant ad incrementum. At in viuiparis, vt in homine, licet deorsum fœtus contineatur, membranosa tamen substantia ad septum pertingit, vt carnosa in ouiparis. Hinc fit, vt inanis uterus sursum adiunctus strangulet. Locus enim cum sit vitalis, motum perferre non potest. Ex hoc patet inanitionem causam esse contractionis uteri, quæ
1. Mo. mu. communicata superioribus suffocationem facit. Eadem est sententia Hippo. inquit enim, si suffocatio derepente accesserit. Fit autem maxime iis, quæ cum viris nō coeunt & senioribus magis quam iunioribus, leuiores enim uteri ipsarum sunt. Fit autem potissimum tunc, vbi mulieris vasa euacuata fuerint, aut plus solito laborauerit, resiccati à labore uteri conuertuntur, vt qui vacui sint, ac leues. Est enim ipsis locus spaciosus, vt conuertantur, vtpote ventre vacuo existente. Dum autem conuertuntur, impetunt hepar & iuxta consistunt, & ad præcordia irruunt. Currunt n. & progrediuntur sursum ad humiditatem tamquam à labore magis, quam oportunum est, resiccati. Hepar autem humidum est. Postquam autem impetierint hepar, suffocationem faciunt, derepente per spirationem intercipientes. Si interim descendat à capite pituita, simul cum defluxu ad locum suum reuertuntur, & cessat suffocatio. Dum strangulatur, mulier albas oculorum partes subuertit, & frigida fit, sunt autē & quæ liuidæ fiunt, quædam etiam dentib. frendunt, & saliuæ ad os fluūt, & similes sunt iis, qui ab Herculeo morbo detinētur. Quandoq; vero vbi mulier vasa euacuata habuerit, & insuper laborauerit, uteri conuersi ad uesicæ stomachū allabuntur, & urinæ stillicidium inducunt, aliud autem nihil mali habet, & curata cito sanescit, quandoq; etiam sponte. Quibusdam vero ex labore aut inedia ad lūbos, aut ad ilia allapsi dolores exhibent. Obtorquetur autem uterus quibus angustus est, aut ceruix procul à pudendo sita, cum abstinet à venere, quia humectari cupit.

Sed Gal. hanc sentētiam refellit. Non vt à semine hu-
6 loc. aff. 5. mectetur, sed vt semen proprium excernat. Indicio quā-

dam

dam viduam sanatam emisso semine, dum pudēda contrectaret. Ideo strangulationem à repletione fieri putat, aut retentis menstruis, aut potius semine, hoc enim si putrescat, contrahere vim venenosam. In lib. de virginum morbis scribitur, virgines viro maturas pati uterinas affectiones vna cū mēsium descensu, antea minime, confluente scilicet sanguine ad uterum, si exitus intercludatur: regurgitat n. ad cor & septum transuersum, à quibus locis tarde refluit, quia venæ insunt obliquæ, & locus periculosus ad desipientiam & insaniam, mœrores, stupores, & febres. Etiam viro coniunctæ patiuntur, sed magis quæ steriles. Hæc affectio à plenitudine quidē fit, at non strangulatio. Aet. flatuosam esse refrigerationem, nā semen in utero paulatim coacernatum, aut alia quædam materia insita ac putrefacta perfrigeratur, & ad cerebrū aut cor frigiditatem transmittit, unde accidentia dicta fiunt, refrigeratio totius, deperditio pulsus, & respirationis. Si acris & mordax, conuulsiones facit. Si melancholica, tristitiam, animi deliquium sequitur ad magnitudinem affectuum cordis, aut ventriculi. Communicari aliquando utero a ventre, hepate, liene, uasis repletis, unde uterus pendet. At si ex seminis retentione in mulieribus fiunt, cur non in uiris? sed sanatio arguit potius ab inanitione fieri, quam repletione. Hippoc. Errores uteri, & contractiones consensus esse admirabilis scribit. Ex solo enim eius motu, quocunque inclinauerit, consensus fiūt tanto magis, si materiam aliquam transmiserit, seu benignam, seu malignam. A quacunque autem occasione uterus propelli potest, si quid mali habet. Nam frigiditas pedum, lumborum, saltatio, terror, lignorum sectio, cursus seu ad accliuem locū, seu decliuem, & alia multa. Signa consensus ad uarias partes tradūtur. Si ad caput, aliud aliis indicium. Deest suffocatio, sed caput grauatur. Venæ in naso & sub oculis dolent. Soporaltior tenet, & spumāt, ut leuius habuerint. Symptomata epilepsię similia. Si ad cor conuersio fiat, suffocationē facit. Aer violē-

3. *Artic.* 100.

2. *Mo. mu.*

ter attrahitur, anxietas, vomitus. Quibusdam statim tractus deorsum cedit, & flatus exit. Quædam vomit spumosa, quædam quieta manet. Gal. hæc addit. Quibusdã neq; pulsus, neq; respiratio deprehendi potest, videretur
6. loc. aff. s. mortua, nisi exiguum quendam calorem in mediis partibus haberet. Quibusdam exiguum respirationis signũ apparet, si naribus admoueatur floccus, aut flamma exigua, aut cyathus aquæ plenus pectori imponatur: deprehenditur enim quidam motus. Quædam sine sensu iacẽt immobiles cum obscuro paruoq; pulsu vel nullo. Quædã sentiunt, & moueri possunt, integra ratione, sed animi deliquium adest, & difficilis respiratio. Quædam crura & brachia contrahunt. Tandem multas esse affectuum differentias, vel pro causæ magnitudine & paruitate, vel speciei differentia. Si ad hypochondria, suffocatio vt ab elleboro, orthopnæa, cordis morsus, & cum ad summum peruenerit, vomitus feruidus acris corripit, & modico tempore mitior fit, & dolor ad caput & collũ penetrat. Si
2. Mo. mu. cito non discedat, obmutescunt, torpor ad linguam. Si ad
Nat. mu. hepar, muta repente fit, dentes conterit, color niger, hæc fiunt repente, dum sana est, præcipue virginibus antiquis, & viduis iunioribus, quæ pepererunt, & sterilibus ex partu, quia deest puerperii purgamentum, iis non intumescit vterus, non mollitur, neque vomunt. Si ad latus tussis, & dolor ad costas. Vterus durus veluti pila, dolet ad tactum. Contabescit, videtur peripneumonia, conuellitur, gibba fit, menses omnino non apparent, aut cum apparuerint, euanescunt, & deterius tunc habet. Si ad lumbos, aut inania, spiritus sublimis, suffocatio, asthma, nec moueri vult, nempe ob lumborum dolorem. Si ad ventrem dolor acutus, & vehemens ad ilium, lumbos, & inania, crus claudicat. Ad sedẽ, prohibet secessum, dolor ad nates, imum ventrem, lumbos. Si ad ilium, durities fit ad mollitudinem, dolores lumborũ, mollitudines, & imi ventris, & cruris, tenditur & suppuratur, pereunt, nisi feces aut vras. Ad vesicam, vrinæ compressio, dolor

ingens

ingens, si cito non sanatur, suppurantur quo decurrerint aut in mollitudine, aut in inguine, pectine. Si ad crura & pedes, pedum digiti conuelluntur sub vngues, dolor cruris & femoris. Hoc modo vterus afficit omnes partes à capite vsq; ad pedes.

CAP. XXV.

Curatio Hysfericarum.

CVratio hysfericarum, vna ad symptomata, altera ad causas. Cum vrget suffocatio, animi deliquium, dolor, conuulsio. Ascendentem vterum aut euaporationem detrudere à superioribus, allicere ad inferiora, iter intercludere. Digerere, obstupefacere, immobilem reddere. Traditur deorsum non repellentibus frigidis, vt in cæteris fluxionibus, sed grauiolentibus ad nares. Alliciturdeorsum non calidis attrahentibus, sed beneolentibus ad vterum Hippo. An quia requiritur opus naturæ expellentis & attrahentis? expellit autem natura quæcunque ingrata sunt, attrahit iucunda. Fertur sponte ad iucunda, aufugit iniucunda. Natura autem spiritus, qui in homine continetur, quo omnes operationes perficiuntur, abhorret fœtida, gaudet odoratis. Ideo ad hæc allicitur, auertitur autem à fœtidis. Recta autem ratione Plato vterum tamquam animal esse dixit, impetu enim naturali fertur ad iucunda, auersatur autem iniucunda. Quod in nullis aliis partibus adeo euidēter conspicitur. Instrumenta enim sensus in suo genere lætitiam & tristitiam ostendunt, auditus enim gaudet harmonia, dissonātia audire non potest. Oculi coloribus perfectiorib. oblectantur, fuscos fastidiunt. Omnes partes nutrimentum familiare attrahunt, inimicum expellunt. At vterus præter hæc alium impetum ad prolē scilicet gignendam habet. Ideo ægre fert, cum eo officio frustratur. *Nat. mu. 1. & 2. Mo. mul.*

Sed gaudet coitu, gaudet & conceptu. Repleri loca nō quibuscunq; appetit, sed iis quæ ad prolem faciant, inaniri ægre fert, & quasi indignatur, ideo huc illuc commouetur,

mouetur, vnde vterinæ passiones oriuntur, præcipuè viduis, & iis quæ viro coniunctæ sunt, sed sterilis. Hæ namque etsi multo sanguine repletæ sint : non tamen obid commouetur vterus, sed desiderio prolis. Nam postquà vterus à conceptu repletus fuerit, non patitur commotiones prædictas, nisi cum infans nutrimento eget, per siccationes autem & inanitiones sæpius commouetur, quia, vt inquit Hippoc. vterus leuis redditur, cum grauis est, quiescit. His prænotatis magis patebit curatio. Ad strangulationem igitur sub nares suffitus fiant lanæ accensæ, pili vsti, bitumen in ignem coniectum, sulphur, pix, cornu cerui, lucernarum extinctio, cœnum fœtidissimum, castorium. His etiam vidimus viros à sopore excitari. Ad inguina, & fœmora, & intus inungere vnguento odoratissimo. Nos gallam muscatam ex oleo rosaceo, mosco, ambra, aromata quæcunque, aqua rosacea, lamsa, ex floribus myrthi. Digeruntur vapores praui castorio, aut conyza, aut vtrisque in vino potis. Radix pæoniæ in vino odorato, coriandrum, cuminum, aristolochia, peucedanum, panax, angelica. Nux muscata, gariophylli, gutta olei anisi per distillationem extracti, aut ex vino, aut mulsa. Composita electuaria. Diaciminum, triphera magna cum opio, pilulæ paratæ pro matrice, nam opiatæ sunt. Galen. Agarici drachmam vnam bi-
9. Cat. 10. bat cum vino, onyx ex conchilio, acetum scyllitieum absorptum. Plantaginis semen, & succus, quod solum inter cætera repellit, ruta, allium, cæpa. Indit in anum rutam cum melle lana exceptam, quæ omnia ad digerendum faciunt. Aetius motum attractionis deorsum adiuuat cucurbitula vtrinque sub inguinibus appositа. Iter intercluditur Hipp. fascia ad vmbilicum, aut sub hypochondriis, cum prius manu deorsum expressus fuerit flatus. Nos in ipsum vmbilicum grana duo moschi gossipio inclusi indimus. Ad causas, sedata suffocatione. Si ex mensium retentione Aet. & Auicen. Venæ sectio ex Basilica eiusdem lateris, in quem declinauerit vterus, si non ces-

set

set suffocatio, ex saphena, aut ex poplite Gal. Non si ex spermate retento, aut ex frigiditate. Hipp. virgines sola missione sanguinis curari, postea suadet, vt cum viro cohabitent. Item. Si virginum menses maturi non prodeant & febricitent, dolet, sitit, esurit, vomit, furit, & rursus resipiscit. Vterus mouetur, cũ vertitur ad viscera, vomitus nec febris, & delirium, vbi sedatur vterus, & illa quiescunt, esurit, & sitit. Hepiala. Huic pelles agninas calidas ad ventrem apponito, & suffitum ad pudenda, vt quam penicillissime admittat, ex myrrha fabæ magnitudine, thuris duplo admixta cum zea fresa in ignem dum ieiuna est, & multa calida lauare. Apponere artemisiam tritam vino subactam. Si praui humores adsint, purgatio ex hiera picra, aut pilulis fœtidis Auic. Agarico sæpius iteratis Hip. pharmacum deorsum purgans dare oportet, si quidem biliosa fuerit, quod bilem purgat, si pituitosa, quod pituitam. Postea lac asininum coctum bibendum præbeto, & vterum odoratis foueto, & medicamenta subdito, quæ vterum purgant, per interualla fouendo cum odoratis. Hæc viduæ facito, virginem ne attingito, inquit Hipp. Sed persuadeto vt nubat, quasi hoc solum sit remedium ad vteri furorem compescendum. At vero iis, quæ castitatem vouerunt, danda sunt, quæ venerem cõpescunt, siccantia & frigefacientia, ruta, calamentum, semen viticis in potu, & folia sub stragulis. Inunctio lumborum ex oleo nympheæ. Victus refrigerans ex lacte, piscibus ex aceto, salsamenta. Abstinere à flatuosis, & multum replentibus. Assis vti potius quam elixis, modico vino. Ad vteri errores ad diuersas partes varia remedia. Si ad caput, multa calida lauare oportet, etiam in capite incocta lauro, & myrtho, caput rosaceo illine. Odorata subter applicentur, ad nares graueolentia. Edat brassicam, & succum sorbeat. Si non audiat, frigido eodem lauacro vtatur, etiam in capite. Auic. omnino contrariam curationem adhiber. Nam ad commotionem vteri superfundit super caput oleum odoriferum calefactiuum, vt nardinum.

Virg mo.

Superfi.

2. Mo. Mn.

Nat. mn.

2. Mo. mn.

Si

Si per remedia deorsum vehementer trahentia non redit anhelitus, effunde super caput oleum feruens, aut cauterium fiat in syncipite. An hæc est communis ratio ad excitandum sensum & extrahendū extra, qua vtimur in viris ex Gal. in principio repellētia per oxyrhodinum extrahentia cum nihil influit. At non similis est curatio mulierum Hipp. inquit enim, cum vrgent symptomata, cum spiritus acetuatim sursum commotus fuerit, & grauitas, & mens perculsa, & loqui non potuerit, cum perfrigeratione, spiritus offendens, oculi obscurati, caput citissime exsicca, fascia obducito, & si oportuerit ad vmbilicum dato castorium, conyzam, rutæ aquam, cuminum, semen raphani, sulphur, myrrham, graueolentia ad nares, beneolentia ad vterum, sternutatoria ex veratro in naribus, optimum eructare, sedentem collocare. Si ad cor, porri semen, & papauer ex aquæ cyathis tribus bibat. Aceti albi cyathus potatus. Pæoniæ & viticis semen abrotonum, ruta, iuniperi fructus, & saluia, cum aceto, aut vino, calefacere, glandulam supponere ex adipe anserino cerato resinato, & pice liquatis, Melanthion ex melle.

11. Met. 18.

Si ad latera, pharmacum deorsum purgans, lauatio ex multa aqua calida, fomenta tepefactoria, apponere, quæ sanguinem purgent. Semen lini torrefactum, & papauer, & saluiam cum tenui polenta ex vino bibat ieiuna. Frequens fomentum, & calidæ aspersio, & ceratum molle, vt à latere discedat, & latus fascia lata deligato. Postea lac bubulum ad dies 40. exhibeto cibos quam mollissimos. Nam morbus vehemens, lethalis, & paucæ effugiunt.

Si ad hypochondria, primum tepefactoria apponito, & graueolentia ad nares, & beneolentia ad vterum, deinde bibat myrrham, coriandrum, resinam, pæoniæ radicem, cuminum ex vino albo, & aqua, aut mulsa leuiter tepida. Peucedanum, cæpæ lachryma, panax, in vino aut aqua, aristolochia, apium, fœniculum, anisum,

sum, piper, opium. Cum dolores quieuerint, pharmacum deorsum purgans, non supra, nam cæcitas imminet.

Si ad hepar, depulsio cum manu fiat sub hepate, aut præcordiis, & fascia deligato, & aperto ore vinum odoratissimum infunde, naribus graueolentia, vtero beneolentia. Si fiat soporosa pharmacum infra purgans, postea lac asininum, purgantia vterum interiectis fomentis odoratis. Si ad lumbos, glandula longa & crassa ad sedem ex myrrha, & melle, aut bitumine, sulphure, & cicuta. Oleum calidum in vterum infunde, fomentum. Desideat in aqua & oleo, suffiat graueolentia odorata ad nares. Cum dolor quieuerit, pharmacum sursum purgans, non deorsum, nisi cum vterus consederit. Postea lac asininum. Si ad ilium, vterum odoratis fouere, dein digito reuellere ab ilio, & thædulis, aut fistulis plumbeis, dirigere. Si ad sedem, calida lauare, fomentum lumbis, graueolentia suffire & apponere quæ vterum purgant, & propellant sursum.

Si ad inguina, suffito caprini stercoris pilulas, & leporis pilos cum adipe phocæ. Hederæ fructus, folia, & cortex siccata, folia quercus cum resina & oleo, bubalum stercus, & cornu ramenta, bitumen, vinacea, cedri baccas cum resina pinea, fomenta tepida ex stercore bubalo, aceto, & muria, incocto eruo, sambuci foliis cum myrtho. Vomitus ex decocto lenticulæ, postea farinam sorbeat ex vino, vrinam cientia, ciceres, & vuæ passæ decoctum, saluia, semen lini, in vino diluto & polenta. Si ad vesicam, odorata ad nares, graueolentia suffito ad vterum. Fomentum adhibeto, & pectinem illinito. Desideat in decocto rosarum, aut rubi, aut myrthi, oleæ, pampinorum vitis, iuniperi baccæ, saluia. Ad stillicidium, myrrhæ suffumigium intra pudendum per cucumerem. 2. Mo. mu.

Si ad crura & pedes, multa calida lauare, fomentum si ferre possit, graueolentia suffire, femora inungere ex rosaceo. Si repente crura refrigescant, & genua, & manus,

nus, obmutescentia, cor vibratur, dentium stridor, sudor, & alia, vt in epilepsia. His frigidam aquam multam affundere oportet super crura, & manus, & alia facere vt prius dictum est. Nam per antiperistasim reuocatur calor.

CAPVT XXVI.

Mammarum constitutio & vitia.

14. vs. pa. 5. 8. MAmmæ ad partes genitales spectant. Lactis enim gratia datæ sunt, ideo magnus est earum consensus cum vtero. Nam simul intumescunt, cum incipiunt mẽstrua in pubertate, & cum concipiunt, augescunt cum *5. Aph. 53.* fœtu, gracilescunt in senectute. Attenuantur, cum in vtero fœtus corrumpitur, modo ambæ, modo altera, secundum rectitudinem fœtus. In brutis tot mammæ, quot sinus in vtero. Nutriuntur per venas communes duas ascendentes ex venæ cauæ bipartitione ad crura, & duas descendentes ex axillari. Caro est spongiosa, glandulosa, in qua insunt meatus exigui frequentes ad papil- *4. Ge. an. 8.* las, vnde fugitur lac. Lactis generatio per concoctionem ex eadem materia, ex qua menstrua, suppeditatur per venas communes. Cum lac effluit, deficiunt menstrua, cũ conceperit, extinguitur. Si lac multum effluat in prægnãte, fœtus imbecillis redditur. Si lac habet neq; prægnans, *5. Aph. 52. 39.* neque puerpera, menstrua defecerunt. Mammarum affectus in puerpera, lactis defectus, aut deprauatio. Lac in mammis coagulatum, dolor in fugendo, tumores, vlcera. Lactis defectus iis vt plurimum contingit, quæ paucos *Nat. pu.* menses demittunt. Quæ sicciores, & densiorem carnem habent, aut natura sine lacte sunt, aut deficit ante tempus, huiusmodi sunt viragines. Deficit etiam quibus san- *1. Mo. mu. 5. Sim. 21.* guis est paucus, vel vitiosus ex morbo aut victus ratione. Iis, quæ natura tales sunt, non reuocatur lac. Quæ ex morbo, aut praua victus ratione, curantur, refectione, & prauorum purgatione, & concoctione.

Gignunt lac alimenta boni succi humida & tepide calida,

lida, ad naturam sanguinis accedentia, quia lac calidius est pituita, paulo frigidius sanguine. Medicamenta pituitam concoquentia, calida in primo aut secundo gradu, non siccantia. Potiora sunt, quæ simul nutrimenta sunt & medicamenta, eruca, fœniculus, anethum, non herbæ siccæ, sed virides. Smyrnium, apium, sion, polium. Pauca sunt huiusmodi. Sed quæ lac siccant, multa sunt, siccantia omnia tum calida, tum frigida, partim quia sanguinem minuunt, partim quia vitiant. Hip. Calida lauetur, & subcalidū bibat, fœniculi semē & radicem Hippomaratron, hypposelinon, simul coctas cum butyro. Porrum tritū, aqua dilutum, brassicam edat, cythisi folia simul cocta, & succum sorbeat. Saluiam cedri aut iuniperi baccis adiectis coquat, & decocto vinum affundat & bibat. Ad cætera farina insperſa, additoque Bulbo & modico oleo edat. Vitet acria & acida, & salsa, & cruda olera omnia. Nasturtium in vino potum commodum est. nam lac purgat. Hordeum mollitum, ac butyrum simul coquito, & frigidum bibat: caseus capræ. Viticis fructus in vino, betæ succus potatus multum lac facit. Sesamum recens & hordeum trimestre trita in mortario, & succum expressū, & mel aut Amamelidas, id est, Azaroli fructus misce, & vino nigro affuso bibat. Paul. non frequenter medicamentis vtendum. *Nat. mu.* *1. Mo. mu.*

CAP. XXVII.

De Lacte vitiato.

VItiatur lac à prauis humoribus, victu prauo, & à coitu. Paulus & Aet. à conceptu non solum vitiatur, sed & tollitur. Discernitur colore, odore, sapore, crassitie & tenuitate. Optimum candidum, dulce, beneolens, mediocri crassitie, vt neque serum, neque caseus superet. Paul. Discernitur crassities, si vngui instilletur, vt neq; subito, neque tarde diffluat, Aet. pilo lacte madido & suspenso, vt æqualiter hæreat.

Si non hæret, liquidius est, si guttulæ hærent, crassius.

Colores alieni linteis candidissimis lacte madidis, & in vmbra siccatis. Acredo & salsedo partim sapore, partim effectu cognoscitur. Nam aut papillas exulcerat, aut infantis os. Excretiones infantis plures, mordaces. Crassum lac tubercula parit, ventrem cohibet, & vrinas. Indicatur igitur prauorum humorum purgatio. Aet. recusat prorsus, præsertim si nutrices solitæ sint eo vitio laborare dum lactant, sed sola victus ratione contentus est. Nam pharmaca purgantia infantes lædunt, si cogantur, eo tempore infans alia nutrice vtatur, nisi etiam puer egeat purgatione. Quæ salso humore abundant, balneis & vini diluti potione vtantur. In cibo assumant lac ex aliis animalibus, probatissimum est, quod forma & similitudine humani speciem referat. An asininum? Ptisana, idem victus ad biliosum. Ad tenue & serosum, non balneum. In victu alica, oua sorbilia, pedes & extremitates porcinæ, hœdinæ, volucrum teneriorum carnes, vinum dulce, quies. Ad crassum, victus attenuans, balnea frequentia, vomitus ex oxymelite, labores. Si lac cohibere oporteat, aut quia mortuus sit infans, aut alia ratione non libeat lactare, victus exsiccans modico cibo, & potu. Mammis imponenda, quæ lactis congelationem prohibent. Crocum cum ouo, & oleo cyprino, Aet, aut cū fœnugræci succo aut cumini decocto. Quædam solo croco vtuntur inter mammas, cæra alba trium granorum erui magnitudine deuorata singulis diebus terra Cimolia ex aceto, & aqua, & oleo rosaceo imposita, puluis marmoris albi eodem modo. Si multitudine lactis mammæ inflammentur: vnde febres puerperis oriuntur de natura ephemeræ, priusquam putrescat, quod vt plurimum primiparis contingit, cum lactis egressus per vias angustas fit. Quandoque etiam fibræ ad papillas desinentes conuelluntur, vnde dolor in sugendo, qui morbus pilaris vulgo appellatur, & *Setole*. Iis in processu à nimio calore lac retentum coit in grumos, vnde insequitur mammarum durities & dolor ad tactum. Curandæ in initio molliter

s. Sim. 22.

liter repellentibus ex posca cum spongia, dein concoquere oportet, emollire & digerere. Cataplasma ex palmulis cum pane & posca. Vincire, & moderate cōstringere. Furfures in aceto coctos cū rutæ decocto, menta cum polenta, iuglans cum ruta, & melle, ouum totum cum rosaceo, ricini ~~folio~~, & cuminum cum polenta, capita papauerum cocta cum melle, crocus cum lacte, muria foemntum, apium viride, quod & grumos dissoluit. Alumen & psyllium cum aceto & coriandri succo, pyrites cum rosaceo & aceto lac restringunt. Act. Si distentio oborta est, Pau. panis ex hydræleo, aut mulso, panis cum parietaria viridi & cærato bis in die. Perfusio ex oleo calente dulci. Fouere ex decocto fœnugræci, altheæ, seminis api. Delinire ex polline farinæ, seminis lini, fœnugræci, cum hydræleo, sesamo, cum melle & butyro. Cauere, ne lac iugatur: nam attrahit; concedit tamen Act. in principio, ne coeat. Si suppurauerit, secundum.

Fiunt aliquādo in mammis tubercula dura, nunc maiora, nunc minora, ob retentionem menstruorum, quæ non suppurātur, sed semper fiunt duriora, deinde ex ipsis cancri occulti nascuntur. Præcedunt oris amaritudo, quæ cum ederint, omnia amara videntur, mente percelluntur, oculi duri, ex mammis ad iugulum & sub scapulis dolores fiunt, sitis, mammæ graciles, & totum corpus attenuatur. Cum peruenerint ad hæc, sanæ fieri non possunt. Si ante curentur, vt menses soluti fuerint, euadunt.

CAPVT XXVIII.

De Genitura, & virilium genitalium constitutione.

GEnitalia eadem esse in mare & fœmina testatur Galenus, solum positione differre: nam in mare foras egressa esse ob caliditatem, in fœmina intro condita. Virili genitale proportione respondere vtero, esse enim vterū inuersum foras egressum ex peritonæo vna cū testiculis. Vnde aliquando immutatum sexum in adultis scribitur *14. vs. pa. 6. 2. Sem. 5.*

Phætusæ & Namysiæ cum prius fœcundæ essent, corpus virile factum esse. At non putandum est muliebria extra prodiisse: non enim Hippocrat. tentasset menstruas purgationes. Præterea si genitale esset uteri inuersio foras, procidentia esset absque meatu ad externa, neque testes penderent ex vasis supra os pubis, sed aut intro latérent, vt in ouiparis, aut prodirent infra os pubis. Nō solum igitur positione, sed & figura, vt patet, atque aliis differentiis differunt.

6. Epi. vlt.

Genitale ex osse pubis duplici exortu, dextro & sinistro, producitur extra, veluti duo corpora coniuncta in vnicam glandem, quemadmodum uterus in brutis bifidus in vnicum os, non absimile glandi. Eius substantia nulli alii similis, neruosa vt ligamentum, sed cauernosa, vt flatu distendi possit, qui ex arteriis prouenit in coitu. Meatus seminis communis cum ceruice uesicæ dilatatur in tētigine ad seminis proiectionem recto itinere, flectitur hic in semispadonibus ob vinculum, quod præputiū cum glande nectit, quo exciso fœcundi sunt. Genitura ex testiculis prouenit per vasa seminaria eiaculatia sursum retractis, confici vult Gale. in testibus. Arist. non confici, sed perfici tradit in testib. inquit enim, testes aliis intus, aliis extra, propterea quod iis quoque operimento & velamine opus est, tum vt seruentur, tum vt semen genitale perficere possint: non enim fieri potest, vt frigentes & gelidi possint retrahi atq; emittere genituram. In lib. de genitura, qui adscribitur Hippocrati, scribitur, ex toto corpore ab omnibus partibus prodire, humido spumescente id quod robustissimum est & pinguissimum secerni, & ad spinalem medullam venire, & ex cerebro in lumbos, & medullam, ex medulla ad renes, à renibus ad pudendum per medios testes.

15. vs. pa. 12
1. Ge. an. 12

Exectos autem infœcundos fieri obcæcatis meatibus. Arist. autem semen esse excrementum vltimi alimēti, quod in corde fit, ideo vtile, & ad omnes partes tendere, quod & Gal. significare videtur, tradens gigni semē in o-

1. Ge an. 18
1. Sem. 12.

in omnibus venis & arteriis, quo partes albæ alantur. Naturam genituræ inquit Arist. similem esse cerebro: a quo sæ enim est materia, ideo in coitu immodico oculi languent, quia sedes eorum maxime seminalis est. Iterũ. Oculi & renes vim ad procreationem maximam obtinent. Indicat venæ sectio post aures, si enim inde multus sanguis extrahatur, infœcundos fieri testatur Hip. Ad testes igitur ex toto corpore, & magis ex cerebro per spinalem medullam genitura prouenit, ibiq; perficitur, & nimio coitu absumitur albarũ partium nutrimentũ. Paul. Testiculorum tunicas ex peritonæo haberi, vasa autem ex spinali medulla: at certum est ex venis & arteriis prope renes ortum ducere. Vitia contingunt, infœcunditas: vt sterilitas in muliere, gonorrhœa, priapismus, vlcera, testiculorum tumores, hernia.

2. Ge. an 5. *4. Prob. 2.* *Ae aq. 5 & de. Gen.*

CAP. XXIX.

De Infœcunditate.

QVæcunque intemperies viri tam simplex quam composita infœcundum semen facere potest, si magna fuerit, vt de sterilitate mulierum dictum est, si vero modica, corrigi potest à contraria qualitate vteri, vt Galenus ex Platone colligit, & ex Hippocrat. Idem Arist. testatur, moderationem quandam requiri temperamenti ad fœcunditatem, ideo quidam non inter se fœcũdi sunt, id est, tam vir, quam mulier, sed cum aliis fœcundi reperiuntur, id est, modicæ intemperaturæ similes cum similibus infœcundæ, cum contrariis autem fœcundæ. Alio modo videtur Hipp. in maribus infœcunditatem colligere, cum inquit, aut propter corporis raritatem spiritus extra fertur, vt semen non transmittatur ad os, aut propter spissitudinem humor non exit foras. Vel propter frigiditatem nõ concalescit, vt colligatur ad hunc locũ. Vel propter caliditatẽ hoc idem accidit. Gal. eum aphorismum non approbat. Simili tamen modo in maribus vt in fœminis ad densitatem & intemperiem reduxit, sed in

5. Aph 62. *1. Na. hu. 12.* *4. Ge. an. 2* *5. Aph 63.*

masculis amplius ad raritatem. Sed Galenus modum non videns, ideo negauit. Ob laxitatem igitur infœcundos fieri viros testatur Hip. patere apud Scythas. Gens n. ea minus fœcunda est ob corporis laxitatem, quia infantes non stringuntur fasciis, & adulti in ocio degunt, ventres mollissimi, & ob aeris frigiditatem frigidi: vnde coitum non appetunt. Accedit venæ sectio post aures, vnde multus sanguis exiens sterilitatem facit; nam multus spiritus exit, qui in capite est. Semen igitur infœcundum redditur, quia sine spiritu est, & non incalescentibus humoribus præ frigore non generatur spiritus. In corporibus igitur rarioribus, inquit Hip. spiritus extra fertur, id est exhalat, vt semen non transmittatur ad os, eget enim multo spiritu vt dirigatur semen ad os vteri. Quod autem subiungitur, propter spissitudinē non exit foras, vel propter frigiditatem non incalescit, vt colligatur ad hunc locum, significat, non ad os vteri, sed ad testiculos, vnde fit eiaculatio. Materia enim seminalis in toto corpore existens, præcipue in capite, ob spissitudinem, id est, meatuum angustiam nō peruenit ad testiculos. vnde est exitus foras. Nam in lib. de genitura inquit, quibus iuxta aures venæ sectæ sunt, hi coeunt quidem, & genituram emittunt, verum modicam & debilem & infœcundam: quia plurima genituræ pars à capite iuxta aures in spinalem medullam procedit, ipse autem transitus cicatrice sectioni inducta consolidatus est. At vero pueris venulæ tenues, & repletæ existentes genituræ transitum impediunt, & quæ sequuntur. Densitas igitur in viris hoc modo infœcunditatem parit. Reliqua manifesta sunt; nam frigida intemperies genituram inualidam præstat, quia sine spirituosa substantia neq; fertur ad hunc locum, neq; si feratur, fœcunda est, vt contingit iis, qui superfluo coitu vtuntur. Ob eandē causam quibus varices adsunt, infœcundi sunt, Arist. quia spiritus ad varices deflectitur. Propter caliditatem autem idem accidere inquit Hipp. id est, non colligi ad pudenda se-

Aer. aqua. 20. 11.

4 Pro. 31.

da ſemen, diſſoluta magna parte genituræ. Alias infœcunditati cauſas affert Aet. vitia ſcilicet inſtrumenti, exciſio teſtium, aut vaſorum attritio, quibus meatus obcæcantur. Pudendi canalis non rectus, obſtructus, breuis, vt non pertingat ad os vteri. Etiam longior, quia in itinere ſemen refrigeratur. Signa fœcunditatis genituræ, probatio in aqua. Nam quæ aquoſior eſt, tenuis & frigida, diffunditur cito & ſupurnatat. Quod fœcundum eſt, ad imum deſcendit, quia calidum, concoctũ, denſum, & craſſum eſt. At ſi eius ſubſtantia ſpumoſa eſt, debuiſſet aſcendere. An veluti ſpuma eſt, nõ ſpiritus, ſed in ſpiritũ facillime vertitur, vt argentum viuum quamuis ſpirituoſa ſit ſubſtantia, grauiſſima tamen eſt, antequam in ſpiritum vertatur. Si igitur huiuſmodi eſt genitura fœcundiſſima, non eſt neceſſe extendi per vteri cauitatem, & rectorii modo illiniri, vt Gal. putat. Sed rationi magis conſentaneum eſt, oui inſtar vndiq; complecti ab vtero: ſic enim intra membranam conceptus fieri poteſt lineis in vnum vmbilicum coeuntibus, vt traditur in libro de natura pueri. Curatio infœcunditatis ad habitus laxiores, pingues, & pituitoſos, victus ſiccior ex iis, quæ boni ſucci, exercitatio, modicus ſomnus, non balnea. Ad denſiores & duriores, & qui multis laboribus aſſueti ſunt, victus humectans, balnea aquæ dulcis, inunctiones, exercitationes moderatæ, ſomnus moderatus. Ad frigidos vel in regione frigida, aromata in cibis, vina generoſa, ad calidos, vel in regione calida, in æſtate, refrigerantia, olera, fructus, cucumeres, melopepones, ficus, vuæ, ceraſa, pruna, perſica, poma. Omnibus conueniunt gignentia ſemen, & venerem proritantia, cum bona temperies acquiſita fuerit. Gignunt ſemen cibi, qui bene nutriunt, & flatuoſi ſunt, ac tota ſubſtantia familiares. Calidi & humidi. Bulbi, cicer, faba, polypus, oſtreæ, nuclei pinei, piſtacea, ſemen lini, eruca, menta inter medicamenta, ſatyrion, ſcyncus. Extinguunt quæ contraria ſunt, ſiccantia, & refrigerantia. Ruta, vitex, nym-

1. Ge. an. 6.
2. Ge. an. 5.
5. Sim. 23.
Ster.

phæa. Vir non sit ebrius, neq; vinum album bibat, sed fortius & meracius, cibos edat fortissimos, non lauetur calida, & robustus sit, ac sanus. A cibis abstineat, quiad rem non conducunt. Monet Aetius abstinendum à venere superflua. nam frequenti vsu semen inualidum fit, non concoctum, vt aliquando sanguis exeat. Aduersus salacitatem, refrigerantia non solum in victus ratione, sed & balneis & vnctionibus ex rosaceo, sandalino ad lumbos & testiculos: multi hodie ex maleficio redditi sunt infœcundi, alii omnino impotentes ad rem veneream. Meretrices vtplurimum hæc perpetrant opera dæmonum aliquando, vt cum solis iis exercere possint rem veneream, cum aliis nequaquam. Aetius merito causam hanc occultam esse scribit. Hip. apud Scythas creditum esse, euiratos fieri à Diis. Dæmones enim Deos putabant: ideo illis munera ferebant, vt inquit, decepti à sacerdotibus. Nititur autem ostendere eorũ causas esse naturales. Sed hæc non pertinent ad nos.

Ae. aq.

Ad vitia instrumentorum, si per excisionem, aut attritionem testium, vel vasorum meatus obcæcati sint, incurabiles sunt. Si canalis pudendi obstructus sit à carne super vlcus excrescente, exteri potest, vt in vrinæ difficultate dictum est. Si canalis intortus ob vinculum, vt in semispadonibus, vinculi sectio fieri potest, vt sub lingua apud Gal. Alia vitia ab ortu seu breuitatis, seu longitudinis tolli nequeunt.

15. vs. pa. 3.

CAP. XXX.

De Gonorrhœa.

GOnorrhœa, id est, genituræ profluuium, communis est maribus cum mulieribus, Aet. Nam fluxus albus sæpe est ipsius seminis. Est excretio seminis morbosa, in qua tabescit corpus, decoloraturque. Fit soluto robore vasorum seminalium, vt semen non retineant. Vel irritata expultrice: gonorrhœa est inuita seminis effluxio, vt in vehementibus epilepsiis ob conuulsionẽ totius: hæc in solis

Defin. 14. vs. pa. 10.

solis vasis spermaticis fit iis, qui genitale semē copiosum calidumque gignunt, quod ad sui expulsionem prouocat. Vnde os ventriculi resoluitur, & totum corpus relaxatur imbecillis, sicci, gracilis, pallidi, cauisque oculis. Læduntur etiam à coitus abstinentia: nam capitis molestia, & stomachi fastidia fiunt. Augetur & nocturna pollutio, vnde eadem incommoda reuertuntur. Qui multo semine abundant & fluido, quasi arbor in fructificatione luxurians, ob maximas in venere voluptates & molestias insaniunt. Oriri solet in morbo, quem Hipp. Typhon vocat, ex atra bile calefacta: vnde cutis nigredo; tenuis fit, & valde gracilis, grauatur à cibis, gaudet odore lucernæ extinctæ, frequenter semen per somnum effundit, sæpe etiam inter eundum, corripit post annos 29. Si non curetur, perseuerat annos 20. In tabe dorsali, corripit maxime recentes sponsos, & veneri deditos sine febre. Bene cibū capiunt, ac consumuntur. Sentiunt à capite in spinam veluti formicas descendentes. Vbi mingit, aut aluum exonerat, prodit semen multum & liquidum, minime fœcundum, & in somnis semen profundit, anhelatio in cursu, aut ascensu, imbecillitas, capitis grauitas, aurium sonitus. In progressu temporis febres forte lypiriæ perdunt. Satyrus cū esset 25. annorum sæpe per somnū semen effudit, & interdiu frequenter prodibat. Anno 30. tabidus mortuus est. Nicippus in febribus per somnum semen effudit, & nihil ad piras processit. Sæpe id factum & nihil læsit. Desiit, postquam febres iudicatæ sunt, vt prædictum fuit. Nam coitus morbis ex pituita cōmodus est. Causa explicatur, quia exitus est excremēti pituitosi. In morbo crasso apud Hip. testes contrahūtur, calor, & dolor ad sedem & vesicam, sæpe per somnum semen effundit, genitura subcruenta, & subliuida, quæ in coitu. Morbus 6. annis curabilis, alioqui ad annos decē peruenit sæpe ad mortem. Incipit in autumno vt plurimū, & ex vsu fructuū, pomorum, ob calorē solis, & aquæ potum. Alius est affectus gonorrhœæ similis, quē vulgo

6. Tusa. 14

Ani. mo. 6. Int. aff.

2. Morb.

6. in 6. Epi. in fi.

4. Epi. in fi.

5 in 6. Epi. 33.

4. Prog. 17. Int. aff.

vocant *Sfilato*. Saniei fluxus ex vlcere intra pudendum, aliquando cum dolore, cum vlcus recens est & inflammatum. Aliquando sine dolore, cum inueteraverit. Aut nullo existente vlcere manifesto, sanioſus fluxus exit ex vasis spermaticis, aut ipso semine in saniem conuerso, aut humoribus prauis ad eam partem confluentibus, vt in muliebri fluore contingit. Signa, distinguitur semen à sanie, visu, loco, & modo exeundi. Nam semē album est, sanies varii coloris. Semen non nisi ex vasis spermaticis, ideo lumborū calor adest, aut dolor testiculis communicans. Sanies ex vlcere in pudendo, aut ex eius dolore cognoscitur, aut quia prius exit q̄ vrina, etiam digitis exprimi potest. Seminis effusio ob expultricem irritatam cognoscitur, quia cum tentigine fit, & imaginib. nocturnis. Irritatur autem aut à copia seminis, aut caliditate partiū, imbecillitatem autem retentricis significant, emissio inuoluntaria sine venere & sine imaginib. nocturnis, hanc solam gonorrhœam ponit Celsus. Fieri hanc tradit Aet. ex seminis colliquatione ob vsum calidorum, quod solet præstare menta, distillat autem continue humor in pudendum, sed hic præcipue degenerat in fluxum saniei. Prognostica. Gonorrhœa, si cito non curetur, transit in tabem, quam dorsalem vocat Hipp. quia nutrimentum tollitur albarum partium. Quæ in temperamento pituitoso contingit, aliquando vtilis, Paul. inquit, veneris hæc sunt commoda, repletos inanit, corpus agile reddit, in augmentum promouet, & magis virile efficit. Intelligentiæ vim instaurat, mitigat iratos. Melancholicis remedium est cōmodatissimum, ac sensus integritatem restituit. Alii cibum respuentes, appetentiam recuperarunt. Quidam à continuis per somnum veneris imaginibus liberati. At in habitu melancholico periculum ne in insaniam transeat ex Platone. Nam melancholici libidinosi sunt, ob flatum, & animi perturbationibus, lætitia & tristitia, maxime agitantur ex vsu veneris. Saniei fluxus putredines inducit, vlcera, & consumptionem.

6. Io. af. 6.

Quod an. mo. 6.

4. Pro. 31.

CAP.

CAP. XXXI.

Curatio Gonorrhœæ.

CVratio Gonorrhœæ ob seminis multitudinem in temperamento calido & humido, victus frigidus, & siccus. Medicamenta semen extinguentia, aliquãdo euacuatio seminis, reuellentia. Cibi conditi ex aceto, omphacio. Carnes volucrum assæ, hœdinæ, vitulinæ, milium, far, oryza, lens, cucurbita, lactuca, cicorium, pyra, mala acida, punica, limones, vinum rubrum austerum, aqua extinctionis ferri. Aet. Medicamenta, viticis semen, assidue vescatur ruta, semine cannabis, coriandro torrefacto. Solanum non permittit in somnis semen effundere. Extrinsecus balneum aquæ dulcis, melius balneum de aquis. Post balneum inunctio lumborum ex oleo omphacino, rosaceo, melino, aut cerato admixto succo semperuiui, solani, vmbilici veneris, psyllii, polygoni, portulacæ, tribuli, lactucæ, cremor seminis lini, lamina plumbea. In stragulis folia viticis, rutæ, pampinorum, rosarum. Cauere obstupefacientia ex papauere, mandragora, etiamsi robusti sint. Reuellentia exercitatione partiũ superiorum magis, vt ludis paruæ pilæ, follis, frictione ex pannis asperis vsque ad ruborem: dein ex oleo, vt postea reficiatur ex modico pane in vino diluto, deinde tendat ad consueta. Sic corrigi ventriculi molestias. Euacuatio seminis post aliquot dies, cum se continuerit, post mediocrem cœnam, ante somnũ coeat. Postera die cũ satis dormierit, frictionibus dictis vtatur. Antidotum magnæ celebritatis Aet. Recipit seminis salicis drach. 7. Calaminthæ drach. 6. seminis viticis drach. 5. Rutæ drach. 4. Seminis cicutæ drach. 2. cum aqua pastillos forma. Dosis nucis auellanæ magnitudine cũ posca cyathis 3. cortex radicis halicacabi ex aqua. Aufugiant esum acriũ omniũ, & multi vini potum, & olera. Vtantur siccantibus & astringentibus, modice lauandum, melius ex frigida, si nihil prohibeat. Balneum ex albulis etiam in potu. Nos habemus

6. *Tu. sa. 4.*

2. *Dist.*

bemus aquam Villensem. Stratum non valde molle ex pellibus, decumbat in latus, non in renes, ne arteriæ supercalefiant. Celsus præcipit vehementes frictiones, & natationes quam frigidissimas, & perfusiones. Nec cibi, nec potio, nisi frigida. Vitare cruditates, omnia instantia. Fouere partes internas ex decocto astringentium, & cataplasma imo ventri, inguinibus, præcipue rutã ex aceto.

Int. aff. Ad atram bilem irritantẽ. Ventrem superiorẽ purgato ex elleboro nigro, & inferiorẽ ex scaminonio. Deinde serum & lac bubalum aut caprinum pro tempore exhibeto. Dato & lac asininum decoctum ad purgationem. Cibos autẽ quos vult, assumat, & quam maxime nutriatur. Deambulet coniectura facta ad cibos. Iterũ in morbo crasso, vbi subcruentum semen exit, aut subluuidum. Hipp. purgat ex Cneoro, Hippoph. grano gnidio, deinde lactis asinini cocti heminas 8. bibendas dat *melle* affuso. Post purgationem nutrit cibis oportunis. Si cibos ferre nequeat præ febribus, sorbitiones ex lenticula, pro potu vinum nigrum, quam maxime austerum. Ad

2. Morb. tabẽ dorsalem. Si ab initio curandũ susceperis, fomento per totũ corpus adhibito, pharmacum sursum purgans, postea caput purgato, deinde pharmacũ deorsum purgans, optandum id in vere. Postea serum & lac asininum, cæterum lac bubalum per dies 40. ad vesperam vtatur halica, à cibis abstineat. Post vsum lactis mollibus reficito, initio modicis, & quam maxime crassum, & pinguem fieri studeto, per annum ab ebrietatibus, & venere & laboribus abstineat, exceptis deambulationibus, vitet frigus & salem, lauet tepida. Ad saniei fluxum, dum vlcus inflammatum est, repellentia. Succus plantaginis, solani ex aqua rosacea, aut hordei instillatus in meatum, & extra linteis intinctis impositis. Vnguentum rosatum. Sanguis testitudinis ad lumbos instillatus. Cũ cessauerit inflammatio, si perseueret fluxus, abstergentia ex aqua hordei, melle rosaceo, thure. Ad diuturnũ fluxum optimum remedium terebinthina lota cũ aqua rosacea, vncia

gia semis deuoretur inuoluta in pasta, & superbibat aquā hordei cum melle roſaceo, diebus quinq; continuis. Aut resina terebinthi ex cypro eodem modo. Idem præstat mastich. drach. duæ in ouo sorbili insperso puluere. Etiam terebinthina si bullierit in aqua, addensatur, vt comminui possit in puluerem, qui eodem modo exhibeatur. Cassia cum semine viticis ad aluam exonerandam.

CAPVT XXXII.

De Priapismo.

PRiapismus, satyriasis, satyriasmos, iuuenibus contingit, & in pueris adultioribus. Est colis erectio in longitudinem & circulo permanēs. Est pudendi præter naturam erectio. Est genitalis affectus cum tentigine, tensis omnib. particulis inflammatis. Sunt quibus & seminis eiaculatio fit cum voluptate, hi mente turbantur. Causa. Repletio ex flatu in neruo cauernoso, vt plurimū ex arteriis repletis & dilatatis, aliquando genitis in parte, sed rarius, ex imaginatione venereorū, retentione seminis, ex calefactione lumborum, vt iacentibus in renes, ex vsu medicamentorum & ciborum ad venerē faciētium. Impleri cauernosum neruum flatuoso spiritu ex humore semicocto, crasso & glutinoso, vbi calor naturalis imbecillior est: vnde halitus crassior quam vt transpirare possit, præcipue si particula densior est reddita. Aliquando humor frigidus, crassus, & glutinosus à vehementiori calore in flatus crassos attollitur. At raro ab initio id cōtingit, sed in processu temporis ex arteriis etiam substantia spermatica aut alii humores succedunt; vnde inflammatio oritur, & conuulsio. Aet. inquit de priapismo, esse auctionem in longum & spissum citra veneris appetētiam, cum inflammationem quandam & dolorem facit, vt in neruorum distensione. Signa sensui patent. Gigni in parte flatū ex eo iudicat Gal. si præcedat palpitatio. Pau. differre satyriasim à priapismo: satyriasim palpitationem esse ex aliqua vasorum seminis affectione inflammatoria, *14. Met. 7.* *3. Aph. 26.* *6. lo. af 6.* *2. Met. 2.* *Defi.* *6. lo. af. 6.* *14. Met. 7.* *6. lo. af. 6.*

ria, cum tensione, quæ nisi finiatur, in resolutionem resorum seminalium finit, aut conuulsionem. Priapismum autem esse perpetuum & firmum genitalis incrementū citra veneris appetentiam. Sed satyria apud Arist. est, in
4. Ge. an. 3. quo præ abundantia fluxionis aut flatus crudi in partes faciei decumbentis facies animalis diuersi, & satyri apparet. Alia vero est cutis & præputii inflammatio, in qua glans tegitur, vt nudari nequeat, de qua Cels. Prognostica. Si cito non curetur, conuulsi pereunt, ventre inflato cum sudoribus frigidis, vt in cæteris conuulsionibus. Cu-
14. Meth. 7. 8. ratio, ad plenitudinem venæ sectio in brachio, nisi puer sit, nā flatus cū sanguine exit, vt in palpitatione cordis. Si praui humores adsint in toto, purgatio conuenit per superiora magis ad reuellendum. Aer. abstinendum in totum à purgationibus efficacioribus, sed clysteres molles conueniunt ex decocto betæ, maluæ, & mercurialis. Frictiones multæ, & dimotiones. Balneum ex digerentibus calidis & siccis, cibi abstinentia, decoctum concharum, nam aluum mouent. Inedia vsque ad tres dies, postea cibus frumentaceus paucus, potus aquæ, cauere inflantia, & vrinam cientia.

Ad lumbos & genitale vsq; ad anum refrigerātia, efficaciora ad lumbos. Solanum, portulaca, hyosciamus, semperuiuum. Ad colem mitiora. Lithargyrus, cimodia, ceruſſa ex aceto aut posca, aut aqua Gal. Solo cerato rosato in tribus diebus curatum quendam post sanguinis missionem ex aqua frigida ad lumbos, & pudendum. Alium ex oleo chamæmelino. In potu semen extinguentia nympheæ radices, semen viticis, semen rutæ, ad siccandos
12. Meth. 9 humores relictos. At si flatus digerentibus, & siccantibus dissoluuntur, non conueniunt refrigerantia & astringētia nisi in principio. An flatus, qui aliunde feruntur, solis repellētibus egent, non qui in parte nascuntur? idē in tu-
24. Meth. 9 more linguæ contingere patet. Nam solo lactucæ succo curatus fuit quidam, remedio in somnis reuelato. Nā vitiū est in latitudine vasorū, quod solis astringentibus curatur.

ratur. Si relicti humores fuerint, concoquentibus & digerentibus vtendum, vt in cæteris inflammationibus.

CAP. XXXIII.

Testiculorum Constitutio.

TEsticuli didymi appellati, quia gemini in eodem scroto sunt. Gal. inter partes principatum tenentes numerat. Nam vt cor viuendi principium est, sic testiculi bene viuendi, quia robur addunt, vt patet in exectis ob priuationem alterius originis insiti caloris. Paradoxum hoc à nemine antiquorum traditum est. Nam seminis generatio apud antiquos in toto corpore fit, maxime in capite & spinali medulla apud Hipp. Et idem Gal. tradit in omnibus venis, & arteriis fieri. Testes & genitalia esse locum secretionis eius excrementi. Nam ex spinali medulla in renes & vasa seminalia descendere ad pudenda traditur in lib. de genitura. Paul. Testium nerui, inquit, quos parastatas vocant, à quibus pendēt genitales partes, spinalis medullæ ex cerebri membrana propagines sunt cum venis arteriosis ad testiculos pertinentes, per quos semē in naturalia permeat. Idē testiculum describit substantiam glandosam, fragilem, ad genitricē seminis effectam. An vt renes vrinam gignere dicuntur, quia illā per concoctionem separant à sanguine: sic testes seminale excrementum? quod pulchre ostendit Arist. cum inquit. Replicationis meatus pars altera sanguinea, qua recipitur materia seminis, vasa scil. spermatica deferentia, vena & arteria ex caua & aorta iuxta lumbos; altera exanguis, qua factū iam semen transit, id est, vasa eiaculantia, vt ex renibus vasa vrinaria. Quod & alibi expressius dixit, testes operimento & velamine egent, tum vt seruentur, tū vt semē genitale perficere possint. Non igitur solum prębent vsum perpendiculorum, vt cauillatur Gal. aduersus Arist. Communio autē vasorum seminalium cū spinali medulla & eius mēbrana patet ex eo quod scribit Gal. ex venis & arteriis in spinalē medullā ad tenuē meningē vasa dis-

Ar. me. 9. Sem. 15.

Ae. aq. 5. & de Gen. 1. Sem. 12. 1. Ge. an. 18

1. Ge. an. 6.

2. Ge. an. 12.

16. vsu pa. 10.

sa dispensari per singulas vertebras. Descendunt autem vasa spermatica inuoluta peritonæo implexa & tortuosa, instar capreolorum per inguina ad testiculos: vbi constituunt appendicē quandam iuxta posteriorē testiculi partem, quæ Epididymis quasi supergeminalis: nam didymos, id est geminalis testiculus est. Ex eadem appendice egreditur vas spermaticū, qui neruus vocatur à Celso, ex testiculo ducens semen confectū ad genitale longo itinere, eadem via sursum per inguina ascendens, & iuxta os pubis iterum descendens ad vesicæ ceruicē, vbi glandulæ sunt tali humore plenæ. Duæ autem membranæ testiculum vestiunt ex eadem appendice ortæ, quarum interna Elythroides quasi virginalis ex vasis seminalibus oriri videtur: externa Darton appellata, quasi coriacea ex peritonæo oritur. Scrotum Græce Oscheon, ex cute constat cum sua membrana carnosa sinum communem constituens vtrique testiculo.

1. Sem. 15.

de Vul. d. 9.

CAPVT XXXIV.

De inflammatione testiculorum, & Hernia.

Ac. aq.

TEsticulorum vitia, tumor, inflammatio, vel ex ictu, vel sponte. Hydrops ex aqua in scroto, pueris cōtingit, quandiu parui sunt, qui ætatis progressu euanescit. Hernia aquosa à recentioribus vocatur. Hernia flatuosa, cū scrotū impletur flatu, pertinent ad hydropem Ascitem, & tympanitem. Hernia intestinorū, cum labuntur intestina in scrotum, Ramex vocatur, græce Enterocæle. Bubonocæle cū in inguinib. Epiplocæle cū descendit Omētum. Paul. addit Sarocæle, id est, ramicem carnosum, aut scirrosum, aut varicosum: vitia ad chirurgiam pertinentia. Causa cur descendant intestina aut Omentū, est peritonæi apertio, qua vasa seminaria descendunt. Rupta vocantur. Cōtingit apertio ex motu violento, saltu, aut pōderis eleuatione, qua spiritum cohibere oportet, qua violentia aliquando exprimuntur deorsum intestina in scrotum, aut sponte à flatu dilatari potest peritonæum, cum multa humiditate fuerit relaxatum. Vt autē descendant humo-

humores, non est necesse aperiri peritonæum, ideo non proprie ramex dicitur, seu hernia, si non apertum sit peritonæum, vnde intestina aut omentū labi possint. Cum dilatatur amplius quam secūdum naturam, prius locus flatu impletur, postea succedunt intestina, & prius in inguinibus tumor apparet, postea in scroto. Signa inflammationis Paul. Dolor, durities, feruor rubedo aliquando febris. Si in scroto, dolet primo contactu, si in testiculo, non dolet leui tactu, sed si validius premas, durities profundior. Quāuis testes infra inguina sint, statim tamen febrem accēdunt ob vicinitatem vasorū magnitudine insigni ex renibus. Pulsus durus ob tunicā elythroidem peritonæo adnatam & minor. Ex testiculo non ita durus & maior ob vasa. In scroto erysipelas magis, sine febre. In testiculo phlegmo. aut scirrosus tumor, durities ex quocunq; humore ob tensionem intra tunicam elythroidem ex vasis nascentem. Intra darton minor tensio ex iis, quæ descendunt ex peritonæo. Prognostica. Tumores testiculorū soluunt febrem ardentē Hip. Pudēdi liuor vel testis intentus. Oppositū videtur tradi in prognosticis. Si genitale & testes conuelluntur, dolor & periculū lethale. An aliud est testis intentus, id est, durus præ tumore, & contractus, id est conuulsus? hoc n. lethale est, seu cōtractio in genitale sit, seu in testibus; tumor autē aut dolor fortis testis tussim finit, quod significat cōmunionē pectoris, mammarū, genitaliū, vocis. Tussis sicca iis, qui testes affectos habent, & ex tussi solutio fit, vena secta ad testem. Curatio inflāmationis Paul. sanguinis missione ex talo, an in plenitudine totius prius reuellere melius est ex interna brachii? Si morb. magnus febrē faciens, purgatio vt in priapismo. Localia ad testē initio repellentia & dolorē sedātia ex rosaceo, postea digerētia: si ardor infestat, hioscyami folia cū farina tritici, aut cicerū cataplasma. Harundinis folia cū cucurbita cruda, senecion, coriandrū viride. Digerentia, farina fabarum in vino diluto & vuis passis pinguibus, demptis acinis, cuminū, asphodeli ra-

4. Præs. 10.

De Inu. 2. Epi 2. 4. Acu. 17. 2. Prog. 10.

2 Epi. 1. & 5. 4. Epi. in fin.

dix,sem.lini, fœnugræci,lilii radix ex mulsa, farina hordei. Si morbus vetustus est cũ duritie, emollientia. Cucumeris syl. radix cocta in mulsa & læuigata cum lolii farina vuarum passarum, pulpa, cicer feruefactum, cuminum,sulphur,nittum,resina cum melle. Cerata ex plumbagine cocta in oleo, cera & resina colophonia, oleum anethinum,rosaceum,resina picea,cera, cuminũ: stercus asini superponitur ex linteo & lana. Oleum omphacinum,vel butyrum cum resina æquali ponderε-

Ad aquam,quæ cognoscitur cute translucida, si extra tunicas intra scrotum,punctione tuto educitur. Si intra elythroidem aut darton periculosius scinditur. Paul. docet chirurgiam.

Ad herniam intestinorum, aut omenti, quæ cognoscitur, quia tumor in inguine est cum stat, desidet cum iacet. Initio flatu tantum impletur inguen, postea descẽdunt interanea rupto peritonæo, si sola dilatatio ex humiditate, vt pueris, & iis, qui aquis paluſtribus vtuntur, solus flatus tumorem facit in inguine. In grãdioribus insanabilis est, præcipue ruptura: non n. glutinari potest. Sed sola chirurgia,testiculi abscissione,& cicatrice obducta in inguine clauditur peritonæum, aut sine abscissione, impulso testiculo supra inguen, vratur vsq; ad os pubis, sic n.cicatrice obducta claudetur locus intactis vasis spermaticis, vnde non prohibetur generatio. In pueris ꝑ astringentia curari potest Paul. in potu cupressi decoctu cum vino, aut puluere globulorum insperso, vt triginta diebus in lecto maneat. Super inguina intromissis optime intestinis imponatur malicorium,galla incocta in vino,& læuigata,& perfusa prius aqua frigida. Aliud. Vlmi vesicæ in vino coctæ,aut liquor glutinosus,qui in isdem vesicis reperitur. Emplastrum de pelle arietina efficacissimũ est. Sed fascia & puluillo superposito astrictus locus continendus est. Quo solo egent quamdiu locus apertus est. Caueant interim flatuosa, abstineant à copioso vino & balneis, & valido motu.

Ae.aq.

CAP.

CAP. XXXV.

De Hæmorrhoidibus.

HÆmorrhois, id est, sanguinis fluxus, symptoma est, cum per venā sedis natura excernit humorem atrū sanguini mixtum. Ab hoc vena sedis nomē accepit. Nam si ab aliis partibus sanguis fluat, vt naribus, hæmorrhagia vocatur. Plerisq; autem ora venarum in sede aperta consueuerunt expurgare superflua, præcipue in ætate declinante. Fit cum atra bilis repente tota descendit ad venas Hip. inquit, cum bilis aut pituita ad venas recti intestini decubuerit, sanguinē, qui in venis est, calfacit, venæ calfactæ ex vicinis venulis sanguinē attrahunt, quibus repletis interna sedis pars intumescit, & capita venarū supereminent, & partim dū à stercore exeunte cōprimuntur, partim dū à coaceruato sanguine coguntur, sanguinē eiaculantur, maxime quidem cū stercore, aliquādo vero etiā sine stercore. Cognoscuntur facile: nā supereminēt in internam recti intestini partē velut vuæ acini liuidæ, & cū sedes extrahitur, sanguinē fundunt. Hinc colligere licet, huiusmodi venas ex iis esse, quæ ex vena portæ per omentū ad lienem tendunt, & ad intestinum rectum fæcem sanguinis expurgant. Ad partem autē sedis externā non ex vena portæ, sed ex vena caua rami distribuuntur, in quo loco rarius hæmorrhoides infestant: sed sæpius carnis excrescētia, æquiuoce hæmorrhoides vocatæ: sunt n. thymi, aut ficus, à Latinis marisæ vocatæ, cristarum similitudine, ortæ ex rimula, aut exulceratione aliqua. Similes affectus in mulieribus ad os vteri adnatos, Paul. & Aet. Vteri hæmorrhoidas vocant, & similē curationem habent. Oriuntur etiā hæc eadem in parte interna sedis, de quibus Hip. inquit: Adnascuntur ad venā sanguifluā extuberantem, veluti mori fructus. Quod si extra valde prominuerit extuberantia, carnis tectorium super ipsam nascitur. Prognostica, atra bile vexatis & renū passionib. hæmorrh. superuenientes, bonū: nam sanguinem fœcu-

Atri. 61 4. 7. Meth. 11. 3. Aph. 30. De Hæm.

6. Aph. 11. 52.

lentum excernunt. Gale. A diutinis sanato hæmorrhoidibus, si vna non seruatur, periculum est, aquam intercutem, vel tabē aduenire. Ob resectas huiusmodi venas sepe melācholia corripiuntur, vt resectis varicibus. Ex immodica euacuatione hæmorrh. aut insolita suppressione hydrops oritur, vt in menstruis. Curatio, ad immodicā euacuationem, reuellere ad superiora. Venæ sectio in brachio ex basilica sinistra, vt reuulsio fiat à liene mittente. Purgatio per superiora, hepati roborantia, frigida, astringentia, in victu & medicamētis. Rhas. omphacium, cidonia, trochisci de carabe Ras. vinū in magna imbecillitate, & carnes. Parti affectæ Ischemon medicamentū, id est, sanguinem supprimens, fici succus lana exceptus, porri succus, aloe, thus, cum pilis leporinis ex albumine oui. Si ex his non supprimatur, claudi ostia venarū nequeunt, nisi vrātur. Crusta n. genita sanguinem supprimit, sed ablata crusta, reuertitur morbus, nisi caro densa & dura gignatur. Vrit igitur Hip. ferramentis ignitis admotis propinque, at non tangentibus, quamuis rectū intestinum ferre possit multa huiusmodi tormēta sine periculo, quia crassū est. At inurenda solum est superficies non corpus. Alio modo per medicamenta crustā inducentia, aut glande formata ex melle cocto additis vehementer siccantibus, galla, alumine, melanteria, chalcitide, aut illinendo: abscedit n. ex his veluti coriū exustum. Aut digito auellit quamcumq; supercrescentiā, quam inquit facile auelli, & facilius inueterata. Si abscedente crusta, sanguis exit, imponendum medicamentū carnē densam faciens ex flore æris tosto & in vrina macerato ac siccato. At ne ex vehementia medicamentū fiat inflāmatio, indit Hip. inustionē, lentem, & orobum coctum ex aqua tritū. Deinde sarcoticū. Nos mitius ex medulla & pinguedine, aut sapa lintea imbibentes glandē formamus inspersis pulueribus siccātibus, & ad putrefaciendum addimus oleum vitrioli, aut sulphuris. Paul. ad cæcas hæmorrhoidas, quæ tumidæ quidē sunt, sed sanguinē nō fundunt, applicat aperientia ora venarū, quidam

Atr. 61. 4.
4. Præs. 9.
4. Aeu. vl.
5. Meth. 4.

quidam sanguisugas admouent, at satius est sanguinem deriuare ad crura lota quidem prius, vt Gale. monet, ad suppressionem hæmorrhoidarum. Si autem inflammatio oriatur in sede, repellentib. mitigandus dolor, vnguẽto rosato. Populeon, vitellum oui assatum cum vino albo tritum ex cerato rosaceo exceptũ Rasis laudat ad vehementiores dolores, cum decocto seminis lini. Addit & opium, bdelliũ, crocum, adipem gallinæ, cæpa alba cocta cum butyro, semen lini decoctum cum butyro, oleũ seminis lini. Blattæ, vel potius scarabei nigri incocti in oleo rosaceo. Sed præmittenda venæ sectio, vbi magna est inflammatio. Victus tenuis sine vino. Vt fiat alui deiectio, ex lubricantib. aluum, ne dura stercora lædant in exitu, Hipp. laudat inter cætera furfures decoctos in cibis. Sed præcipua curatio ad suppressionem hæmorrhoidarum, & ad varices, humoris melancholici euacuatio per medicamenta sæpius repetita, & victu boni succi. *De Hir. 4.*

CAPVT XXXVI.

De fistulis sedis.

Fistula sinus est callosus harundinis cauitati similis, Paul. vtplurimum ex abscessu ortum ducens. Hip. in lib. de fistulis fieri ex confusionib. & tuberculis, in remigatione, equitatione, congregato sanguine ad nates prope sedem, qui putrescens distribuitur ad partes molles, & rectũ intestinum. Cum autem suppuratus eruperit, in fistulam abit, & manat sanie, & stercus per ipsum fluit, & flatus. Quasi fistula dicatur, etiamsi callũ nondum contraxerit, quod in progressu temporis fit, & tunc humor tenuis excernitur certis temporib. Recens igitur curationem recipit facilem ante quam callum contraxerit. Postea aut incurabilis est, aut cũ difficultate. Si dimittantur non curati, moriuntur Hip. Curatio. Dum absessus crudus est, quam citissime secandus, antequam suppuretur ad intestinum rectum. Si vero iam eruperit ad intestinũ, intromittenda medicamenta vehementer siccantia, & *Fist.* *Defi.* *Fist.*

glutinantia. In potu quidem seselis radicem tenuissime tritam aqua affusa per quatuor dies maceratam, eamque aquam trium cyathorum mensura melle admixto ægri bibat iciunus. Eadem aqua intromissa in sedē Ascarides purgantur, gignuntur enim ex sanie.

Postea intromittendus est penicillus ex linteo byssino inuoluto ea longitudine, qua peruenire ad intestinum erosum, qui imbuatur ex succo tithymali magni, id est, caraciæ, & insperso flore æris tosto. Est autem flos æris, quā vulgo Raminam vocant fabri ærarii. Cum enim ollas æneas, aut alias æris massas afflatu carbonum ad ignitionem perduxerint, & in aqua extinxerint, abscedunt ramenta quædam, quas palas vocat Plinius, & Dios. pśegmata. Dicebatur autem pala Græcis auri purgati glebula
3. Mo. non maior selibra, vnde nomen ad alia translatum est. Et reperio apud Hippoc. palas vocari peponis massulas, quas detracto cortice ex aqua frigida febricitantib. exhibebat ad sitim extinguendam, id est, cucumeris nostri. Sed flore æris medicamento apud Hippo. in frequentissimo vsu ad consolidanda vlcera in faucibus & pudendis, hodie priuantur Medici, quia florem æris non cognoscunt, putantes minutum quid esse milio simile. At hæc similitudo manifesta est in fracturis: videntur n. glebulæ, quæ in æris extinctione abscedunt, ex minutis granulis constare, vt innuit Dioscor. cum inquit, dum teritur, milio simile. Vt autem intestinum ad medicamentum comprimatur, imponenda est glans cornea in sedem. Sinatur penicillus per quinq; dies, si interim ad fæces exonerandas cogantur eximere, iterum intromittatur, ad refrigerium autem illinatur podex ex cimolia. Sexta die eximatur penicillus ex carne, & sola glans intromittatur ad intestinū insperso alumine, donec liquescat, & podicem myrrha illines, donec coalescat. Alia etiam ratione corrodit fistulam intromisso lino crudo intorto, & equinis setis inuoluto, vt singulis diebus intorqueatur, donec fistula corrodatur. Postea per spongias tritas & melle imbutas pur-

gat,

gat, & flore æris glutinat: interim aqua calida abluere cum ſpongiæ eximuntur. In ſeptem diebus, inquit, corrodi fiſtulam. Paul. corrodit ex veratro nigro duobus aut tribus diebus, colluit autem amurca cocta. Deinde carne explet ex myrrha & aloe. Vtitur etiam exciſione. Sed cauere oportet ne muſculus ſphinctir excidatur, nam ſequitur inuoluntaria excrementorum excretio. Ad vlcera & rimas in ſede ſiccantia ſine morſu, quia locus ſentiens facile inflammatur, & putreſcit. Cadmia, ceruſſa, lithargyrus ex butyro, oleo myrthino. Verbaſcum tritum cum roſaceo, efficacius addita ſquarna æris. Suffumigia ex thure, aloe, cinabrio ſuper carbones. Teſtudinis teſta ſuffita. Ad calloſa vlcera, glandes ex galbano, ammoniaco, bdellio, ſæuo hircino, additis ſiccantib. Supercreſcentes carnes, ſi magnæ fuerint, ferro auferendæ, poſtea inurendæ. Si paruæ & tenui baſi, filo apprehendendæ, ſi lata baſi, putrefaciente medicamento attingendæ, vt oleo vitrioli. Alternandum galbano ob dolorem, & mitioribus anodynis. Si procidat ſedes, lauandus primo locus ex vino auſtero, & inſpergendus puluis aſtringens ex aridis auſteris, galla, malicorium, rhus coriariorum, balauſtium, roſæ, cortex pini, cupreſſi pilulæ, plumbum vſtum, lithargyrus, fructus ericæ, thus. Deinde intromittenda eſt ſedes calidis linteis locum fouendo. 9. Cat. 2.

FINIS.